S. M.
3 - F
10

MISS. CISTL

AN. 1

22.7

Digitized by Google


MISSALE
AD VSVM SACRI ORDINIS CISTERCIENSIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

MISSALE
AD VSVM SACRI
ORDINIS CISTERCIENSIS.

IVXTA DECRETA CAPITVLI GENERALIS dicti Ordinis, Romano conformius redditum, primò accentibus ornatum & auctum.



LVTETIÆ PARISIORVM,
In officina SEBASTIANI CRAMOISY,
via Iacobæa ſub Ciconijs.

M. DCXVII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.
ET
Authoritate Reuerendiſſimi Domini Ciſtercienſis Generalis.

Digitized by Google

PRIVILEGIVM
REVERENDISSIMI
D. D. CISTERCIENSIS
ABBATIS, ET TOTIVS
Ordinis Generalis.

F*RATER Nicolaus Boucherat, Abbas Ciſtercij, ſacræ Theologiæ profeſſor, in ſupremo Burgundiæ Senatu Regis Conſiliarius, vniuerſi Ordinis Ciſtercienſis Generalis, Capitulique Generalis, eiuſdem authoritate plenaria fungens. Omnibus & ſingulis præſentes viſuris, lecturis, & audituris, Salutem. Ex quo ſacri huius Ordinis regimē nobis impoſitum ſuſcepimus, quanto potuimus diligentia & fidelitatis teſtimonio illum promouere & illuſtrare indefeſſo ſtudio procurauimus, maximè in iis quæ circa opus Dei propiùs accedere videbantur, Cumque inter cætera ingentem eius librorum ſuppellectilis diuinorum celebrationi neceſſariæ inopiam, atque inconcinnas & inemendatas editiones intolerabili facilitate hactenus diſſimulatas in poſterum præcauendas cogitaremus, pium ac laudabilem affectum honorabilis viri Sebaſtiani Cramoiſi, in officina Niuelliana Bibliopolæ Pariſiis, commorantis deuoto ſtudio attendentes, qui vt auitæ qua præceſſores ordinem noſtrum, ſemper coluerunt obſeruantiæ ipſi quaſi ſucceſſionis hæreditario iure debitæ in gratiam & fauorem ordinis Breuiaria maiora & minora, Diurnalia, Proceſſionalia, Miſſalia, Gradualia, Antiphonalia, Ordinaria, Vſus, Priuilegia, Horas B. Mariæ V. Regulam S. Benedicti, alioſque librorum codices Ordini noſtro vtiles & neceſſarios emendatiori editione quam hactenus ſe impreſſurum arbitrati ſumus, modo de expenſis in huiuſmodi labore ſupportandis de priuilegij noſtri gratia ſpeciali excitatum illum ſubleuare, vt par eſt dignaremur. Quare cùm per mortem magiſtri Georgij Lombard, & mandato Apoſtolico huiuſmodi librorum ante annum & circiter ceſſauerit impreſſio, factumque ſit vt propterea pleraque vtriuſque ſexus noſtri Ordinis monaſteria maximè in diuinis perſoluendis penuriis laborent de officij ratione, occurrere eorum inopiæ non vltrò differendæ volentes, beneuolam erga nos & Ordinem noſtrum prædicti honorabilis viri Sebaſtiani Cramoiſi propenſionem qua poſſumus animi gratitudine excepimus, & deuotum eius deſiderium à nobis in hac re poſtulatum quo debuimus officio* De noſtra paterna & Capituli

Digitized by Google

Generalis authoritate, *tenore præſentium admittimus atque recipimus. Dantes illi præfato Cramoiſi poteſtatem & facultatem vnam pluréſ-ve accuratas & magis emendatas editiones Breuiariorum, maiorum & minorum, Diurnalium, Proceßionalium, Miſſalium, Gradualium, Antiphonalium, Ordinariorum, Vſuum, Priuilegiorum, Horarum B. Mariæ virginis, Regulæ S. Benedicti, aliorumque librorum, codicum Ordini noſtro vtilium & neceſſariorum ſecundùm antiqua exemplaria recognita, exhibita, aut exhibenda, nonobſtante quolibet alio priuilegio & eodem ceſſante, imprimendi & imprimi faciendi, mandantes in virtute ſalutaris obedientiæ, vniuerſis & ſingulis noſtri Ordinis Ciſtercienſis Abbatibus, Abbatißis, Prioribus, & Priorißis, omnibúſque eiuſdem Ordinis regularibus perſonis, quatenus nullis aliis præterquam eiuſmodi Breuiariis maioribus & minoribus, Diurnalibus, Proceßionalibus, Miſſalibus, Gradualibus, Antiphonalibus Ordinariis, Vſibus, priuilegiis, Horis B. Mariæ Virginis, Regula S. Benedicti, aliiſque librorum codicibus Ordini noſtro vtilibus & neceſſariis, ab eodem honorabili viro Sebaſtiano Cramoiſi imprimendis & excudēdis, in diuinorum celebratione & clauſtralibus Officiis, aliiſque ordinem noſtrum ſpectantibus deinceps & futuris temporibus vti præſumant, vt quod antiquißimo Eugenij tertij Decreto S. Patres noſtri de officij, & rituum vniformitate hactenus ſtatuerunt, faciliùs & fœliciùs quàm antea ab omnibus inuiolabiliter poßit obſeruari, præſentibus vſque ad decennium à data præſentium computandū, dumtaxat duraturis. Datum Ciſtercij ſub noſtra & Secretarij noſtri ſubſcriptionibus, cum appenſione maioris noſtri ſigilli, decima quinta die menſis Iunij, anno reparatæ ſalutis ſupra ſexquimilleſimum centeſimo decimo tertio.*

Signatum,

F. NICOLAVS ABBAS CISTERCII GENERALIS.

De mandato prædicti Domini mei Generalis.

F. C. DANCOENES.

Digitized by Google

PRIVILEGE DV ROY.

LOVYS par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre. A nos amez & feaux Conſeillers les gens tenans nos Cours de Parlemens de Paris, Toulouze, Roüen, Bordeaux, Dijon, Aix, Grenoble & Bretaigne, Baillifs, Seneſchaux, Preuoſts deſdits lieux, ou leurs Lieutenans & autres nos iuſticiers & officiers qu'il appartiendra ſalut. Noſtre bien aymé Sebaſtien Cramoiſy, marchād Libraire iuré en noſtre Vniuerſité de Paris, nous a faict dire & remonſtrer qu'il deſiroit faire imprimer les Breuiaires, Diurnaux, Proceſſionaires, Miſſels, Graduels, Antiphonaires, Pſautiers, Ordinaires, Priuileges, Heures, Regles, & autres liures neceſſaires pour l'vſage de l'Ordre de Ciſteaux, en telle forme & ſuyuant le caractere qu'il verra eſtre plus cōmode, ſuyuant la permiſſiō qu'il en a obtenuë pour dix ans du Reuerendiſſime Abbé de Ciſteaux & General dudit ordre, deſquels liures l'impreſſion a ceſſé tant par la mort de Georges Lombard viuant, Libraire en ladite Vniuerſité, que parce que leſdits Miſſels, Breuiaires, & autres vſages ont eſté reueuz & mis en meilleur ordre, au moyen dequoy eſt beſoin les faire imprimer de nouueau, ce qui ne ſe peut faire qu'auec grands fraiz, à cauſe dequoy ledict Cramoiſy nous a humblement requis nos lettres de graces & priuileges pour l'impreſſion deſdits Breuiaires, Miſſels, & autres liures cy deſſus mentionnez de l'vſage dudict ordre, en telle forme & caractere & volumes qu'il verra eſtre le plus commode, ſans qu'autres que luy les puiſſent vendre ny debiter. Pour ce eſt-il qu'apres auoir faict voir à noſtre Conſeil la permiſſion baillee pour dix ans audit Cramoiſy par ledit ſieur Reuerendiſſime Abbé & General dudict Ordre de Ciſteaux pour l'impreſſion deſdits liures cy attachez, inclinās liberalement à la requeſte dudict expoſant, & deſirans l'aduancement de ceux qui trauaillent pour le public, & ne voulans que ledict Cramoiſy ſoit fruſtré du fruict qu'il peut eſperer de ſa peine, trauail & induſtrie & grandes auances, fraiz & deſpenſes que pour ce luy conuient faire, luy auons de noſtre grace ſpecialle, pleine puiſſance & authorité Royale, permis & luy permettons d'imprimer ou faire imprimer tant de fois, en tel volume & caractere qu'il verra bon eſtre, leſdits Breuiaires, Diurnaux, 'Miſſels, Proceſſionaires, Graduels, Antiphonaires, Pſautiers, Ordinaires, Priuileges, Heures, Regles, & autres liures neceſſaires pour l'vſage dudict Ordre de Ciſteaux pendant le temps & eſpace de dix ans, à compter du iour & date que leſdits liures ſeront acheuez d'imprimer, deffendans tres-expreſſement à tous Libraires & Imprimeurs de ceſtuy noſtre Royaume, & autres perſonnes de quelque eſtat, qualité & condition qu'ils ſoient, d'imprimer ou faire imprimer pendant ledict temps leſdits liures, partie ne portion d'iceux, ny d'en vendre ne diſtribuer ſans le conſentement par eſcrit dudict Cramoiſy, à peine aux contreuenans, de confiſcation deſdits liures, & de ſix mille liures d'amende, dont moitié nous appartiendra, & l'autre moitié audict ſuppliant, & de tous deſpens, dommages & intereſts. SI vous mandons, & à chacun de vous en droict, luy commettons que de nos preſentes graces, congé, permiſſion, & du contenu cy-deſſus vous faictes & laiſſiez

ioüir ledict Cramoiſy, & à ceux qui auront droict de luy, faire vſer plainement & paiſiblement, & faiſant ceſſer tous troubles & empeſchemens au contraire, & de l'aider à l'encontre de ceux qui contreuiendront à l'authorité de noſdites preſentes par toutes voyes deuës & accouſtumees par les peines ſuſdites. Et au premier Huiſſier ou Sergent, faire tous exploits de ſaiſie & arreſt ſur-ce requis & neceſſaire pour l'execution des preſentes, ſans demander placet, viſa ne pareatis: Car tel eſt noſtre plaiſir, nonobſtant oppoſitions ou appellations quelconques faictes ou à faire, clameur de haro, Chartre normande, priſes à parties & autres lettres à ce contraires, auſquelles nous auons dérogé & dérogeons par ces preſentes. Donné à Paris le cinquieſme iour de Iuillet mil ſix cens treize, & de noſtre regne le quatrieſme.

Signé, LOVYS.

ET PLVS BAS.

Par le Roy, la Royne Regente ſa mere preſente.

PHELIPPEAVX.

Hæc vltima Editio perfecta & abſoluta fuit 15. Ianuarij anno Domini. 1617.

Diſtinctio feſtorum in ordine Ciſtercienſi.

FEſtorum quædam ſunt xij. lect. ij. Miſſarum & Sermonis: vt Dominica Ramorum, Paſchæ, & Pentecoſtes: & quæ in Calendario, aut rubricis notabuntur. Quædam verò xij. lect. & ij. Miſſ. ſine Sermone: quibus, ſi cruce in Calendario notentur, tam monachi, quàm conuerſi, vt Dominicis diebus, non laborant: vt etiam die Aſcen. Domini, S. Sacramenti: & diebus, quibus non laboratur in Dioceſi. Si verò cruce non ſignentur, laborant quidem conuerſi, ſed non monachi.

Alia ſunt feſta xij. lect. j. Miſſ. vt octa. Aſcen. Domini & S. Sacramenti, & quæ in Calendario ſic exprimuntur.

Alia commemorationis & vnius Miſſæ. Alia denique ſolius commemorationis.

De modo canendi Kyrie eleiſon. *in Miſſis dictorum feſtorum.*

IN Miſſis ſecundis feſtorum ij. Miſſarũ, & in Miſſa mediæ noctis Natalis Domini, Cœnæ Domini, vigiliæ Paſchæ & Pentecoſt. & ſecundis Miſſ. Dominicarum dictarum Ramorum, Paſchæ & Pentecoſtes: & octauæ Paſchæ canitur Kyrie eleiſon, in choro, modo, quo primùm notatur in Graduali Trecis impreſſo an. 1544. cum Gloria in excelſis ſequenti, dempt Dominica Ramorum & Cœna Domini.

In Miſſa in aurora Natalis Domini, ſecundis Miſſis cæterarum Dominicarum & feſtorum xij. lect. & vnius Miſſæ, ſi celebrentur cum duobus miniſtris: & in quibuſcunque aliis Miſſis, quæ celebrantur cum duobus miniſtris, niſi fuerint pro defunctis, canitur Kyrie eleiſon medium. In reliquis verò vltimum Kyrie eleiſon cum minori Gloria in excelſis, ſi fuerit canendum, de quibus in rubricis tam generalibus, quàm particularibus fuſiùs agitur poſt ipſum Calend. & tabellas ſequẽtes.

CVM

CVM CALENDARIVM INDEX SIT

dierum feſtorum & ſolemnitatum per anni circulum celebrandorum nec tamen fixum locum in eo Paſcha feſtiuitatum omnium celeberrima obtineat, nec cætera feſta mobilia, Eccleſiæ Romanæ veſtigiis inſiſtendo præmiſſæ ſunt Calendario quædam tabellæ cum ſuis regulis, ac explicationibus ad dicta feſta mobilia annuatim reperienda.

De Cyclo decennouennali Aurei numeri.

CYclus decennouennalis Aurei numeri, eſt reuolutio numeri 19 annorum ab 1. vſque ad 19. qua reuolutione peracta, iterum ad vnitatem redit. Verbi gratia. Anno 1577. Numerus cycli decennouennalis, qui dicitur Aureus, eſt 1. Anno ſequenti 1578. eſt 2. & ita deinceps in ſequentibus annis, vno ſemper amplius, vſque ad 19. qui Aureus numerus cadet in annũ 1595. poſt quem iterum ad vnitatem redeundum eſt, ita vt anno 1596. Aureus numerus fit rurſus 1. & anno 1597. ſit 2. &c.

Igitur vt Aureus numerus quolibet anno propoſito inueniatur, compoſita eſt ſequens tabella Aureorum numerorum, cuius vſus incipit ab anno correctionis 1582. incluſiuè, durátque in perpetuum. Ex ea enim Aureus numerus cuiuſlibet anni poſt annum 1582. reperietur hoc modo.

6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 1. 2. 3. 4. 5.

Anno 1582. tribuatur primus numerus tabellæ, qui eſt 6. ſecundus autem, qui eſt 7. ſequenti anno 1583. & ita deinceps in infinitum, donec ad annum, cuius Aureum numerum quæris, perueniatur, redeundo ad principium tabellæ, quotieſcunque eam percurreris. Nam numerus, in quem annus propoſitus cadit, dabit Aureum numerum quæſitum.

De Epactis & Nouiluniis.

PActa nihil aliud eſt, quàm numerus dierum, quibus annus Solaris communis dierum 365. annum communem Lunarem dierum 354. ſuperat: ita vt Epacta primi anni ſit 11. cùm hoc numero annꝰ Solaris cõmunis Lunarem annum cõmunem excedat: atq; adeò ſequẽti anno Nouilunia contingant 11. diebus priùs, quàm anno primo. Ex quo fit Epactã ſecũdi anni eſſe 22. cùm eo anno rurſum annus Solaris Lunarẽ annũ ſuperet 11. diebꝰ, qui additi ad 11. dies, primi anni efficiũt 22. ac proinde finito hoc anno, Nouilunia contingere 22. diebus priùs, quàm primo anno: Epactã autẽ tertij anni eſſe 3. quia ſi rurſus 11. dies ad 22. adiiciãtur, efficietur numerus 33. à quo ſi reiiciãtur 30. dies, qui vnã Lunationẽ emboliſmalẽ conſtituũt, relinquẽtur 3. atque ita deinceps. Progrediuntur enim Epactæ omnes per cõtinuum augmentum 11. dierum, abiectis tamen 30. quando reiici poſſunt. Solùm quando peruentũ erit ad vltimã Epactam Aureo numero 19. reſpondentẽ, quę eſt 29. addũtur 12. vt abiectis 30. ex compoſito numero 41. habeatur rurſus Epacta 11. vt in principio. Quod ideo fit, vt vltima Lunatio Emboliſmica, currente Aureo numero 19. ſit tantùm 29. dierũ. Si enim 30. dies contineret, vt aliæ ſex Lunationes Emboliſmicæ, nõ redirent Nouilunia poſt 19. annos Solares ad eoſdem dies, ſed verſus calcem menſium prolaberentur, contingerentque vno die tardiùs, quàm ante 19. annos. De qua re plura inuenies in libro nouæ rationis reſtituendi Kalendarij Romani. Sunt autem nouemdecim Epactæ, quot & Aurei numeri, reſpondebantque ipſis Aureis numeris ante Kalendarij correctionem eo modo, quo in hac tabella diſpoſitæ ſunt.

Tabella Epactarum reſpondentium Aureis numeris ante Kalendarij correctionem.

Aurei num.	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.
Epactæ.	xi.	xxii.	iii.	xiiii.	xxv.	vi.	xvii.	xxviii.	ix.	xx.	i.	xii.

QVia verò cyclus decennouennalis Aurei numeri imperfectus eſt, cùm Nouilunia poſt 19. annos Solares nõ præciſè ad eadẽ loca redeant, vt dictum eſt, imperfectus etiam erit hic cyclus 19. Epactarum. Quamobrem eum ita emendauimus, vt in poſterum loco Aurei numeri, & dictarum 19. Epactarũ vtamur 30. numeris Epactalibus ab 1. vſque ad 30. ordine progredientibus, quãuis vltima Epacta, ſiue quæ ordine eſt trigeſima, notata numero non ſit, ſed ſigno hoc * propterea quod nulla Epacta eſſe poſſit 30. Variis autem temporibus ex his 30. Epactis reſpõdent decem & nouem Aureis numeris, variæ decem & nouem Epactæ, prout Solaris anni, ac Lunaris æquatio expoſcit: quæ quidẽ decem & nouem Epactæ progrediuntur, vt olim, per eũdem numerum 11. adduntur que ſemper 12. illi Epactæ, quæ reſpondet Aureo numero 19. vt habeatur ſequens Epacta reſpondens Aureo numero 1. ob rationẽ paulò ante dictam. Id quod ſequẽs tabella perſpicuum faciet, quæ continet Aureos numeros, & Epactas inter ſe reſpondẽtes ab anno correctionis 1582. poſt detractionem 10. dierum, vſque ad annum 1700. excluſiuè. Quamuis autem vulgares Epactæ mutentur in Martio, re ipſa tamen in principio anni mutandæ ſunt, vnà cum Aureo numero, in cuius locum hæ noſtræ Epactæ ſuccedunt.

Tabella Epactarum reſpondentium Aureis numeris ab Idibus Octobris anni correctionis 1582 detractis priùs 10. diebus, vſque ad annum 1700. excluſiuè.

Aureus num.	6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.	13.	14.	15.	16.
Epactæ.	xxvi.	vii.	xviii.	xxix.	x.	xxi.	ii.	xiii.	xxiiii.	v.	xvi.

ITaque ſi Epacta quocunque anno propoſito inueniẽda ſit, quærendus eſt Aureus numerus illius anni in ſuperiori ordine illius tabellæ, quæ illi tempori, in quo propoſitus annus cõtinetur, congruit. Mox enim ſub Aureo numero in inferiori ordine tabellæ reperietur Epacta anni propoſiti, vel certè hoc ſignum *. Vbi ergo illa Epacta, vel ſignũ * in Kalẽdario inuentum fuerit, eo die Nouiluniũ fiet. Inuenietur autẽ Aureus numerus vel ex antecedente canone, vel ex tabella Epactarũ propoſito tempori congruente, tribuendo primũ Aureum numerum illius tabellæ illi anno, à quo vſus tabellæ incipit, & ſecundũ Aureum numerũ ſequẽti anno, &c. Eodem modo reperietur Epacta ſine Aureo numero, ſi prima Epacta tabellę tribuatur illi anno, à quo eius vſus incipit, & ſecunda Epacta ſequenti anno, &c.

Exemplũ. Anno correctionis 1582. Aureus numerus erat 6. nempe primus primæ tabellæ, cuius vſus incœperat ab Idib. Octo. anni correctionis 1582. detractis priùs x. diebus. Erat ergo tunc Epacta xxvj. quæ ſub Aureo numero 6. collocatur: fuitq; Nouiluniũ die 27. Octobris, & 26. Nouẽbris, & 25. Decembris. Item anno 1583 iam correcto Aureus numerus fuit 7. cui in eadẽ tabella ſuppoſita eſt Epacta vij. quæ toto eo anno in Kalendario Nouilunia indicauit: vt in Ianuario die 24. In Februario die 22. In Martio die 24. &c.

Tabella

Tabella litterarum Dominicalium ab Idibus Octobris anni correctionis 1582. (detractis priùs x.diebus) vſque ad annum 1700. excluſiuè.

C	B	A G	F	E	D	C B	A	G	F	E D	C	B	A	

G F	E	D	C	B A	G	F	E	D C	B	A	G	F E	D	

VSus huius tabellæ hic eſt. Anno correctionis 1582. poſt Idus Octobr (detractis priùs 10. diebus) tribuatur litera C, primæ cellulæ, & ſ quenti anno 1583. litera B, ſecundæ, & anno 1584. dentur literæ A, G tertiæ cellulæ, & ſic deinceps aliis annis ordine aliæ cellulæ tribuantur, d nec ad annum propoſitum peruentum ſit, redeũdo ad principium tabella quotieſcunque eam percurreris. Nam cellula, in quam annus propoſitus c dit, dummodò minor ſit, quàm annus 1700. dabit literã Dominicalem pro poſiti anni. Quæ ſi vnica occurrerit, annus erit cõmunis: ſi verò duplex, B ſextilis, & tunc ſuperior litera Dominicã diem oſtẽdit in Kalendario à pri cipio anni vſque ad feſtum ſancti Matthiæ Apoſtoli, inferior autem ab ho feſto vſque ad finem anni. Exempli gratia. Sit inuenienda litera Dominic lis anni 1617. Numera ab anno 1582. quem tribue primæ literæ C, vſque a annum 1617. tribuendo ſingulis cellulis ſingulos annos, (Computando g minas literas quaſcũque, ſuperiorem & inferiorem, pro vna cellula) cadẽ que annus 1617. in literam A, quæ 8. locũ in tabella occupat. Eſt ergo to eo anno litera Dominicalis A, annuſque communis eſt, cùm litera ſimpl occurrat. Rurſus ſit inueſtiganda litera Dominicalis anni 1620. Numera a anno 1582. vt dictum eſt, vſque ad annum 1620. redeundo ad principium t bellæ, poſtquàm eam percurreris, perueniéſque ad duas haſce literas E, I vndecimo loco poſitas. Eſt ergo annus ille Biſſextilis, cùm duplex litera o currat, ſuperiórque litera E, Dominicam diem indicabit à principio anni lius vſque ad feſtum S. Matthiæ, inferior autem D, in reliqua parte anni.

DE FESTIS MOBILIBVS.

EX tabula ſequente, vbi diem lxx. Cinerum & Paſchæ deprehẽder cætera feſta mobilia facilè deprehendes: nam feria 5. poſt Dom nicam 5. poſt Paſcha, eſt feſtum Aſcenſionis Domini. Inter ipſam dictam fer. 5. ſunt Rogat.

Dominica 7. poſt Paſcha i. quinquageſ. die eſt feſtum ſacrum Pẽtecoſte

Fer. verò 4. 6. & Sabb. poſt Pentec. ſunt ieiunia quatuor temp.

Et ſequenti Dominica eſt feſtum Sanctiſſ. Trinitatis.

Et fer. 5. ſequenti ſit ſolemnitas ſeu feſtum Sanctiſſ. Sacramenti Altaris.

Feria 4. proximè ſequenti feſtum S. Crucis in Septembri, feria 6. & Sabb to ſequen. celebrantur ieiunia 4. temporum.

Incipit Aduentus Domini Dñica prima incidente poſt 26. diem Nouem

Pro ipſis autem lxx. & Paſchæ diebus inueniẽdis ſubiecta eſt tabula alte in prima facie ſequentis folij.

Tabula Paſchalis.

Littera Dñica.	Cyclus Epactarum.	Septuageſima.	Dies Cinerum.	Paſcha.
D	23	18. Ianua.	4. Februa.	22. Martij
	22.21.20.19.18.17.16.	25. Ianua.	11. Februa.	29. Aprilis
	15.14.13.12.11.10.9.	1. Februa.	18. Februa.	5. Aprilis
	8.7.6.5.4.3.2.	8. Februa.	25. Februa.	12. Aprilis
	1.* 29.28.27.26.25 25.24.	15. Februa.	4. Martij	19. Aprilis
E	23.22.	19. Ianua.	5 Februarij	23. Martij
	21.20.19.18.17.16.15.	26. Ianua.	12. Februa.	30. Martij
	14.13.12.11.10.9.8.	2. Februa.	19 Februa.	6. Aprilis
	7.6.5.4.3.2.1.	9. Februa.	26. Februa.	13. Aprilis
	* 29.28.27.26.25.25.24.	16. Februa.	5. Martij	20. Aprilis
F	23.22.21.	20. Ianua.	6. Februa.	24. Martij
	20.19.18.17.16.15.14.	27. Ianua.	13. Februa.	31. Martij
	13.12.11.10.9.8.7.	3. Februa.	20. Februa.	7. Aprilis
	6.5.4.3.2.1.*	10. Februa.	27. Febru.	14. Aprilis
	29.28.27.26.25.25.24.	17. Februa.	6. Martij	21. Aprilis
G	23.22.21.20.	21. Ianuarij	7. Februa.	25. Martij
	19.18.17.16.15.14.13.	28. Ianuarij	14. Februa.	1. Aprilis
	12.11.10.9.8.7.6.	4. Februa.	21. Februa.	8. Aprilis
	5.4 3.2.1.* 29.	11. Februa.	28. Februa.	15. Aprilis
	28.27.26. 25. 25.24.	18. Februa.	7. Martij	22. Aprilis
A	23.22.21.20.19.	22. Ianuarij	8. Februa.	26. Martij
	18.17.16.15.14.13.12.	29. Ianuarij	15. Februa.	2. Aprilis
	11.10.9.8.7.6.5.	5. Februarij	22. Februa.	9. Aprilis
	4.3.2.1.* 29.28.	12. Februa.	1. Martij	16. Aprilis
	27.26.25. 25.24.	19. Februa.	8. Martij	23. Aprilis
B	23.22.21.20.19.18.	23. Ianuarij	9. Februa.	27. Martij
	17.16.15.14.13.12.11.	30. Ianuarij	16. Februa.	3. Aprilis
	10.9.8.7.6.5.4.	6. Februa.	23. Februa.	10. Aprilis
	3.2.1.* 29.28.27.	13. Februa.	2. Martij	17. Aprilis
	26.25.25.24.	20. Februa.	9. Martij	24. Aprilis
C	23.22.21.20. 19.18.17.	24. Ianua.	10. Februa.	28. Martij
	16.15.14.13.12.11.10.	31. Ianuarij	17. Februa.	4. Aprilis
	9.8.7.6.5.4.3.	7. Februarij	24. Februa.	11. Aprilis
	2.1.* 29.28.27.26.25.	14. Februa.	3. Martij	18. Aprilis
	25.24.	21. Februa.	10. Martij	25. Aprilis

VSVS TABVLÆ SEQVENTIS.

Ad faciliorem & pleniorem eorum, quæ præmiſſa ſunt notitiam adiecta eſt tabula ſequens octo columnis diſtincta ſecundum octo varios dictarum columnarum titulos: qua & iis, quæ in præcedenti pag de feſtis mobilibus dicta ſunt, facilè omnia feſta mobilia reperientur.

Anni

Tabula feſtorum mobilium.

Anni Chriſti.	Litera Domi-nicalis.	Aureus nume-rus.	Epa-cta.	Dies ſe-ptuage-ſimæ.	Dies Ci-nerum.	*Paſcha.*	Hebdo-madæ inter Pē-tec. & Aduent.
1617	A	3	xxiii	22.Ianua.	8.Februa.	26.Mart.	28
1618	g	4	iiii	11. Febru.	28.Febru.	15. April.	25
1619	f	5	xv	27.Ianua.	13. Febru.	31.Martij	27
1620	e d	6	xxvi	16.Febru.	4. Martij	19.April.	24
1621	c	7	vii	7.Februa.	24.Febru.	11. April.	25
1622	b	8	xviii	23.Ianua.	9. Februa.	27.Mar.	27
1623	A	9	xxix	12.Febru.	1. Martij	16.April.	25
1624	g f	10	x	4.Februa.	21.Febru	7. April.	26
1625	e	11	xxi	26.Ianua.	12. Febru.	30. Mart.	27
1626	d	12	ii	8.Februa.	25.Febru.	12. April.	25
1627	c	13	xiii	31. Ianua	17.Febru.	4. April.	26
1628	b A	14	xxiiii	20.Febru.	8. Martij	23.April.	23
1629	g	15	v	11. Febru.	28.Febru.	15. April.	25
1630	f	16	xvi	27.Ianua.	13. Febru.	31.Mart.	27
1631	e	17	xxvii	16. Febru.	5. Marti.	20.April.	24
1632	d c	18	viii	8. Febru.	25. Febru.	11. April.	25
1633	b	19	xix	23.Ianua.	9. Febru.	27.Mart.	27
1634	A	1	i	12. Febru.	1. Martij	16.April.	25
1635	g	2	xii	4. Ianua.	21. Febru.	8. April.	26
1636	f e	3	xxiii	20.Ianua.	6. Febru.	23.Mar.	27
1637	d	4	iiii	8.Februa.	25.Febru.	12.April.	25
1638	c	5	xv	31. Ianua,	17. Febru.	4. April.	26
1639	b	6	xxvi	20.Febru	9. Martij	24.April.	23
1640	A g	7	vii	5. Februa.	22.Febru.	8. April.	26
1641	f	8	xviii	27.Ianua.	13. Febru.	31. Mart.	27
1642	e	9	xxix	16. Febru.	5. Martii	20.April.	24
1643	d	10	x	1. Februa.	18. Febru.	5. April.	26
1644	c b	11	xxi	24.Ianua.	10.Febru.	27. Mar.	27
1645	A	12	ii	12. Febru.	1. Martij	16. April.	25
1646	g	13	xiii	28. Ianua.	14.Febru.	1. April.	27
1647	f	14	xxiiii	17.Febru.	6. Martij	21. April.	24
1648	e d	15	v	9 Februa	26.Febru.	12. April.	25
1649	c	16	xvi	14 Febru.	3. Martij	18. April.	24
1650	b	17	xxvii	6. Februa	23.Febru.	10.April.	25

CVM ex præcedenti tabula repereris diem lxx.ª quæras in ſequẽtis tabulæ ſecunda columna in quota linea columnæ ſit ipſa dies: deinde à læua ad dexteram per eandem lineam tendẽdo in ſingulis columnis, quibus in fronte pro titulo affixum eſt aliquod ex quinque officiis Dominic. celebrandis intra Epiph. Domini & lxx. Inuenies quota die Iau. vel Feb. fuerit celebrandum quodlibet dictorum officiorum. Sed cùm in diuerſis prouinciis & diœceſibus ſita ſint dicti ordinis monaſteria, quibus conformia eſſe iubentur in cultu & celebritate Sanctorũ: quia alij atque alij vt peculiares patroni coluntur ſolemniter in aliis atque aliis locis & variis diebus anni, cùm etiam contingat præſentem eſſe defunctum in quibuſdam monaſteriis, non in aliis cuius gratia officium Dominicale dimittendum eſt, & in diem aliam transferendum ſicut & ob dictorum Sanctorum celebritatẽ: quibus & aliis caſibus vt proſpiceremus, præter numerũ latinis literis expreſſũ, (quem cõmuniter & vbi nihil præter ſolitum occurrerit aut defecerit, tenere & ſequi oportet) additus eſt in quibuſdam locis numerus ciffræ expreſſus, quo vtantur

Litteræ Dñicales	Dies Septuageſimæ.	In excelſo.	Omnis terra primò.	Omnis terra ſecundò.	Adorate primò.
		Ianuarij	Ianuarij.	Ianuarij.	Ianuarij.
D	18 Ianuarij	vii	viii 9	ix 11	xi 14
E	19. Ianuarij	vii 8	viii 9	ix 12	xii 14
F	20. Ianuarij	vii 8	ix 12	xiii	xv
G	21. Ianuarij	vii 7. 8	xii	xiiii 15	xv 16
A	22. Ianuarij	viii 9	ix 10	xii	xv
B	23. Ianuarij	ix 12	xii 15	xv 16	xvi 18
C	24. Ianuarij	x 12	xv	xvii	xix
D	25. Ianuarij	xi 9	xv	xviii	xix
E	26. Ianuarij	xii 9	xv	xix	xxiii
F	27. Ianuarij	xiii 13	xx 20. 23	xxii 23	xxiiii
G	28. Ianuarij	vii 8	xiiii 14	xix	xxi. 21. 23
A	29. Ianuarij	viii 9	xv	xix	xxii 23
B	30. Ianuarij	ix 12	xvi	xix	xxiii
C	31. Ianuarij	x 15	xvii 19	xxii 23	xxiiii
D	Prima Feb.	xi 15	xviii	xxiii	xxv 26
E	2. Februarij	xii 15	xix	xxiii	xxvi
F	3. Februarij	xiii 15	xx 20 23	xxiiii	xxvii
G	4. Februa.	vii 9	xiiii 14	xix	xxi
A	5. Februarii	viii 9	xv	xix	xxii 23
B	6. Februarij	ix 12	xvi	xix	xxiii
C	7. Februarij	x 12	xvii 19	xxiii	xxiiii
D	8. Februarij	xi 15	xviii	xxiii	xxv 26
E	9. Februarij	vii 15	xix	xxiii	xxvi
F	10. Februa.	xiii 15	xx 23	xxiiii	xxvii 30
G	11. Februar.	vii 9	xiiii 14	xxi 23	xxviii
A	12. Febru.	viii 9	xv	xxii 23	xxix. 29. 30
B	13. Februa.	ix 15	xvi	xxiii	xxx
C	14. Februa.	x 15	xvii 19	xxiiii	xxxi
D	15. Februar.	xi 15	xviii	xxv 26	j. Februa.
E	16. Februa.	xii 15	xix	xxvi	iij. Februa.
F	17. Februa.	xiii 15	xx 23	xxvii. 27. 30	iij. Februa.
G	18. Februa.	vii 9	xiiii 14	xxi 23	Ianua. 28.
A	19. Februa.	viii 9	xv	xxii 23	xxix 29. 30
B	20. Februa.	ix 12	xvi	xxiii	xxx
C	21. Februa.	x 12	xvii 19	xxiiii	xxxi
D	22. Februa.	xi 15	xviii	xxv 26	Februa. j.

Digitized by Google

vtantur ij, quibus occurrunt caſus: ob quos officium Dominicale non poteſt eo die celebrari, quo exprimitur liter. Latinis. Ipſi autem numeri diſtincto colore expreſſi ſunt, rubeo ſcilicet & nigro, ob varium modum, quo deber. celebrari præfata officia: ru. us color indicat officium matutinorum eſſe de Dominica & Miſſam ſolēniter.j. cur duobus miniſtris eſſe celebrandam: niger verò tantum faciendam eſſe in Veſ.& Laudibus cōmemo. de Dominic in officio & Miſſam matutinalem vel die priuato cum ſolo miniſtro celebrandam eſſe, aſſumendo tamen comme de Dominica *ad Laudes & Veſp. niſi iam fuerint dicta Antiph. de illa* Dominica, *de qua fit Miſſa: aut niſi fue rit Sabbatum: tunc enim nihil præter officium Miſſæ fit de* Dominica. *Si tamen aliquod dictorum officiorū cele brandum ſit extra* Dominicam *poſtquam fuerit cantatum Reſponſorium* Domine ne. *de quo nondum cantat. ſint Antiphonæ, inuenerit diem, qua non ſit officium xij lect. obtinebit primam collectam & eius Antiph. dicen tur ad* Benedictus *& ad* Magnificat *etiam infra octa. Epiph. non tamen in Sabbato. At infra dict. octa. ant. dictum illud Reſp. ſit tantum comme de* Dominica *& Miſſa.*

Adorate ſecundò.	Adorate tertiò.	Paſchæ an. cō.	Paſ. an. biſſex.	Hebd. iter Pēt. & Ad	Sic cantātur quatuor vlti. officia ante Aduentum.
Ianuarij	Februarij	Martij	Martii		
xv		22		xxviii	Omnia. Involūtate.
xv		23	22	xxviii	Si iniquitates. & Di-
xix		24	23	xxviii	cit Dñs. quodlibet
xix		25	24	xxviii	dicitur per ij. heb-
xix		26	25	xxviii	domadas.
xix		27	26	xxvii	Involuntate. Si ini-
xxiii		28	27	xxvii	quitates . & Dicit
xxiii		29	28	xxvii	Dominus, quodli-
xxiiii		30	29	xxvii	bet per ij. hebd.
xxvi		31	30	xxvii	
xxvi		1. April.	31	xxvii	
xxvi		2	1. April.	xxvii	
xxvii		3	2	xxvi	Si iniquitates. & Di-
xxx		4	3	xxvi	cit dominus. quod-
xxx		5	4	xxvi	libet per ij. hebd.
xxx		6	5	xxvi	
xxxi		7	6	xxvi	
xxviii		8	7	xxvi	
xxix. 30		9	8	xxvi	
xxx		10	9	xxv	Dicit dominus. can-
xxxi		11	10	xxv	tetur per ij. hebd.
Febru. j.		12	11	xxv	
		13	12	xxv	
iii		14	13	xxv	
iiii		15	14	xxv	
v. 6.		16	15	xxv	
vi		17	16	xxiiii	Omnia. Involūtate.
vii		18	17	xxiiii	& Si iniquitates. &c.
viii		19	18	xxiiii	quodlibet per vnam
ix		20	19	xxiiii	hebd. Dicit Domi-
x		21	20	xxiiii	nus. bis in vltima
iiii	Febru: xi	22	21	xxiiii	hebdo.
v 6	xii	23	22	xxiiii	In voluntate. & Si iniqui-
vi	xiii	24	23	xxiii	tates. in penultima hebd.
vii	xiiii	25	24	xxiii	& Dicit Dominus. bis in
viii	xv		25		vltima hebd.

DE INDICTIONE.

INdictio eſt reuolutio quindecim annorum ab vno vſque ad 15. qua reuolutione peracta, iterum reditur ad 1. ſumitque initium nunc cum anno, id eſt à primo die Ianuarij. Anno præſenti 1616. currit 14. anno verò proximè ſequenti nimirum 1617. curret 15. & quo expleto, anno 1618. curret 1. & 1619. curret 2. 1620. 3. & ita in poſterum.

ADMONITIO.

NE quicquam deeſſet ex requiſitis ad conſcribendam tabellam annuatim cereo Paſchali affigendam, poſt aſſignatam Indictionem Rom. annotandum duximus annum à creatione mundi ex D. Cardinalis Baronij annalibus collectum. Eſt autem annus mundi prior ann. Incarnationis Domini Chriſti 4607. annis, ſecundum dictorum annalium ſupputationem: vnde colligimus annum præſentem Chriſti 1616. eſſe annum mundi 6223. annum verò proximè ſequentem fore. 6224.

Cui primus locus tribuatur in dicta tabella, ſcilicet. 6224.
Secundus anno Chriſti. 1617
Tertius litteræ Dominicali, quæ per totum annum (cum ſit communis) erit A
Quartus aureo numero, qui erit 3
Quintus Epactæ, quæ erit 23
Sextus Indictioni, quæ erit 15
Septimus anno exordij ſiue fundationis Ciſtercij, qui erit (iuxta hos verſus) 519
Anno milleno centeno bis minus vno.
Sub patre Roberto cœpit Ciſtercius ordo.
Item ponatur annus propriæ fundationis in monaſteriis à dicto Ciſtercio immediatè deriuatis.
In deriuatis autem per aliquam è quatuor primis poſt Ciſtercium ponatur annus fundationis ipſius, videlicet Firmitatis (cuius nunc currit an. 505.) aut Pontigniaci (cuius an. eſt. 503.) aut Claræuallis aut Morimundi (quorum an. eſt 502.) in ſuis lineis. Tandem an. propriæ fundationis.
Liberum ſit annectere in altera columna, annos inſigniorum Magiſtratuum, vt Pontificatus Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ, Sereniſſimi Imperatoris, Regis aut Principis proprij.
Item Reuerendiſſimi D. Ciſtercij Abbatis.
DD. Abbatum dictorum quatuor primorũ monaſteriorum in ſuis lineis.
Et tandem proprij Abbatis regularis.
Hæc autem vt quæ diuiſione feſtorum, & modo canendi Kyrie eleiſon dicta ſunt, addita ſunt ad planiorem huius operis, & ad ipſum ſpectãtium intelligentiam & puritatem, & ne paginæ vacuæ remanerent.

Cyclus

Cyclus Epacta-rum.	Lit-tera Do.		Dies men-ſis.	IANVARIVS habet dies xxxj. Luna verò xxx. Nox habet horas xvj. Dies verò viij.
*	A	Kal.	1	Circuncíſio Domini xii. lect. ii. Miſſæ. ✠
xxix	b	iiij	2	**Octaua Sancti Stephani.** Miſſ.
xxviij	c	iij	3	**Octa. S. Ioannis.** Miſſ. **S. Genouefæ virg.** cõme.
xxvij	d	Prid.	4	**Octaua S. Innocentium.** Miſſa.
xxvi	e	Non.	5	**Vigilia Epiphaniæ.** Miſſa.
25. xxv	f	viij	6	Epiphania Domini. xii. lect. Sermo. ii. Miſſæ. ✠
xxiiij	g	vij	7	
xxiij	A	vj	8	
xxij	b	v	9	
xxj	c	iiij	10	S. Guillermi Epiſc. xii. lect. ii. Miſſ. **S. Pauli primi Eremitæ.** commemo.
xx	d	iij	11	Commemoratio Epiſcoporum & Abbatum. **Præſta Domine.** pluraliter. ſola.
xix.	e	Prid.	12	
xviij	f	Idib.	13	Oct. Epi. xii. lec. **SS. Hilarij & Remigij Epiſ.** cõme.
xvij	g	xix	14	Kalendas Februarij. **S. Felicis in Pincis.** Miſſa.
xvj	A	xviii	15	**Nomine IESV. ii.** Miſſę **S. Mauri Abbatis.** cõme.
xv	b	xvij	16	**S. Marcelli Papæ martyris.** Miſſa.
xiiij	c	xvj	17	S. Antonij Abbatis. xii. lect. Miſſa. **SS. Speuſippi, Eleuſippi & Meleuſippi mart.** commemo.
xiij	d	xv	18	**S. Priſcæ virginis & martyris.** Miſſa.
xij	e	xiiij	19	
xj	f	xiij	20	SS. Fabiani & Sebaſtiani mart. xii. lect. Miſſa.
x	g	xij	21	S. Agnetis virginis & mart. xii. lect. Miſſa.
ix	A	xj	22	S. Vincentij martyris. xii. lect ii Miſſæ.
viij	b	x	23	**S. Emerentianæ virginis & martyris.** comme.
vij	c	ix	24	
vj	d	viij	25	Cõuerſio S. Pauli. xii. lect. ii. Miſſ. **S. Preiecti Epiſ. & mart.** comme.
v	e	vij	26	
iiij	f	vj	27	In Collegio D. Bernardi Pariſ. S. Ioãnis Chryſoſt. xii. lect. ii. Miſſæ.
iij	g	v	28	**S. Agnetis ſecundò.** Miſſa.
ii	A	iiij	29	S. Iuliani Epiſcopi Confeſſ. xii lectiones Miſſa.
j	b	iij	30	
*	c	Prid.	31	

Poſt feſtum ſtellæ, numerando perfice Lunæ.
Quadraginta dies: hinc ſeptuageſima fiet.
Si cadat in lucem Domini, tunc pone ſequentem.

Februarius algeo clamat.

Cyclus Epacta-rum.	Litera Do.		Dies menſis.	FEBRVARIVS habet dies xxviij. Si fuerit biſſextilis xxix. Luna verò xxix. Nox habet horas xiiij. Dies verò x.
xxix	d	Kal.	1	S. Ignatij Epiſcopi & martyris. cõme. S. Brigidæ virginis. comme. Miſſa. Salue ſancta.
xxviii	e	iiii	2	Purificatio B. Mariæ. xii. lect. Sermo. ii Miſſæ. ✠
xxvii	f	iii	3	
25· xxvi	g	Prid.	4	
25. xxiiii	A	Non.	5	S. Agathæ virginis & martyris. xii. lect. Miſſa.
xxiii	b	viii	6	S. Vedaſti & Amandi Epiſcoporum. comme.
xxii	c	vii	7	
xxi	d	vi	8	
xx	e	v	9	Octaua Purificationis. commemo. Miſſa.
xix	f	iiii	10	S. Soteris virginis & martyris. commemoratio S. Scolaſticæ virginis. commemoratio.
xviii	g	iii	11	
xvii	A	Prid.	12	
xvi	b	Idib.	13	
xv	c	xvi	14	Kalendas Martij. S. Valentini mart. cõme. Miſſ. SS. Vitalis, Feliculæ, & Zenonis mar. commemo.
xiiii	d	xv	15	
xiii	e	xiiii	16	S. Iulianæ virginis & martyris commemo.
xii	f	xiii	17	
xi	g	xii	18	
x	A	xi	19	
ix	b	x	20	
viii	c	ix	21	
vii	d	viii	22	Cathedra S. Petri Apoſtoli. xii. lect. Miſſa.
vi	e	vii	23	
v	f	vi	24	S. Matthiæ Apoſtoli. xii. lect. duæ Miſſæ. ✠
iiii	g	v	25	
iii	A	iiii	26	
ii	b	iii	27	
i	c	Prid.	28	

Poſt Agathæ feſtum vbi ſit noua luna requiras:
In dies Domini ſequens quadrageſima fiet.

In anno Biſſextili Februarius eſt dierum 29. & feſtum S. Matthiæ celebratur 25. Februarij (niſi Dominica I. aut xl. euenerit) & martyrologio, bis dicitur, ſexto Kalendas, id eſt, die 24. & die 25. & littera Dominicalis, quæ aſſumpta fuit in menſe Ianuario, mutatur in præcedentem: Vt ſi in Ianuario littera Dominicalis fuit A, muretur in præcedentem, quæ eſt G, &c.

Cyclus Epactarum.	Littera Do.		Dies menſis.	MARTIVS habet dies xxxj. Luna verò x Nox habet horas xii. Dies verò xij.
*	d	Kal.	1	S. Albini Epiſcopi. commemoratio.
xxix	e	vj	2	
xxviij	f	v	3	
xxvij	g	iiij	4	
xxvi	A	iij	5	
25. xxv	b	Prid.	6	
xxiiij	c	Non	7	S. Thomæ de Aquino Cōfeſſoris. xii. Lect. Mi
xxiij	d	viij	8	
xxij	e	vij	9	
xxj	f	vj	10	
xx	g	v	11	
xix	A	iiij	12	S. Gregorij Papæ xii. lect. ii. Miſſæ.
xviij	b	iij	13	
xvij	c	Prid.	14	
xvj	d	Idib.	15	
xv	e	xvij	16	Kalendas Aprilis.
xiiij	f	xvj	17	
xiij	g	xv	18	
xij	A	xiiij	19	Ioſeph ſponſi virginis Mariæ. xii lect. ii. Miſſæ
xj	b	xiij	20	S. Cuthberti Epiſcopi & confeſſoris. comme Anglia. xii. lect. ii Miſſ.
x	c	xij	21	S. Benedicti Abbatis. xii. lect. Sermo duæ Miſſ
ix	d	xj	22	
viij	e	x	23	
vij	f	ix	24	
vj	g	viij	25	Annūtiatio Dominica. xii. lect. Sermo. ii. Miſſ.
v	A	vij	26	
iiij	b	vi	27	
iij	c	v	28	
ii	d	iiij	29	
j	e	iij	30	
*	f	Prid.	31	

Poſt Nonas Martias vbi ſit noua Luna requiras,
Inde dies Domini tertia Paſcha fiet.

APRILIS habet dies xxx. Luna verò xxix. Nox habet horas x. Dies verò xiiij.

Cyclus Epactarum.	Litteræ Do.		Dies menſis.	
xxix	g	Kal.	1	
xxviii	A	iiii	2	S. Franciſci de Paula, confeſſ. xii. lect. Miſſa.
xxvii	b	iii	3	
25. xxvi	c	Prid.	4	S. Ambroſij Epiſcopi. xii. lect. ii. Miſſæ.
25. xxiiii	d	Non.	5	
xxiii	e	viii	6	
xxii	f	vii	7	
xxi	g	vi	8	
xx	A	v	9	
xix	b	iiii	10	
xviii	c	iii	11	
xvii	d	Prid.	12	
xvi	e	Idib.	13	
xv	f	xviii	14	Kalendas Maij. **SS. Tiburtij, Valeriani, & Maximi mart.** Miſſa.
xiiii	g	xvii	15	
xiii	A	xvi	16	
xii	b	xv	17	
xi	c	xiiii	18	
x	d	xiii	19	
ix	e	xii	20	
viii	f	xi	21	
vii	g	x	22	
vi	A	ix	23	**S. Georgij martyris.** Miſſa.
v	b	viii	24	
iiii	c	vii	25	S. Marci Euangeliſtæ. xii. lectiones. Letania maior. ii. Miſſæ.
iii	d	vi	26	
ii	e	v	27	
i	f	iiii	28	**S. Vitalis martyris.** Miſſa.
*	g	iii	29	S. Roberti Abbatis xii. lect. ii. Miſſæ. **S. Hugonis Abbatis.** Miſſa.
xxix	A	Prid.	30	S. Petri martyris. xii. lect. Miſſa.

Cyclus Epacta rum.	Litera Do.		Dies menſis.	MAIVS habet dies xxxj. Luna verò xxx. Nox habet horas viij. Dies verò xvj.
xxviij	b	Kal.	1	SS. Philippi & Iacobi Apoſt. xij. lect. ij. Miſſæ. ✠
xxvij	c	vj	2	
xxvj	d	v	3	Inuentio S. Crucis. & SS. Alexandri Euentij & Theoduli mart. xii. lect. ii. Miſſ.
25. xxv	e	iiij	4	
xxiiij	f	iij	5	
xxiij	g	Prid	6	S. Ioannis ante portam Latinam xii lect. Miſſa.
xxij	A	Non.	7	Tranſlatio S. Guillermi.
xxj	b	viij	8	S Petri Epiſcopi & Confeſſ. xii. lect. ii. Miſſæ.
xx	c	vij	9	Tranſlatio S. Nicolai.
xix	d	vj	10	SS. Gordiani & Epimachi martyrum. Miſſa.
xviij	e	v	11	S. Mammerti Epiſcopi. commemo.
xvij	f	iiij	12	SS. Nerei, Achillei atque Pancratij mart. Miſſa.
xvj	g	iij	13	S. Seruatij Epiſcopi Confeſſoris. commemo.
xv	A	Prid	14	
xiiij	b	Idib.	15	
xiij	c	xvij	16	Kalendas Iunij.
xij	d	xvj	17	
xj	e	xv	18	
x	f	xiiij	19	S. Iuonis Cõf. xij. lec. Miſſa S. Potẽtianæ vg. com.
ix	g	xiij	20	Dedicatio firmitatis. Commemoratio perſonarum reg. ordinis. Omnipotens. ſola.
viij	A	xij	21	
vij	b	xj	22	
vj	c	x	23	S. Deſiderij Epiſcopi & martyris. commemo.
v	d	ix	24	SS. Donatiani & Rogatiani mart. commemo.
iiij	e	viij	25	S. Vrbani Papæ & martyris Miſſa.
iij	f	vij	26	
ij	g	vj	27	
j	A	v	28	
*	b	iiij	29	
xxix	c	iij	30	
xxviij	d	Prid.	31	S. Petronillæ virginis. commemoratio.

Dat Iunius ſena.

Cyclus Epactarum	Litera Do		Dies menſis	IVNIVS habet dies xxx. Luna verò xxix. Nox habet horas vi. Dies verò xviii.
xxvii	e		1	S. Nicomedis martyris. Miſſa.
25 xxvi	f	iiii	2	SS. Marcellini & Petri martyrum Miſſa.
25.xxiiii	g	iii	3	
xxiii	A	Prid.	4	
xxii	b	Non.	5	
xxi	c	viii	6	
xx	d	vii	7	
xix	e	vi	8	S.Medardi Epiſcopi. commemoratio.
xviii	f	v	9	Tranſlatio S. Edmundi, SS. Primi & Feliciani martyrum. Miſſa.
xvii	g	iiii	10	
xvi	A	iii	11	S.Barnabæ Apoſtoli. xii.lect .ii.Miſſ.
xv	b	Prid.	12	SS.Baſilidis,Cyrini,Naboris,Nazarii mart. Miſſa
xiiii	c	Idib.	13	
xiii	d	xviii	14	Kalendas Iulii.
xii	e	xvii	15	S. Viti martyris. commemoratio.
xi	f	xvi	16	SS. Cyrici & Iulitæ mart. commemoratio.
x	g	xv	17	
ix	A	xiiii	18	SS.Marci & Marcelliani martyrum. Miſſa.
viii	b	xiii	19	SS. Geruaſij & Protaſij mart. Miſſa. In Cenom. ii. Miſſ. ✠
vii	c	xii	20	
vi	d	xi	21	
v	e	x	22	S. Albani martyris. commemoratio.
iiii	f	ix	23	Vigilia. Miſſa.
iii	g	viii	24	Natiuitas S. Ioannis Baptiſtæ xii. lectio. ii. Miſſæ Sermo ✠
ii	A	vii	25	
i	b	vi	26	SS.Ioannis & Pauli martyrum xii.lect. Miſſa.
*	c	v	27	
xxix	d	iiii	28	Vigilia.Miſſa. S.Leonis Papæ.comme. SS.Irenæi ſociorumque eius. commemo.
xxviii	e	iii	29	SS. Petri & Pauli Apoſtolorum xii.lect.ii. Miſſæ. Sermo. ✠
xxvii	f	Prid.	30	Commemoratio S. Pauli.xii. lect.Miſſa. S. Marcialis Epiſcopi. commemoratio.

IVLIVS

Digitized by Google

Cyclus Epacta-rum.	Lit-tera Do		Dies men-ſis.	IVLIVS habet dies xxxj. Luna verò xxx. Nox habet horas viii. Dies verò xvj.
xxvi	g	Kal.	1	Octa. S. Ioannis Baptiſtæ. xii. lect. Miſſa.
25. xxv	A	vi	2	Viſitatio B. Mariæ xii. lect. ii. Miſſæ. Sermo SS. Proceſſi & Martiniani. Miſſa. ✠
xxiiii	b	v	3	
xxiii	c	iiii	4	Tranſlatio S. Martini Epiſcopi. Miſſa.
xxii	d	iii	5	
xxi	e	Prid.	6	Octaua SS. Petri & Pauli Apoſt. xii. lect. Miſſa.
xx	f	Non.	7	
xix	g	viii	8	
xviii	A	vii	9	Octa. Viſitationis B. Mariæ. xii. lect. Miſſa.
xvii	b	vi	10	SS. Septem fratrum martyrum. Miſſa.
xvi	c	v	11	Tranſlatio S. Benedicti Abbatis. xii. lect. Miſſa.
xv	d	iiii	12	
xiiii	e	iii	13	
xiii	f	Prid.	14	In Claraualle. SS. Eutropij, Zozimæ & Bonoſæ mart. xii. lect. ii. Miſſæ.
xii	g	Idib.	15	
xi	A	xvii	16	Kalendas Auguſti.
x	b	xvi	17	
ix	c	xv	18	
viii	d	xiiii	19	
vii	e	xiii	20	S. Margaretæ virginis. commemoratio.
vi	f	xii	21	S. Praxedis virginis. commemoratio.
v	g	xi	22	S. Mariæ Magdalenæ xii. lect. duæ Miſſæ. ✠
iiii	A	x	23	S. Apollinaris Epiſcopi & martyris. Miſſa.
iii	b	ix	24	S. Chriſtinæ virginis & martyris. commemo.
ii	c	viii	25	S. Iacobi Apoſtoli xii. lect. ii. Miſſæ ✠ SS. Chriſtophori & Cucufatis mart. commemo.
j	d	vii	26	S. Annæ matris B. Mariæ xii. lect. ii Miſſæ.
*	e	vi	27	
xxix	f	v	28	SS. Nazarij, Celſi & Pantaleonis mart. comme.
xxviii	g	iiii	29	S. Felicis Papæ mart. Miſſa. SS. Simplicij, Fauſtini & Beatricis mart. commemo.
xxvii	A	iii	30	SS. Abdon & Sennos mart. commemo. Miſſa.
25. xxvi	b	Prid.	31	S. Germani Epiſcopi. commemoratio.

Cyclus Epacta-rum.	Litera Do.		Dies menſis.	
25. xxiiij	c	Kal.	1	S. Petri ad vincula xii.lect. ii. Miſſæ. SS. Machabæorum mart. comme. S.Euſebij Epiſcopi & martyris. commemoratio.
xxiij	d	iiij	2	S. Stephani Papæ & martyris. Miſſa.
xxij	e	iij	3	Inuentio S. Stephani Protomart. xii. lect. Miſſa.
xxj	f	Prid.	4	
xx	g	Non.	5	S. Dominici Confeſſoris xii. lect. Miſſa.
xix	A	viij	6	S.Sixti Papæ & mart. Miſſ. SS. Feliciſſimi & Agapiti mart. commemo.
xviij	b	vij	7	S.Donati Epiſcopi & martyris. comme.
xvij	c	vj	8	SS.Cyriaci ſociorumque eius mart. Miſſa.
xvj	d	v	9	Vigilia. Miſſa. S.Romani mart. comme.
xv	e	iiij	10	S. Laurentij martyris xii. lect. duæ Miſſæ ✠
xiiij	f	iij	11	S.Coronæ ſpineæ Domini xii.lect.ii. Miſſæ. S.Tiburtij martyris. Miſſa.
xiij	g	Prid.	12	
xij	A	Idib.	13	SS.Hippolyti mart. cum ſociis ſuis. Miſſa.
xj	b	xix	14	Kalendas Sept. Vigilia. Miſſa. Sancti Euſebij Confeſſoris. commemoratio.
x	c	xviij	15	Aſſũptio B.Mariæ xii. lect. Sermo. duæ Miſſæ. ✠
ix	d	xvij	16	S. Rochi Confeſſoris. ii. Miſſæ Pariſ.
viij	e	xvj	17	Octaua S. Laurentij. Miſſa. S. Mammetis mart. cõme. In Epiſcopatu Lingoñ xii. lect. ii. Miſſæ.
vij	f	xv	18	S. Agapiti martyris. commemo.
vj	g	xiiij	19	S. Magni martyris. commemo.
v	A	xiij	20	S.Bernardi Abbatis. xii. lect. Sermo. duæ Miſſę. ✠
iiij	b	xij	21	
iij	c	xj	22	Octaua Aſſump. B.Mariæ. xii.lect. Miſſa. SS. Timothæi & Symphoriani mart. comme.
ij	d	x	23	
j	e	ix	24	S.Bartholomæi Apoſtoli. xii lect. ii. Miſſæ. ✠
*	f	viij	25	S.Ludouici Regis Franc. Cõfeſſ. xii. lect. ii. Miſſæ. S.Geneſij mart. comme.
xxix	g	vij	26	
xxviij	A	vj	27	Octa. S.Bernardi. xii. lec. Miſſ. S.Rufi mart. cõme.
xxvij	b	v	28	S.Auguſtini Epiſcopi xii. lect. ii. Miſſæ. S.Hermetis martyris. comme.
xxvj	c	iiij	29	Decollatio S. Ioannis Bapt. xii. lect. ii. Miſſæ. S.Sabinæ virginis. Miſſa.
25. xxv	d	iij	30	SS. Felicis & Adaucti mart. Miſſa.
xxiiij	e	Prid.	31	

AVGVSTVS habet dies xxxj. Luna verò xxx. Nox habet horas x. Dies verò xiiij.

September colligit vuas.

Cyclus Epactarum.	Litera Do.		Dies menſis.	SEPTEMBER habet dies xxx. Luna verò xxix. Nox habet horas xii. Dies verò xij.
xxiii	f	Kal.	1	**S. Ægidij Abbatis.** Miſſa. **S. Priſci mart.** comme
xxii	g	iiii	2	
xxi	A	iii	3	
xx	b	Prid.	4	**S. Marcelli martyris.** commemoratio.
xix	c	Non	5	
xviii	d	viii	6	
xvii	e	vii	7	**Morimundi dedic S. Euurcij Epiſc.** commemo. vigil. Miſſa. S **alue ſancta.**
xvi	f	vi	8	Natiuitas B. Mariæ. xii. lect ii. Miſſæ. Sermo. ✠ **S. Adriani mart.** commemo.
xv	g	v	9	**S. Gorgonij martyris.** Miſſa.
xiiii	A	iiii	10	
xiii	b	iii	11	**SS. Prothi & Hyacinthi martyrum.** Miſſa.
xii	c	Prid.	12	
xi	d	Idib.	13	
x	e	xviii	14	Kalend. Octob. Exaltatio S. Crucis. **& SS. Cornelij & Cypriani mart.** xii. lect. ii. Miſſæ 1. de SS. 2. de Cruce. ✠
ix	f	xvii	15	Octaua natiuitatis B. Mariæ. xii. lect. Miſſ. **S. Nicomedis mart.** commemoratio.
viii	g	xvi	16	**S. Eufemiæ virginis.** Miſſa. **SS. Luciæ & Geminiani mart.** commemo.
vii	A	xv	17	S. Lamberti Epiſcopi & mart. xii. lect. Miſſa.
vi	b	xiiii	18	Solemne tricennarium. D**eus veniæ.** & P**ræſta Domine.**
v	c	xiii	19	**S. Sequani Abbatis.** commemo.
iiii	d	xii	20	**Vigilia.** Miſſa.
iii	e	xi	21	S. Matthæi Apoſtoli & Euãg. xii. lect. ii. Miſſæ. ✠
ii	f	x	22	SS. Mauricij ſociorumque eius. xii. lect. Miſſa.
j	g	ix	23	
*	A	viii	24	**SS. Andochij, Tirſi & Felicis mart.** commemo.
xxix	b	vii	25	
xxviii	c	vi	26	
xxvii	d	v	27	**SS. Coſmæ & Damiani martyrum.** Miſſa.
25. xxvi	e	iiii	28	**S. Vvanzelai martyris.** Miſſa.
25. xxiiii	f	iii	29	S. Michaëlis Archangeli. xii. lect. ii. Miſſæ. ✠
xxiii	g	Prid.	30	S. Hieronymi Presbyteri. xii. lect. ii. Miſſæ.

Seminat October.

OCTOBER habet dies xxxj Luna verò xxx. Nox habet horas xiiij. Dies verò x.

Cyclus Epactarum.	Littera Do.		Dies menſis.	
xxij	A	Kal.	1	S.Remigij Epiſcopi.xii.lect. Miſſa. SS. Germani & Vedaſti Epiſcoporum. commemo.
xxj	b	vj	2	S. Leodegarij Epiſcopi & martyris. commemo.
xx	c	v	3	
xix	d	iiij	4	S.Franciſci Confeſſoris.xii.lect. Miſſa.
xviij	e	iij	5	
xvij	f	Prid.	6	
xvj	g	Non	7	S. Marci Papæ. Miſſa. SS. Marcelli, Apulei, Sergij & Bacchi martyrum. commemo.
xv	A	viij	8	
xiiij	b	vij	9	SS. Dionyſij cum ſociis ſuis.xii.lect. duæ Miſſæ.
xiij	c	vj	10	
xij	d	v	11	
xj	e	iiij	12	
x	f	iij	13	Dedicatio B.Mariæ Claræuallis. xii. lect. Sermo. ij. Miſſæ. ibidem. ✠
ix	g	Prid.	14	S. Calixti Papæ & martyris. commemoratio.
viij	A	Idib.	15	
vij	b	xvij	16	Kalendas Nouembris.
vj	c	xvj	17	Dedicatio B. Mariæ. Ciſtercij. xii. lect. Sermo. ii. Miſſæ. ibidem. ✠
v	d	xv	18	S. Lucæ Euangeliſtæ. xii. lect. ii. Miſſæ.
iiij	e	xiiij	19	
iij	f	xiij	20	Pontigniaci & Karoliloci dedicatio.
ij	g	xij	21	SS. Vndecim millium virginum.xii.lect.ii.Miſſæ.
j	A	xj	22	
*	b	x	23	
xxix	c	ix	24	
xxviij	d	viij	25	SS. Criſpini & Criſpiniani martyrum. comme.
xxvij	e	vij	26	
xxvj	f	vj	27	Vigilia. Miſſa.
25.xxv	g	v	28	SS. Simonis & Iudæ Apoſtolorum. xii. lect. duæ Miſſæ. ✠
xxiiij	A	iiij	29	
xxiij	b	iij	30	
xxij	c	Prid.	31	Vigilia. Miſſa. S. Quintini martyris. commemo.

Spoliat virgulta Nouember.

Cyclus Epacta-rum.	Liter. Do		Dies men-ſis.	NOVEMBER habet dies xxx Luna verò xxix. Nox habet horas xvj. Dies verò viij.
xxi	d	Kal.	1	Feſtum omnium Sanctorum. Sermo. xii. lect. ii. Miſſæ. ✠
xx	e	iiii	2	Commemoratio omnium fidelium. Collecta. Fidelium. ſola.
xix	f	iii	3	Huberti confeſſ. in tribus fontibus. Sermo.
xviii	g	Prid.	4	
xvii	A	Non.	5	S. Malachiæ Epiſcopi. xii. lect. duæ Miſſæ.
xvi	b	viii	6	
xv	c	vii	7	
xiiii	d	vi	8	SS. Quatuor Coronatorum. comme. Miſſa.
xiii	e	v	9	S. Theodori martyris. comme. Miſſa.
xii	f	iiii	10	
xi	g	iii	11	S. Martini Epiſcopi xii. lect. duæ Miſſæ. S. Mennæ martyris. commemoratio.
x	A	Prid	12	
ix	b	Idib.	13	S. Brictij Epiſcopi. commemoratio.
viii	c	xviii	14	Kalendas Decembris.
vii	d	xvii	15	
vi	e	xvi	16	S. Edmundi Epiſcopi. xii. lect. duæ Miſſæ.
v	f	xv	17	S. Aniani Epiſcopi. commemoratio.
iiii	g	xiiii	18	
iii	A	xiii	19	S. Elizabeth viduæ. commemoratio.
ii	b	xii	20	Commemoratio parentum & fratrum noſtrorum. Collecta. Deus cui proprium. ſola.
j	c	xi	21	Præſentatio virginis Mariæ. S. Columbani Abbatis. commemoratio.
*	d	x	22	S. Ceciliæ virginis & martyris. xii. lect. Miſſa.
xxix	e	ix	23	S. Clementis Papæ. xii. lect. Miſſa. Sanctæ Felicitatis martyris commemoratio.
xxviii	f	viii	24	S. Chryſogoni martyris. commemoratio.
xxvii	g	vii	25	S. Catherinæ virginis & martyris. xii. lec. ii. Miſſæ.
25 xxvi	A	vi	26	
25. xxiiii	b	v	27	SS. Agricolæ & Vitalis martyrum. commemo.
xxiii	c	iiii	28	
xxii	d	iii	29	Vigilia. Miſſa. S. Saturnini martyris. comme.
xxi	e	Prid.	30	S. Andreæ Apoſtoli. xii. lect. duæ Miſſæ. ✠

Cyclus Epactarum.	Littera Do.		Dies menſis.	DECEMBER habet dies xxxj. Luna verò xxx. Nox habet horas xviij. Dies verò vj.
xx	f	Kal.	1	S. Eligij Epiſcopi xii. lect. ii. Miſſ. SS. Chryſanti, Mauri, & Dariæ mart.
xix	g	iiij	2	
xviij	A	iij	3	
xvij	b	Prid.	4	
xvj	c	Non.	5	
xv	d	viij	6	S. Nicolai Epiſcopi. xii. lect. ii. Miſſæ.
xiiij	e	vij	7	Octaua S. Andreæ. Miſſa.
xiij	f	vj	8	Concep. B. Mariæ virg. xii. lect. Sermo. ii. Miſſ. ✠
xij	g	v	9	
xj	A	iiij	10	
x	b	iij	11	S. Damaſi Papæ. commemo.
ix	c	Prid.	12	
viij	d	Idib.	13	S. Luciæ virginis & martyris. xii. lect. Miſſa.
vij	e	xix	14	Kalendas Ianuarij.
vj	f	xviij	15	
v	g	xvij	16	S. Barbaræ virginis & martyris. commemo.
iiij	A	xvj	17	Ad Magnificat Antiphona. O Sapientia.
iij	b	xv	18	
ij	c	xiiij	19	
j	d	xiij	20	
*	e	xij	21	S. Thomæ Apoſtoli. xii. lect. ii. Miſſæ. ✠
xxix	f	xj	22	
xxviij	g	x	23	
xxvij	A	ix	24	Vigilia. Miſſa.
xxvj	b	viij	25	Natiuitas Domini noſtri Ieſu Chriſti. xii. lect. Sermo. iii. Miſſæ. ✠
25. xxv	c	vij	26	S. Stephani Prothomartyris xii. lect. ii. Miſſæ. ✠
xxiiij	d	vj	27	S. Ioannis Euangeliſtæ. xii. lect. ii. Miſſæ. ✠
xxiij	e	v	28	Sanctorum Innocentium. xii. lect. ii. Miſſæ. ✠
xxij	f	iiij	29	S. Thomæ Epiſcopi & martyris. xii. lect. ii. Miſſæ.
xxj	g	iij	30	Miſſa. P uer natus. Euangelium. E xiit edictum.
19. xx	A	Prid.	31	S. Silueſtri Papæ. xii. lect. Miſſa.

Hæc Epacta 19. nigra nunquam eſt in vſu, niſi quando eodem anno concurrit cum aureo numero xix.

RITVS CELEBRANDI MISSAM SECVNDVM VSVM SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ IN GRATIAM

illorum religioſorum Ordinis noſtri Ciſtercienſis hîc inſerti, quibus eorumdem vtendorum à Reuerendiſſimo D. noſtro Generali Ciſtercienſi, aut Capitulo eiuſdem Ordinis generali facta fuerit poteſtas.

De præparatione Sacerdotis celebraturi.

1

SAcerdos celebraturus Miſſam præuia Confeſſione ſacramentali, quando opus eſt, & ſaltem Matutino cum Laudibus abſoluto, orationi aliquantulum vacet, & Orationes inferiùs poſitas pro temporis opportunitate dicat. Deinde accedit ad locum in Sacriſtia, vel alibi præparatum, vbi paramenta, aliaque ad celebrationem neceſſaria habentur: accipit Miſſale, perquirit Miſſam, perlegit, & ſignacula ordinat ad eà quæ dicturus eſt. Poſtea lauat manus, dicens Orationem inferiùs poſitam. Deinde præparat Calicem, (qui debet eſſe vel aureus, vel argenteus, aut ſaltem habere cuppam argenteam intus inauratam, & ſimul cum Patena itidem inaurata, ab Epiſcopo conſecratus:) ſuper eius os ponit purificatorium mundum, & ſuper illud Patenam cum Hoſtia integra, quam leuiter extergit, ſi opus eſt, à fragmentis, & eam tegit parua palla linea, tum velo ſerico: ſuper velo ponit burſam coloris paramentorum, intus habentem Corporale plicatum, quod ex lino tantùm eſſe debet, nec ſerico vel auro in medio intextum, ſed totum album, & ab Epiſcopo, vel alio habente facultatem, ſimul cum palla benedictum.

2 Quibus ita diſpoſitis accedit ad paramenta, quæ non debent eſſe lacera aut ſciſſa, ſed integra, & decenter munda ac pulchra, & ab Epiſcopo item, vel alio facultatem habente benedicta: vbi calceatus pedibus, & indutus veſtibus ſibi conuenientibus, quarum exterior ſaltem talum pedis attingat: induit ſe, ſi ſit Prælatus ſæcularis, ſupra rochettum: ſi ſit Prælatus regularis, vel alius Sacerdos ſæcularis ſupra ſuperpelliceum, ſi commodè haberi poſſit, alioquin ſine eo ſupra veſtes communes, dicens ad ſingula ſingulas Orationes inferiùs poſitas.

3 Ac primum accipiens Amictum circa extremitates & chordulas, oſculatur illud in medio, vbi eſt Crux, & ponit ſuper caput, & mox declinat ad collum, & eo veſtium collaria circuntegens, ducit chordulas ſub brachijs, & circumducens per dorſum, ante pectus reducit & ligat. Tum Alba induitur, caput ſubmittens, deinde manicam dextram brachio dextro & ſiniſtram ſiniſtro imponens. Albam ipſam corpori adaptat, eleuat ante, & à lateribus hinc inde, & Cingulo per miniſtrum à tergo ſibi porrecto, ſe cingit. Miniſter eleuat Albam ſuprà Cingulum circumcirca, vt honeſtè dependeat, & tegat veſtes: ac eius fimbrias diligenter aptat, vt ad latitudinem digiti vel circiter ſupra terram æqualiter fluat. Sacerdos accipit Manipulum, oſculatur Crucem in medio, & imponit brachio ſiniſtro. Deinde ambabus manibus accipiens Stolam, ſimili modo deoſculatur, & imponit medium eius collo, ac tranſuerſando eam ante pectus in modum Crucis, ducit partem à ſiniſtro hu-

Digitized by Google

mero pendentem ad dextram, & partem à dextro humero pendentem ad ſiniſtram. Sicque vtramque partem Stolæ extremitatibus Cinguli hinc inde ipſi Cingulo coniungit.

4 *Si Celebrans ſit Epiſcopus, non ducit Stolam ante pectus in modum Crucis, ſed ſinit hinc inde vtraſque extremitates pendere, & antequam accipiat Stolam accipit paruam Crucem pectoralem, quam oſculatur, & collo impoſitam ſinit ante pectus chordulis pendere. Manipulum quoque non accipit ante Stolam, niſi in Miſſis Defunctorum, ſed accipit ad Altare, cùm in Confeſſione dicit, Indulgentiam, illumque priùs oſculatur.*

Poſtremò Sacerdos accipit Planetam.

5 *Si ſit Epiſcopus, & ſolemniter celebret, accipit paramenta, & alia vt in Pontificali.*

De ingreſſu Sacerdotis ad Altare.

II.

Sacerdos omnibus paramentis indutus, accipit manu ſiniſtra Calicem vt ſuprà præparatum, quem portat eleuatum ante pectus, burſam manu dextra ſuper Calice tenens, & facta reuerentia Cruci, vel imagini illi, quæ in Sacriſtia erit, capite cooperto accedit ad Altare, miniſtro cum Miſſali, & alijs ad celebrandum neceſſarijs (niſi antè fuerint præparata) præcedente ſuperpelliceum induto. Procedit autem oculis demiſſis, inceſſu graui, erecto corpore. Si verò contigerit eum tranſire ante Altare maius, capite cooperto faciat ad illud reuerentiam: ſi ante locum Sacramenti, genuflectat. Si ante Altare vbi celebretur Miſſa, in qua eleuatur vel tunc miniſtratur Sacramentum, ſimiliter genuflectat, & detecto capite illud adoret, nec ante ſurgat, quam Celebrans depoſuerit Calicem ſuper Corporale.

2 Cùm peruenerit ad Altare, ſtans ante illius infimum gradum, caput detegit, biretum miniſtro porrigit, & Altari, ſeu imagini Crucifixi deſuper poſitæ profunde inclinat. Si autem in eo ſit tabernaculum ſanctiſſimi Sacramenti, genuflectens debitam facit reuerentiam. Tunc aſcendit ad medium Altaris, ibi ad cornu Euangelij ſiſtit Calicem, extrahit Corporale de burſa, quod extendit in medio Altaris, & ſuper illud Calicem velo coopertum collocat, burſam autem ad cornu Euangelij. Si in Altari paramenta accepit, hoc idem facit antequam deſcendat ab Altari Miſſam inchoaturus.

3 Si eſt conſecraturus plures Hoſtias pro Communione facienda, quæ ob quantitatem ſuper Patena manere non poſſint, locat eas ſuper Corporale ante Calicem, aut in aliquo calice vel vaſe mundo conſecrato ponit eas retro poſt Calicem, & alia patena ſeu palla cooperit.

4 Collocato Calice in Altari, accedit ad cornu Epiſtolæ, Miſſale ſuper cuſſino aperit, reperit Miſſam, & ſignacula ſuis locis accommodat. Deinde rediens ad medium Altaris facta primùm Cruci reuerentia vertens ſe à cornu Epiſtolæ, deſcendit poſt infimum gradum Altaris, vt ibi faciat Confeſſionem: quod item obſeruatur in Miſſa ſolemni, & ſimul etiam à miniſtris.

5 *In Miſſa ſolemni Miſſale apertum ſuper Altare, Calix verò & alia neceſſaria præparentur in credentia cooperta linteo, antequam Sacerdos veniat ad Altare. Ipſe autem procedit cum miniſtris, qui ſimul cum eo tenent manus iunctas ante pectus, Acolythi verò deferunt candelabra cum candelis accenſis, quæ deinde collocantur ſuper credentia: & cum peruenerit ad infimum gradum Altaris, ibi medius inter Diaconum à dextris, & Subdiaconum à ſiniſtris, antequam aſcendat ad Altare, facit cum ipſis (vt infra) Confeſſionem.*

6 *In Miſſa Pontificali omnia ſeruentur, vt in Pontificali & Cæremoniali Romano ordinatur*

4 In Miſſa ſolemni Sacerdos facta Confeſſione aſcendit cum miniſtris ad medium Altaris: vbi dicto, Orámus te Dómine, & oſculato Altari ponit incenſum in thuribulum miniſtrante Diacono nauiculam, & Thuriferario thuribulum. Diaconus parûm inclinatus verſus Celebrantem, dicit: Benedícite Pater reuerénde, & oſculatur cochlear & manum Celebrantis ante & poſt. Celebrans ter incenſum ponit in thuribulum, dicens interim. Ab illo benedicáris, & depoſito cochleari, producens manu dextra ſignum Crucis ſuper thus in thuribulo, illud benedicat. Poſtea Diaconus dimiſſa nauicula, accipit thuribulum, & dat Celebranti, oſculata prius catenularum ſummitate, & manu illius dextera: Qui facta Cruci profunda reuerentia, eam ter incenſat, nihil dicens: & facta iterum Cruci reuerentia, incenſat Altare ter, ducens thuribulum æquali diſtantia, prout diſtribuuntur candelabra, à medio eius vſque ad cornu Epiſtolæ: vbi demiſſa manu, thurificat illius poſtremam partem inferiorem, mox ſuperiorem, bis ducto thuribulo: & conuerſus ad Altare eleuans manum incenſat eius planitiem, ſeu menſam in parte anteriori, ter ducens thuribulum vſque ad medium: vbi facta Cruci reuerentia, procedendo thurificat aliud latus Altaris triplici ductu vſque ad cornu Euangelij: & pariter incenſata inferiori & ſuperiori parte ipſius cornu Euangelij duplici ductu, eleuans thuribulum ter incenſat ſuperiorem tabulæ partem verſus medium Altaris, vt fecit in cornu Epiſtolæ: deinde manu aliquantum demiſſa, incenſat anteriorem eius partem ſeu frontem, à cornu Euangelij ter ducens thuribulum vſque ad medium Altaris: & facta Cruci reuerentia incenſat reliquam partem anteriorem vſque ad cornu Epiſtolæ: vbi reddito thuribulo ipſi Diacono, ab eo ipſe ſolus incenſatur.

5 Si verò in Altari fuerint reliquiæ ſeu imagines Sanctorum, incenſata Cruce, antequam diſcedat à medio Altaris, primum incenſat eas quæ à dextris ſunt, id eſt à parte Euangelij propè Crucem, bis ducens thuribulum, & facta Cruci reuerentia, ſimiliter incenſat bis alias, quæ ſunt à ſiniſtris, hoc eſt à parte Epiſtolæ, deinde proſequitur incenſationem Altaris, vt ſuprà, ter ducens thuribulum in vnoquoque latere, etiam ſi in eo eſſent plures reliquiæ vel imagines, ſeu etiam plura vel pauciora candelabra.

6 Si in Altari fuerit tabernaculum ſanctiſſimi Sacramenti, accepto thuribulo antequam incipiat incenſationem, genuflectit, quod item facit quotieſcumque tranſit ante medium Altaris.

7 Diaconus & Subdiaconus hinc inde aſſiſtant Celebranti, dum incenſat, & cùm tranſeunt ante Crucem, ſemper genuflectunt. Deinde, Celebrans, Diacono à dextris eius, Subdiacono à dextris Diaconi ſtantibus in cornu Epiſtolæ, legit, Introitum, & Kyrie eléiſon. Cùm verò intonat hymnum. Glória in excélſis Deo, Diaconus & Subdiaconus, vnus poſt alium, ſtant à tergo Celebrantis: poſtea aſcendunt ad Altare, & hinc inde, Diaconus à dextris, Subdiaconus à ſiniſtris, cum Celebrante hymnum ſubmiſſa voce proſequuntur vſque ad finem. Quod etiam ſeruatur cum dicitur Credo, & cùm dicitur, Dóminus vobíſcum Orátio, Præfátio. & Pater noſter, Diaconus & Subdiaconus ſimiliter ſtant vnus poſt alterum à tergo Celebrantis.

De Oratione. V.

Dicto hymno, Glória in excélſis vel, ſi non ſit dicendus, eo omiſſo, Celebrans oſculatur Altare in medio, manibus hinc inde ſuper eo, vt ſuprà, extenſis, tum illis ante pectus iunctis, & demiſſis ad terram oculis, vertit ſe à ſiniſtro latere ad dextrum verſus populum, hoc eſt, per eam partem quæ reſpicit cornu Epiſtolæ, & extendens ac iungens manus ante pect⁹, vt priùs, dicit voce predicta, Dóminus vobiſcum, vel ſi ſit Epiſcopus, Pax vobis (quod dicitur tantùm hoc loco quando dictus eſt hymnus, Glória in excélſis) ℟. Et cum ſpíritu tuo. & iunctis, vt priùs manibus reuertitur per eamdem viam ad librum, vbi eas extendens & iungens ante pectus, caputque Cruci inclinans, dicit, Orémus. tum extendit manus ante pectus,

ita vt palma vnius manus reſpiciat alteram, & digitis ſimul iunctis, quorum ſummitas humerorum altitudinem diſtantiamque non excedat, quod in omni extenſione manuum ante pectus ſeruatur. Stans autem, vt ſuprà, extenſis manibus, dicit Oratiónem. Cùm dicit Per Dóminum noſtrum, iungit manus, eaſque iunctas tenet vſque ad finem. Si aliter concluditur Oratio, Qui tecum, vel Qui viuis cùm dicit, in vnitate, iungit manus.

2 Cum nominatur nomen Ieſus, caput verſus Crucem inclinat: quod etiam facit cum nominatur in Epiſtola. Et ſimiliter vbicumque nominatur nomen beatæ Mariæ, vel Sanctorum, de quibus, dicitur Miſſa, vel fit commemoratio, item in Oratione Pro Papa, quando nominatur, ſemper caput inclinat non tamen verſus Crucem. Si plures Orationes ſunt dicendæ, idem in eis, in voce, extenſione manuum, & capitis inclinatione, quod ſuprà dictũ eſt, obſeruatur.

3 Si Altare ſit ad Orientem verſus populum, Celebrans verſa facie ad populum, non vertit humeros ad Altare, cum dicturus eſt, Dóminus vobíſcum, Oráte fratres, Ite miſſa eſt, vel daturus benedictionem: ſed oſculato Altari in medio, ibi expanſis & iunctis manibus vt ſuprà, ſalutat populum, & dat benedictionem.

4 In Quatuor temporibus, vel alias quando dicendæ ſunt plures Orationes cum Prophetiis, dicto Kyrie eleiſon in medio Altaris, reuertitur ad cornu Epiſtolæ, vbi ſtans ante librum extenſis & iunctis ante pectus manibus, & caput Cruci inclinans dicit, Orémus, Flectámus génua. & illico manibus ſuper Altare extenſis, vt ſe ipſum ad Altare ſuſtineat, genuflectit, & ſine mora ſurgens, eadem voce dicente miniſtro, Leuáte, manibus extenſis dicit Oratiónem, vt ſuprà, & in concluſione eas iungit, Dum autem legit Prophetias, tenet manus ſuper librum vel Altare poſitas, vt mox dicetur de Epiſtola.

5 *In Miſſa ſolemni cùm dicitur*, Dómini vobíſcũ *&* Orário, *Diaconus & Subdiaconus ſtant retro poſt Celebrantem.* Flectámus genua *dicitur à Diacono, à Subdiacono verò*, Leuáte *illo primùm genuflectente, hoc primum ſurgente, Celebans verò non genuflectit.*

De Epiſtola, Graduali, & aliis vſque ad Offertorium.

VI.

Dictis Orationibus Celebrans poſitis ſuper librum, vel ſuper Altare manibus, ita vt palmæ librum tangant, vel (vt placuerit) librum tenens, legit Epiſtolam intelligibili voce, & reſpondetur à miniſtro, Deo grátias, & ſimiliter ſtans eodem modo, proſequitur Graduale, Allelúia, Tractum ac Sequentiam, ſi dicenda ſint. Quibus dictis, Celebrans ſi priuatim celebret, ipſemet, ſeu miniſter portat librum Miſſalis ad alteram partem Altaris in cornu Euangelij, & dum tranſit ante medium Altaris, caput Cruci inclinat, & Miſſale ſic locat, vt poſterior pars libri reſpiciat ipſum cornu Altaris, & non ad parietem, ſiue ad partem eius contra ſe directam.

2 Locato Miſſali in Altari, Celebrans redit ad medium Altaris, ibique ſtans iunctis manibus ante pectus, leuariſque ad Deum oculis, & ſtatim demiſſis, tum profundè inclinatus, dicit ſecretò, Munda cor meum & Iube Dómine benedícere: Dóminus ſit in corde meo, vt in Ordinario. Quibus dictis vadit ad librũ Miſſalis, vbi ſtans verſus illum iunctis manibus ante pectus, dicit intelligibili voce. Dóminus vobíſcum. Reſp. Et cum ſpíritu tuo. Deindę pollice dextræ manus ſigno Crucis ſignat primò librum ſuper principio Euangelij quod eſt lecturus, poſtea ſeipſum in fronte, ore, & pectore, dicens, Sequentia, vel, Initium ſancti Euangelij &c. Reſp. Glória tibi Dómine. Tum iunctis iterum manibus ante pectus, ſtans vt ſuprà, proſequitur Euangelium vſque ad finem. Quo finito,

natur: cuius Pontificalis ordinem Epiſcopus nunquam prætermittat, quandocumque cum Diacono & Subdiacono paratis celebrat.

De principio Miſſæ, & Confeſſione facienda.

III.

SAcerdos cùm primum deſcenderit ad infimum gradũ Altaris, conuertit ſe ad ipſum Altare, vbi ſtans in medio, iunctis manibus ante pectus, extenſis & iunctis pariter digitis, & pollice dextro ſuper ſiniſtrum poſito in modum Crucis, (quod ſemper ſeruatur quando iunguntur manus, præterquam pòſt conſecrationem) detecto capite, facta priùs Cruci vel Altari profunda reuerentia, vel ſi in eo ſit tabernaculum ſanctiſſimi Sacramenti, facta genuflexione, erectus incipit Miſſam.

2 *Si celebraturus ſit coram ſummo Pontifice, ſiſtit ſe in infimo gradu Altaris à cornu Euangelij ante ipſum Pontificem, vbi genuflexus expectat: accepta benedictione erigit ſe & ſtans aliquantulum verſus ad Altare incipit Miſſam. Si autem ſit coram Cardinale, Legato Sedis Apoſtolicæ, aut Patriarcha, Archiepiſcopo, & Epiſcopo in eorum reſidentijs, vel loco iuriſdictionis, ſtans in infimo gradu à cornu Euangelij vt ſuprà expectat: dato ſigno facit profundam reuerentiam Prælato, & verſus ad Altare incipit Miſſam.*

3 *Si autem ſolemniter celebret coram ſummo Pontifice, aut alio ex Prælatis prædictis in Eccleſiis eorum iuriſdictionis, ſtans à ſiniſtris prælati, facit cum eo Confeſſionem, & alia ſeruat, vt in Pontificali & Cæremoniali Romano ordinatur.*

4 Stans igitur Celebrans ante infimum gradum Altaris vt ſuprà, producens manu dextra à fronte ad pectus ſignũm Crucis, dicit intelligibili voce In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen. Et poſtquam id dixerit, non debet aduertere quemcumque in alio Altari celebrantem, etiam ſi Sacramentum eleuet, ſed continuatè proſequi Miſſam ſuam vſque ad finem.

5 Cùm ſeipſum ſignat, ſemper ſiniſtram ponit infra pectus: in aliis benedictionibus cùm eſt ad Altare, & benedicit oblata vel aliquid aliud, ponit eam ſuper Altare, niſi aliter notetur. Seipſum benedicens, vertit ad ſe palmam manus dextræ, & omnibus illius digitis iunctis & extenſis, à fronte ad pectus, & ab humero ſiniſtro ad dextrum, ſignum Crucis format. Si verò alios, vel rem aliquam benedicit, paruum digitum vertit ei cui benedicit, ac benedicendo totam manum dextram extendit omnibus illius digitis pariter iunctis & extenſis: quod in omni benedictione obſeruatur.

6 Poſtquam dixerit, In nomine Patris, &c. vt ſuprà: iungens iterum manus ante pectus, pronuntiat clarà voce antiphonã, Introíbo ad altare Dei. Miniſter retro poſt eum ad ſiniſtram genuflexus, *& in Miſſa ſolemni miniſtri hinc inde ſtantes proſequuntur*, Ad Deum qui lætificat iuuentutem meam. Deinde Sacerdos eodem modo ſtans incipit: & proſequitur cum miniſtro vel miniſtris alternatim Pſalmum, Iudica me Deus, vſque ad finem, cum Glória Patri, Quo finito repetit Antiphonam, Introíbo, cum miniſtris vt ſuprà. Qui Pſalmus nunquam prætermittitur, niſi in Miſſis Defunctorum, & in Miſſis de Tempore à Dominica Paſſionis incluſiuè vſque ad Sabbatum ſanctum excluſiuè, in quibus ſemel tantum dicta Antiphona, Introíbo, cum miniſtris vt ſupra, Sacerdos ſtatim ſubiungit.

℣. Adiutórium noſtrum, &c. vt infrà. Cùm in fine Pſalmi dicit, Gloria Patri, &c. caput Cruci inclinat.

7 Repetita Antiphona, Introíbo, dextra manu producens ſignũm Crucis à fronte ad pectus, dicit.

℣. Adiutórium noſtrum in nómine Dómini.

℟. Qui fecit cœlum & terrã. Deinde Altari ſe profundè inclinans, iunctis manibus dicit, Confiteor Deo, vt in Ordinario:

& proſequitur eodem modo ſtans inclinatus, donec à miniſtro vel miniſtris dictum ſit, Miſereátur. Cùm incipitur à miniſtris, Confíteor, ſe erigit. Cùm dicit, mea culpa, ter pectus dextra manu percutit, ſiniſtra infra pectus poſita.

8 *Si eſt coram Pontifice, Cardinali, Legato Sedis Apoſtolicæ, vel Patriarcha, Archiepiſcopo, & Epiſcopo in eorum prouincia, ciuitate, vel diœceſi conſtitutis, vbi dicit*, vobis fratres, *dicat*, tibi pater: *ſimiliter in fine, vbi dicit*, vos fratres, *dicat*, te pater, *quod dicens ſummo Pontifici genuflectit, aliis Prælatis profundè ſe inclinat.*

9 Cùm miniſter, & qui interſunt (etiam ſi ibi fuerit ſummus Pontifex) reſpondent, Confíteor dicunt, tibi pater, & te pater, aliquàntum conuerſi ad Celebrantem.

10 Facta à circunſtantibus Confeſſione, Celebrans ſtans reſpondet, miſereátur veſtri, &c. Deinde producens manu dextrâ à fronte ad pectus ſignum Crucis, dicit, Indulgéntiam, &c. *& ſi eſt Epiſcopus accipit manipulum, oſculando illum in medio.* Et ſtans inclinatus iunctis manibus proſequitur, Deus tu conuérſus, & quæ ſequuntur in Ordine Miſſæ, clara voce vſque ad Orationem, Aufer à nobis, &c. & cum dicit, Orémus, extendit & iungit manus.

11 *Et tunc ſi coram ſummo Pontifice, aut aliis Prælatis vt ſuprà celebret, facta ſummo Pontifici genuflexione, aliis Prælatis profunda reuerentia, accedit ad medium Altaris ante infimum gradum, & ibi incipit ſecretò* Aufer à nobis, *vt in Ordine Miſſæ.*

De Introitu, Kyrie eléiſon, & Glória in excélſis.

IIII.

DVm dicit, Aufer a nobis, &c. Celebrans iunctis manibus aſcendit ad mediũ Altaris, & ibi inclinatus, manibúſque item iunctis ſuper eo poſitis, ita vt digiti parui dumtaxat frontem ſeu medium anterioris partis tabulæ ſeu menſæ Altaris tangant, reſiduo manuum inter Altare & ſe retento, pollice dextro ſuper ſiniſtrum in modum Crucis poſito (quæ omnia ſemper obſeruantur cùm manus iunctæ ſuper Altare ponuntur) ſecretò dicit, Orámus te Dómine, &c. & cũ dicit, Quorum relíquiæ hic ſunt, oſculatur Altare in medio, manibus extenſis æqualiter hinc inde ſuper eo poſitis: quod ſemper ſeruatur quando oſculatur Altare: ſed poſt conſecrationem pollices ab indicibus non disiunguntur. In omni etiam deoſculatione ſiue Altaris ſiue libri, ſiue alterius rei, non producitur ſignum Crucis pollice vel manu ſuper id quod oſculandum eſt.

2 Oſculato Altari accedit ad cornu eius ſiniſtrum, id eſt Epiſtolæ: vbi ſtans verſus Altare, & producens à fronte ad pectus ſignum Crucis, incipit intelligibili voce; Introitum Miſſæ & proſequitur iunctis manibus. Cùm dicit, Glória Patri, tenens iunctas manus caput inclinat verſus Crucem. Cùm repetit Introitum non ſignat ſe vt prius, & eo repetito, iunctis manibus ante pectus accedit ad medium Altaris, vbi ſtans verſus illud ſimiliter manibus iunctis, dicit eadem voce ter; Kyrie eléiſon. ter, Chriſte eléiſon, & iterum ter, Kyrie eléiſon, alternatim cum miniſtro. Si miniſter, vel qui interſunt, Celebranti non reſpondeant, ipſe ſolus nouies dicit.

3 Dicto vltimo Kyrie eléiſon, Sacerdos ſtans in medio Altaris, & manus extendens, eleuánſque vſque ad humeros, (quod in omni manuum eleuatione obſeruatur) voce prædicta incipit, ſi dicendum ſit, Glória in excélſis, cùm dicit, Deo iungens manus, caput Cruci inclinat, quo erecto, ſtans iunctis manibus ante pectus proſequitur vſque ad finem. Cùm dicit, Adorámus te: Grátias ágimus tibi, & Ieſu Chriſte: Súſcipe deprecatiónem noſtram, & iterum, Ieſu Chriſte caput Cruci inclinat. Cùm dicit in fine, (Cum ſancto Spiritu) ſeipſum à fronte ad pectus ſignat, interim abſoluens, In glória Dei patris, Amen.

indicis, dicens Pſalmum, Lauábo inter innocentes, cum Glória Patri, &c. qui verſus Glória Patri, prætermittitur in Miſſis Defunctorum, & in Miſſis de Tempore à Dominica de Paſſione vſque ad Sabbatum ſanctum excluſiuè.

7 Celebrans lotis manibus eas tergit, & illis ante pectus iunctis, reuertitur ad medium altaris, vbi ſtans, oculoſque ad Deum eleuans, & ſtatim demittens, manibus iunctis ſuper Altare, aliquantulum inclinatus dicit ſecreto Orationem, Súſcipe ſancta Trínitas, &c. Qua dicta, manibus hinc inde extenſis, & ſuper Altare poſitis, oſculatur illud in medio: tum iunctis manibus ante pectus demiſſiſque oculis ad terram, à ſiniſtra manu ad dextram vertit ſe ad populum, & verſus eum extendens, & iungens manus, dicit voce aliquantulum elata, Oráte fratres, & ſecretò proſequens, vt meum ac veſtrum ſacrifícium, &c. perficit circulum reuertens iunctis manibus ante pectus à manu dextra ad medium Altaris. Et reſponſo à miniſtro vel à circunſtantibus, Suſcípiat Dóminus ſacrifícium de mánibus tuis, &c. (alioquìn per ſe ipſum, dicens, Sacrifícium de mánibus meis,) ipſe Celebrans ſubmiſſa voce dicit, Amen, & manibus ante pectus extenſis, vt fit ad Orationem, ſtans in medio Altaris verſus librum dicit abſolutè ſine Orémus, & ſine alia interpoſitione Oratiónem, vel Oratiónes ſecrétas. Cùm dicit, Per Dóminum, iungit manus: cùm dicit, Ieſum Chriſtum, caput inclinat, quod facit in prima Oratione, & in vltima, ſi plures ſint dicendæ.

8 Peruento autem in concluſione vltimæ Secretæ ad verba illa, Per ómnia ſæcula ſæculórum, excluſiuè: Celebrans ſtans in medio Altaris, depoſitis ſuper eo manibus hinc inde extenſis, dicit conuenienti & intelligibili voce Præfatióné. Cùm dicit, Surſum corda, eleuat manus hinc inde extenſas vſque ad pectus, ita vt palma vnius manus reſpiciat alteram. Cùm dicit, Grátias agámus Dómino, iungit manus: cum dicit, Deo noſtro, oculos eleuat, & ſtatim Cruci caput inclinat, Reſponſo, Dignum & iuſtum eſt, eleuatis & extenſis vt prius manibus, proſequitur Præfatiónem propriam, vel communem, vt tempus requirit. Cùm dicit, Sanctus, iunctis ante pectus manibus, & inclinatus voce mediocri proſequitur: miniſtro interim paruam campanullam pulſante. Cùm dicit, Benedíctus qui venit in nómine Dómini, &c. erigit ſe, & ſignum Crucis ſibi producit à fronte ad pectus.

9 *In Miſſa ſolemni dicto* Orémus, *Diaconus & Subdiaconus accedunt ad Altare in cornu Epiſtolæ. Diaconus amouet Calicem, ſi eſt in Altari, vel, ſi eſt in credentia, vt magis decet, accipit eum de manu Subdiaconi, qui illum cum Patena & Hoſtia, copertum palla & velo à collo ſibi pendente manu ſiniſtra tenens, & alteram manum ſuperponens velo, ne aliquid decidat, de credentia detulit, comitatus ab Acolytho ampullas vini & aquæ portante: ipſe Diaconus Calicem detegit, & dat Patenam cum Hoſtia Celebranti oſculando eius manum: Subdiaconus extergit Calicem purificatorio, Diaconus accepta ampulla vini de manu Subdiaconi, imponit vinum in Calice, Subdiaconus interim ampullam aquæ oſtendens Celebranti, dicit,* Benedícite pater reuerénde, *qui facto verſus eam ſigno Crucis, dicit Orationem,* Deus qui humánæ, *&c. interim Subdiaconus infundit paulum aquæ in Calicem, Diaconus illum Celebranti dat, & pedem Calicis tangens, ſeu brachium dextrum Celebrantis ſuſtentans, cum eo dicit,* Offérimus tibi Dómine, *&c. quem poſtea poſitum in Altari vt ſuprà, palla cooperit. Subdiacono deinde ſtanti in cornu Epiſtolæ ponit in dextera manu Patenam, quam cooperit extremitate veli ab eius humero pendentis, qui vadit poſt Celebrantem ante medium Altaris, & facta genuflexione ibi ſtat, ſuſtinens eam eleuatam vſque ad finem Orationis Dominicæ, vt dicetur. In Miſsis autem Defunctorum, & in feria ſexta Paraſceues Patena non tenetur à Subdiacono.*

10 *Dicto,* Veni ſanctificátor, *vt ſuprà,*

Celebrans miniſtrante Diacono nauiculam, & dicente, Benedícite pater reuerende. ponit incenſum in thuribulum, dicens, Per interceſſiónem, &c. vt in Ordine Miſſæ. Deinde accepto thuribulo per manũ Diaconi, nullam tunc faciens Cruci reuerentiã, incenſat oblata, ter ducens thuribulum ſuper Calicem & Hoſtiam ſimul in modum Crucis, & ter circum Calicem & Hoſtiam, ſcilicet bis à dextra ad ſiniſtram, & ſemel à ſiniſtra ad dextram, (Diacono interim pedem Calicis tenente manu dextra) diſpenſans verba in qualibet incenſatione hoc modo, In prima incenſatione, Incenſum iſtud, In ſecunda, à te benedíctum, In tertia, aſcendat ad te Dómine, In quarta, & deſcéndat ſuper nos, In quinta & ſexta miſericordia tua. Deinde facta reuerentia, incenſat Crucem & Altare, vt dictum eſt ſupra, aſſiſtente eodem Diacono, interim dicens, Dirigátur Dómine, orátio mea, &c. & cum incenſatur Crux, Diaconus amouet Calicem ad partem Epiſtolæ, & incenſata Cruce reponit in loco ſuo. Cùm reddit thuribulum Diacono, dicit, Accéndat in nobis, &c. Et incenſatur ab eo: deinde Diaconus incenſat Chorum & poſtremò Subdiaconum tenentem Patenam: & ipſe Diaconus incenſatur à Thuriferario, & Thuriferarius poſtea incenſat Acolythos & populum. Celebrans poſtquam incenſatus fuerit, lauat manus, miniſtrantibus Acolythis ampullam aquæ cum peluicula, & manutergio.

11 Cum dicitur Præfátio, Diaconus & Subdiaconus ſtant retro poſt Celebrantem: & paulo antequam dicatur Sanctus, accedunt ad Altare, vbi cum Celebrante hinc inde dicunt Sanctus, & quæ ſequuntur vſque ad Canonem, Deinde Diaconus accedit ad ſiniſtram Celebrantis, ei aſſiſtens dum dicitur Canon. niſi alius Sacerdos aſſiſtat, quia tunc ipſe ſtaret ad dexteram aliquantum poſt Celebrantem. Subdiaconus verò tunc ſtat poſt Celebrantem.

De Canone Miſſæ vſque ad Conſecrationem.

VIII.

Finita Præfatione, vt ſuprà, Celebrans ſtans ante medium Altaris, verſus ad illud, aliquantulum eleuat manus, oculiſque eleuatis ad Deum, & ſine mora deuotè demiſſis, ac manibus iunctis, & ſuper Altare poſitis, profundè inclinatus incipit Canonem, ſecreto dicens: Te igitur &c. vt in Ordine Miſſæ. Cùm dicit, vti accépta hábeas & benedícas, priùs oſculatur Altare in medio, deinde erigit ſe, & ſtat iunctis manibus ante pectus Cùm dicit, Hæc ✠ dona, hæc ✠ munera hæc ſancta ✠ ſacrificia, dextera manu ſignat ter communiter ſuper Hoſtiam & Calicem. Deinde extenſis manibus ante pectus, proſequitur, In primis quæ tibi offerimus, &c.

2 Vbi dicit, vna cum fámulo tuo Papa noſtro N. exprimit nomen Papæ: Sede autem vacante verba prædicta omittuntur: vbi dicitur, & Antíſtite noſtro N. ſpecificatur nomen Patriarchæ, Archiepiſcopi, vel Epiſcopi ordinarij in propria diœceſi, & non alterius Superioris, etiam ſi Celebrans ſit omnino exemptus, vel ſub alterius Epiſcopi iuriſdictione. Si verò Epiſcopus ordinarius illius loci in quo Miſſa celebratur, ſit vita funct⁹ prædicta verba omittuntur: quæ etiam omittuntur ab iis qui Romę celebrant. Si Celebrans eſt Epiſcopus, Archiepiſcopus, vel Patriarcha, omiſſis prædictis verbis, eorum loco dicit, Et me indígno ſeruo tuo. Si verò Celebrans eſt Papa, omiſſis verbis, vna cum famulo tuo Papa noſtro N. & Antíſtite noſtro dicit, N. vnà cum me indígno fámulo tuo, quē gregi tuo præéſſe voluíſti. Et continuànt omnes vt ſequitur, Et ómnibus orthodóxis, &c.

3 Cùm dicit, Meménto Dómine, eleuans & iungens manus vſque ad faciem vel pectus, ſic iunctis manibus ſtat paulliſper in quiete, demiſſo aliquantulum capite, faciens commemorationem viuorum Chriſti fidelium ad ſuam voluntatem, quorum nomina ſi vult ſecretò commemoret: non tamen neceſſe eſt ea exprimere, ſed mente tantùm eorum memoriam habeat. Poteſt etiam Celebrans ſi pro pluribus orare intendit, ne

miniſter ſtans in cornu Epiſtolæ poſt infimum gradum Altaris, reſpondet, Laus tibi Chriſte, & Celebrans eleuans parumper librum, oſculatur principium Euangelij, dicens, Per Euangelica dicta, &c. præterquam in miſſis Defunctorum, & niſi celebret coram ſummo Pontifice, Cardinali, & Legato Sedis Apoſtolicæ, vel Patriarcha, Archiepiſcopo, & Epiſcopo in eorum reſidentijs, quo caſu defertur cuilibet prædictorum oſculandus liber, & Celebrans tunc non oſculatur illum, nec dicit, Per Euangelica dicta. Cum autem nominatur Ieſus, caput verſus librum inclinat, & eodem modo verſus librum genuflectit, cum in Euangelio eſt genuflectendum.

3 Dicto Euangelio ſtans in medio Altaris verſus Crucem, eleuans & extendens manus, incipit (ſi dicendum ſit) Credo, cùm dicit, in vnum Deum iungit manus, & caput Cruci inclinat: quo erecto, ſtans ibidem iunctis ante pectus manibus, vt priùs, proſequitur vſque ad finem. Cum dicit. Ieſum Chriſtum, caput Cruci inclinat. Cùm dicit, *Et incarnatus eſt*, vſque ad, Et homo factus eſt, incluſiuè genuflectit. Cùm dicit, Simul adoratur, caput Cruci inclinat, Cùm dicit, Et vitam venturi ſæculi, Amen. producit ſibi manu dextra ſignum Crucis à fronte ad pectus.

4 *In Miſſa ſolemni Subdiaconus circa finem vltimæ Orationis accipit ambabus manibus librum Epiſtolarum, deferens illum ſupra pectus, & facta Altari genuflectione in medio, vadit ad partem Epiſtolæ contra Altare, & cantat Epiſtolam, quam etiam Celebrans interim ſubmiſſa voce legit, aſſiſtente ſibi Diacono à dextris & item Graduale Tractum, &c. vſque ad,* Munda cor meum, *Epiſtola cantanta Subdiaconus, facta iterum genuflexione Altari in medio, redit ad Celebrantem, & genuflectens oſculatur eius manum, & ab eo benedicitur, præterquam in Miſsis Defunctorum.*

5 *Poſtea idem Subdiaconus accipit Miſſale Celebrantis, defert ad cornu Euangelij in Altare, & ibi miniſtrat Celebranti: qui ſub miſſa voce dicto.* Munda cor meum, *&c. in medio Altaris, & deinde lecto Euangelio, quod in fine non oſculatur, delato etiam per Diaconum libro Euangeliorum ad Altare, imponit incenſum in thuribulum. Poſtea Diaconus genuflexus ante Altare dicit.* Munda cor meum, *& accipiens librum Euangeliorum de Altari, petit benedictionem à Celebrante ſimiliter genuflexus in ſuperiori gradu Altaris: & oſculata illius manu, præcedentibus Thuriferario & duobus Acolythis cum candelabris accenſis de credentia ſumptis, vadit cum Subdiacono à ſiniſtris ad locum Euangelij contra Altare verſus populum, vbi Subdiacono librum tenente, medio inter duos Acolythos tenentes candelabra accenſa, dicit* Dominus vobiſcum *iunctis manibus. Cùm dicit,* Sequentia *&c. ſignat librum in principio Euangelij, frontem, os & pectus: poſtea ter librum incenſat, hoc eſt in medio, à dextris, & à ſiniſtris, & proſequitur Euangelium iunctis manibus. Interim Celebrans poſt datam Diacono benedictionem retrahens ſe ad cornu Epiſtolæ, ibi ſtat iunctis manibus. Et cùm Diaconus dicit.* Sequentia, *Sacerdos etiam ſignat ſe: & cùm nominatur* Ieſus, *caput inclinat verſus altare. Finito Euangelio Sacerdos oſculatur librum à Subdiacono ſibi delatum, dicens,* Per Euangelica dicta, *&c. & à Diacono ter incenſatur. Si ſit coram Prælato in ſua reſidentia, liber defertur ad Prælatum, vt ſuprà, & ille incenſatur, vt in Pontificali. Poſtea ſtans in medio Altaris verſus ad Crucem, incipit, ſi dicendum ſit,* Symbolum, *ſtantibus poſt eum Diacono & Subdiacono: deinde ad Altare accedentibus, & cum eo proſequentibus, vt dictum eſt ad* Gloria in excelſis.

6 *Si autem ſit prædicandum, Concionator finito Euangelio prædicet, & ſermone ſiue concione expleta dicatur* Credo, *vel ſi non ſit dicendum, cantetur*, Offertorium.

7 *Cùm vero in Symbolo cantatum fuerit,* Et incarnatus eſt, *Diaconus accepta burſa de credentia, ambabus manibus eam defert eleuatam cum ſolitis reuerentiis ad medium*

Altaris, in quo explicat Corporale, & reuertitur ad Celebrantem. Cum non dicitur Credo, *Subdiaconus defert burſam ſimul cum Calice, vt infrà dicetur.*

8 *Si quandoque Celebrans cantat Miſſã ſine Diacono & Subdiacono,* Epíſtolam *cantat in loco conſueto aliquis Lector ſuperpelliceo indutus, qui in fine non oſculatur manum Celebrantis:* Euangéliũ, *autem cantat ipſe Celebrans ad cornu Euangelij, qui & in fine Miſſæ cantat,* Ite miſſa eſt, *vel* Benedicámus Dómino *aut,* Requieſcant in pace, *pro temporis diuerſitate.*

De Offertorio, & aliis vſque ad Canonem. VII.

Dicto Symbolo, vel ſi non ſit dicendum, poſt Euangelium Celebrans oſculatur Altare in medio, & iunctis manibus ante pectus, ibidem à manu ſiniſtra ad dexteram (vt dictum eſt ſuprà) vertit ſe ad populum, & extendens ac iungens manus dicit, Dóminus vobíſcum, & iunctis manibus reuertitur per eamdem viam in medium Altaris, vbi extendens, & iungens manus, caputque Cruci inclinans, dicit, Oremus tum iunctis vt priùs manibus dicit Offertorium: & omnia quæ vſque ad finem Miſſæ in medio Altaris dicenda ſunt, dicit ibidem ſtans verſus ad Altare, niſi vbi aliter ordinatur.

2 Dicto Offertorio, diſcooperit Calicem, & ad cornu Epiſtolæ ſiſtit, & manu dextra amouet paruam pallam deſuper Hoſtiam, accipit Patenam cum Hoſtia, & ambabus manibus vſque ad pectus eam eleuatam tenens, oculis ad Deum eleuatis, & ſtatim demiſſis dicit, Súſcipe ſancte Pater, &c.

3 Si fuerint aliæ Hoſtiæ non ſuper Patenam, ſed ſuper Corporale, vel in alio Calice ſeu vaſe pro communione populi conſecrandę, calicem illum ſeu vas dextra diſcooperit, & intentionem ſuam etiam ad illas offerendas & conſecrandas dirigens, dicit vt ſuprà, Súſcipe, &c. vt in Ordine Miſſæ. Quo dicto, Patenam vtraque manu tenens, cum ea facit ſignũ Crucis ſuper Corporale, & deponit Hoſtiam circa medium anterioris partis Corporalis ante ſe, & Patenam ad manũ dextram aliquantulum ſubtus Corporale, quam exterſo Calice, vt dicetur, cooperit purificatorio. Si autem adſit vas ſeu calix cum aliis Hoſtiis, ipſum cooperit alia Patena vel palla.

4 Deinde in cornu Epiſtolæ accipit Calicem, purificatorio extergit, & ſiniſtra tenens illius nodum, accipit ampullam vini de manu miniſtri (qui oſculatur ipſam ampullam, non autem manum Celebrantis) & ponit vinum in Calicem. Deinde eodem modo tenens Calicem, producit ſignum Crucis ſuper ampullam aquæ, & dicit, Deus qui humanæ ſubſtántiæ & infundens parum aquæ in Calice proſequitur, Da nobis per huius aquæ & vini myſterium, &c. Si verò celebrat pro Defunctis, non facit ſignũ Crucis ſuper aquam, ſed imponit abſque benedictione, dicens Orationem vt ſuprà

5 Impoſita aqua in Calice, & finita Oratione prędicta, accipit manu dextra Calicẽ diſcoopertũ, & ſtans ante mediũ Altaris, ipſum ambabus manibus eleuatũ tenens, videlicet cum ſiniſtra pedem, cum dextra autem nodum infrà cuppam, intentis ad Deum oculis offert, dicens, Offérimus tibi Dómine, &c. qua oratione dicta, facit ſignum Crucis cum Calice ſuper Corporale, & ipſum in medio poſt Hoſtiam collocat, & palla cooperit. Deinde iunctis manibus ſuper Altare poſitis, aliquantulum inclinatus dicit ſecretò, In ſpíritu humilitátis, &c. Poſtea erectus eleuans oculos, manuſque expandens, & ſtatim iungens ante pectus (quod ſemper facit quando aliquid eſt benedicturus) dicit, Veni ſanctificátor &c. cum dicit, & bene✠dic, ſignat manu dextra communiter ſuper Hoſtiam & Calicem, ſiniſtra poſita ſuper Altare.

6 Tum iunctis ante pectus manibus, accedit ad cornu Epiſtolæ, vbi ſtans, miniſtro aquam fundente lauat manus, id eſt, extremitates digitorum pollicis & indicis,

circunſtantibus ſit moroſus, ante Miſſam in animo proponere ſibi omnes il los tam viuos quàm defunctos, pro quibus in ipſa Miſſa orare intendit, & hoc loco generaliter vnico contextu ipſorum viuorum commemorationem agere, pro quibus ante Miſſam orare propoſuit in Miſſa.

4 Commemoratione viuorum facta, demiſſis & extenſis vt priùs manibus, continuat, Et ómnium circunſtántium, &c. Similiter ſtans proſequitur, Communicántes. Cum dicit, Ieſu Chriſti, caput Cruci inclinat: in concluſione quando dicit, Per eúndem, iungit manus, Cùm dicit, Hác ígitur oblatiónem, expandit manus ſimul ſuper oblata, ita vt palmæ ſint apertæ verſus ac ſupra Calicem & Hoſtiam, quas ſic tenet vſque ad illa verba Per Chriſtum Dóminum noſtrum, tunc enim iungit manus, & ſic proſequitur, Quam oblatiónem tu Deus in ómnibus quæſumus & cùm dicit bene✠díctá, aſcri✠ptam, ra✠tam, communiter ſignat ter ſuper Hoſtiam & Calicem ſimul: deinde cùm dicit, vt nobis corpus, ſeparatim ſignat ſemel ſuper Hoſtiam tantùm: & cùm dicit, & ſanguis, ſemel ſuper Calicem tantùm, deinde eleuans & iungens manus ante pectus proſequitur, fiat dilectiſſimi filij tui Dómini noſtri Ieſu Chriſti, & inclinans caput Cruci, extergit, ſi opus fuerit, pollices & indices ſuper Corporale, & dicit ſecretò vt prius. Qui prídie quàm pateretur, & accipiens pollice & indice dextræ manus Hoſtiam, & eam cum illis ac indice & pollice ſiniſtræ manus tenens, ſtans erectus ante medium Altaris, dicit, accépit panem in ſanctas ac venerábiles manus ſuas, eleuanſque ad cælum oculos, & ſtatim demittens, dicit, & eleuátis óculis in cælum ad te Deum patrem ſuum omnipoténtem: caputque aliquantulum inclinans, dicit, tibi grátias agens: & tenens Hoſtiam inter pollicem & indicem ſiniſtræ manus, dextra producit ſignum Crucis ſuper eam dicens, bene✠dixit, fregit, dedítque diſcípulis ſuis dicens: Accípite & manducáte ex hoc omnes.

5 Si adſit vas cum aliis Hoſtiis conſecrandis, antequam accipiat Hoſtiam diſcooperit manu dextra Calicem, ſeu vas aliarum Hoſtiarum. Cùm autem finierit ſupradicta verba, cubitis ſuper Altare poſitis, ſtans capite inclinato, diſtinctè, reuerenter, & ſecretò profert verba conſecrationis ſuper Hoſtiam, & ſimul ſuper omnes, ſi plures ſint conſecrandæ, & Hoſtiam ſuam pollicibus & indicibus tantùm tenens, dicit, Hoc eſt enim corpus meum. Quibus prolatis, Celebrans tenens Hoſtiam inter pollices & indices prædictos ſuper Altare, reli quis manuum digitis extenſis & ſimul iunctis (& Hoſtiis, ſi plures ſint conſecratæ, in loco in quo à principio Miſſæ poſitæ ſunt, ſuper Corporali vel in alio vaſe, aut calice demiſſis) genuflexus, eam adorat. Tunc ſe erigens, quantùm commodè poteſt, eleuat in altum Hoſtiam, & intentis in eam oculis (quod & in eleuatione Calicis facit) populo reuerenter oſtendit adorandam, & mox ſola manu dextra ipſam reuerenter reponit ſuper Corporale in eodem loco vnde eam leuauit, & deinceps pollices & indices non diſiungit, niſi quando Hoſtiam conſecratam tangere vel tractare debet, vſque ad ablutionem digitorum poſt Communionem.

6 Repoſita Hoſtia conſecrata ſuper Corporale, genuflexus ipſam veneratur: ſi adſit vas aliarum Hoſtiarum, patena vel palla cooperit vt ſuprà. Interim dum Celebrans eleuat Hoſtiam accenſo priùs intorticio (quod non extinguitur niſi poſtquàm Sacerdos Sanguinem ſumpſerit, vel alios communicauerit, ſi qui erunt communicandi in Miſſa) miniſter manu ſiniſtra eleuat fimbrias poſteriores Planetæ, ne ipſum Celebrantem impediat in eleuatione brachiorum, quod & facit in eleuatione Calicis: & manu dextra pulſat campanulam ter

ad vnamquamque eleuationem, vel continuatè quouſque Sacerdos deponat Hoſtiam ſuper Corporale, & ſimiliter poſtmodum ad eleuationem Calicis.

7 Celebrans adorato Sacramento ſurgit, & diſcooperit Calicem, in quem, ſi opus ſit, extergit digitos, quod ſemper faciat, ſi aliquod fragmentum digitis adhæreat, & ſtans erectus dicit, Símili modo poſtquam cœnátum eſt, & ambabus manibus accipiens Cálicem iuxta nodum infra cuppam, & aliquantulum illum eleuans, ac ſtatim deponens, dicit, accípiens & hunc præclarum Calicem &c. cum dicit. Item tibi grátias agens, caput inclinat, cum dicit, benedíxit, ſiniſtra Calicem infra cuppam tenens, dextra ſignat ſuper eum, & proſequens, deditque diſcipulis ſuis, &c. & ambabus manibus tenens Calicem, videlicet ſiniſtra pedem, dextra nodum infra cuppam, cubitis ſuper Altare poſitis, & capite inclinato, profert attentè, continuatè, & ſecretò, vt ſuprà, verba conſecrationis Sanguinis: Hic eſt enim calix &c Quibus dictis reponit Calicem ſuper Corporale, & dicens ſecretò, Hæc quotieſcúmque fecéritis, &c genuflexus Sanguinem reuerenter adorat. Tum ſe erigit, & accipiens Calicem diſcoopertum cum Sanguine ambabus manibus, vt priùs, eleuat eum, & erectum, quantum commodè poteſt, oſtendit populo adorandum: mox ipſum reuerenter reponit ſuper Corporale in locum priſtinum, & manu dextra palla cooperit, ac genuflexus Sacramentum veneratur.

8 *In Miſſa ſolemni ad finem Præfationis accenduntur duo ſaltem intorticia ab Acolythis, quæ extinguntur poſt eleuationem Calicis, niſi aliqui ſint communicandi, & tunc extinguntur poſt Communionem. In diebus etiam ieiuniorum, & in Miſſis pro Defunctis tenentur accenſa vſque ad Communionem. Cùm autem Celebrans dicit,* Quam oblationem, *&c. Diaconus accedit ad eius dexteram, & ibi in ſuperiori gradu Altaris genuflexus, cùm Sacramentum eleuatur, fimbrias Planetæ eleuat, & quando opus eſt, ſe erigens, Calicem diſcooperit & cooperit, & cum Celebrante genuflectit. Subdiaconus genuflectit in ſuo loco. Thuriferarius genuflexus in cornu Epiſtolæ ter incenſat Hoſtiam, cum eleuatur, & ſimiliter Calicem, poſito incenſo in thuribulum abſque benedictione. Repoſito Calice, Diaconus redit ad librum, niſi alius aſſiſtat. Ceteri ſurgunt, & ſtant in locis ſuis.*

De Canone poſt conſecrationem vſque ad Orationem Dominicam.

IX.

Repoſito Calice, & adorato, Celebrans ſtans ante Altare, extenſis manibus ante pectus, dicit ſecretò, Vnde & memores &c. Cùm dicit de tuis donis ac datis, iungit manus ante pectus: & cùm dicit, Hoſtiam ✠ puram, Hóſtiam ✠ ſanctam, Hóſtiam ✠ immaculátam, manu ſiniſtra poſita ſuper Altare infra Corporale, dextera ſignat ter communiter ſuper Hoſtiam & Calicem, & ſemel ſuper Hoſtiam tantùm, & ſemel ſuper Calicem tantùm, dicens, Panem ✠ ſanctum vitæ æternæ, & Cálicem ✠ ſalútis perpetuæ, deinde ſtans vt priùs, extenſis manibus proſequitur. Supra quæ propítio, &c. Cùm dicit, Súpplices te rogámus, &c. inclinat ſe ante medium Altaris, manibus iunctis ſuper illo poſitis: cùm dicit ex hac Altáris participatióne, oſculatur Altare, manibus hinc inde ſuper Corporale poſitis. Cùm dicit ſacroſanctum Fílij tui iungit manus: & dextera ſignans ſemel ſuper Hoſtiam tantùm, & ſemel ſuper calicem & ſiniſtra ſuper Corporale poſita, dicit, Cor ✠ pus, & ſan ✠ guinem ſumpſérimus & cùm dicit, omni benedictióne ✠ cæleſti, ſeipſũ ſignat, à fronte ad pectꝰ ſigno crucis ſiniſtra poſita infra pectꝰ, & proſequitur, & gratia repleamur. Cum dicit, Per eúndem, iungit manus.

2 Cùm dicit, Meménto Dómine famulórum, famularúmque tuárum, &c. extenſis & iunctis manibus ante pectus, vel vſque ad faciem eleuatis, & intentis oculis ad Sacramentum ſuper Al-

tare,

tare, facit commemorationem fidelium Defunctorum, de quibus ſibi videtur, eodem modo vt dictum eſt de commemoratione viuorum. Qua commemoratione facta, ſtans vt priùs extenſis manibus proſequitur. Ipſis Dómine, & ómnibus in Chriſto, &c. & in fine ad Per eúndem iungit manus, & caput inclinat.

3 Cùm dicit, Nobis quoque peccatoribus, vocem aliquantulum eleuat, & dextera manu pectus ſibi percutit, ſiniſtra poſita ſuper Corporale, & proſequitur ſecretò, famulis tuis, &c. ſtans manibus extenſis vt priùs. Cùm dicit, Per Chriſtum Dóminum noſtrum. Per quem hæc omnia Dómine ſemper bona creas. iungit manus ante pectus: deinde manu dextra ter ſignans communiter ſuper Hoſtiam & calicem, dicit, ſan ✠ ctíficas, viui ✠ ficas bene ✠ dicis & præſtas nobis. Poſtea diſcooperit manu dextra Calicem, & genuflexus reuerentiam facit Sacramento: tum ſe erigit, & reuerenter accipit Hoſtiam inter pollicem & indicem dextræ manus, & cum ea ſuper Calicem, quem manu ſiniſtra tenet circa nodum infra cuppam, ſignat ter à labio ad labium, dicens, Per ✠ ipſum, & cum ✠ ipſo, & in ✠ ipſo. Et ſimiliter cum Hoſtia ſignat bis inter Calicem & pectus, incipiens à labio Calicis & dicit, eſt tibi Deo Pa ✠ tri omnipoténti, in vnitate Spíritus ✠ ſancti. Deinde tenens manu dextra Hoſtiam ſuper Calicem, ſiniſtra Calicem, eleuat eum aliquantulum ſimul cum Hoſtia dicens, omnis honor & glória, & ſtatim vtrumque deponens, Hoſtiam collocat ſuper Corporale, & ſi opus ſit, digitos extergit, vt ſuprà, ac pollices & indices vt priùs iungens, Calicem palla cooperit, & genuflexus Sacramentum adorat.

4 *In Miſſa ſolemni cùm Celebrans dicit,* Per quem hæc ómnia *&c. Diaconus facta Sacramento genuflectione, accedit ad dexteram Celebrantis, & quando opus eſt, diſcooperit Calicem, & cum Celebrante adorat: ſimiliter cooperit, & iterum genuflectit. Cum incipit,* Pater noſter, *idem vadit retro poſt Celebrantem, facta priùs Sacramento genuflectione, vbi ſtat, dum dicitur Oratio Dominica.*

De Oratione Dominica, & aliis vſque ad factam Communionem.

X

Celebrans cooperto Calice, adoratóque Sacramento erigit ſe, & manibus extenſis hincinde ſuper Altare intra Corporale poſitis, dicit intelligibili voce, Per ómnia ſæcul[illegible] & cùm dicit, *Orémus*, iungit manus, caput Sacramento inclinans. Cùm incipit, Pater noſter, extendit manus & ſtans oculis ad Sacramentum intentis, proſequitur vſque ad finem. ℞eſponſo à miniſtro, Sed libera nos à [illegible], & à Celebrante ſubmiſſa voce, [illegible] manu dextra, pollice & indice non diſiunctis, Patenam aliquantulum purificatorio extergens, eam accipit inter indicem & medium digitos, quam tenens ſuper Altare erectam, ſiniſtra ſuper Corporale poſita, dicit ſecretò, Liber[illegible]mus. &c.

2 Antequam Celebrans dicat, [illegible]pitius pacem, eleuat manu dextra Patenam de Altari, & ſeipſum cum ea ſignat à fronte ad pectus, dicens: [illegible] pacem in diebus noſtris. Cum ſignat ſe manū ſiniſtram ponit infra pectus: deinde Patenam ipſam oſculatur, & proſequens, vt ope miſericordiæ [illegible], &c. ſubmittit Patenam Hoſtiæ, quam indice ſiniſtro accōmodat ſuper Patenam, diſcooperit Calicem, & genuflexus Sacramentum adorat: tum ſe erigens, accipit Hoſtiam inter pollicem & indicem dextræ manus, & cum illis, ac pollice & indice ſiniſtræ manus eam ſuper Calicem tenens, reuerenter frangit per medium, dicens: per eúndem Dom[illegible] noſtrum Ieſum Chriſtum filium t[illegible] & mediam partem quam inter pollicem & indicem dextræ manus

tenet, ponit ſuper Patenam: de alia media, quam ſiniſtra manu tenet, frangit cum pollice & indice dextræ manus particulam, proſequens. *Qui tecum viuit & regnat*, &c. & eam inter ipſos dextræ manus pollicem & indicem retinens, partem maiorem, quam ſiniſtra tenet, adiungit mediæ ſuper Patenam poſitæ, interim dicens, *In vnitate Spiritus ſancti Deus*: & particulam Hoſtiæ, quam in dextra manu retinuit, tenens ſuper Calicem, quem ſiniſtra per nodum infra cuppam retinet, intelligibili voce dicit, *Per ómnia ſæcula ſæculorũ*. Reſp. *Amen.* & cum ipſa particula ſignans ter à labio ad labium Calicis, dicit, *Pax Dómini ſit ſemper vobiſcum*. Reſponſo per miniſtrum, *Et cum ſpíritu tuo*, particulam quam dextra manu tenet, immittit in calicem, dicens ſecretò, *Hæc commíxtio & conſecrátio Corpóris*, &c. Deinde pollices & indices ſuper Calicem aliquantulum tergit & iungit, Calicem palla cooperit, & genuflexus Sacramentum adorat, ſurgit, & ſtans iunctis manibus ante pectus, capite inclinato verſus Sacramentum, dicit intelligibili voce, *Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi*, & dextra percutiens ſibi pectus, ſiniſtra ſuper Corporale poſita, dicit, *miſerere nobis*, & deinde non iungit manus, ſed iterum percutit ſibi pectus, cùm dicit ſecundo, *miſerére nobis*, quod & tertio facit, cum dicit, *dona nobis pacem*.

¶ Tunc manibus iunctis ſuper Altare poſitis, oculiſque ad Sacramentum intentis, inclinatus dicit ſecretò, *Dómine Ieſu Chriſte*, &c. Qua Oratione finita, ſi eſt daturus pacem, oſculatur Altare in medio, & ei ſtatim inſtrumentum pacis porrigatur à miniſtro iuxta ipſum ad dextram, hoc eſt, in cornu Epiſtolæ genuflexo, & dicit, *Pax tecum*. Miniſter reſpondet, *Et cum ſpiritu tuo*, Si non adſit qui huiuſmodi inſtrumento pacem recipiat à Celebrante, pax non datur, etiam ſi illius datio Miſſæ conueniat: nec oſculatur Altare, ſed dicta præmiſſa Oratione, ſtatim ſubiungit alias Orationes, vt in Ordine Miſſæ.

¶ Si verò celebret pro Defunctis, non percutit pectus ad *Agnus Dei*, quia dicit, *dona eis requiem*, nec dicit primam Orationem, *Dómine Ieſu Chriſte, qui dixiſti Apoſtolis tuis*, &c. non dat pacem, ſed dicit alias duas ſequentes Orationes, *Dómine Ieſu Chriſte fili Dei viui*, *Percéptio corporis tui*. Quibus Orationibus dictis, genuflectens Sacramentum adorat, & ſe erigens dicit ſecretò. *Panem cæleſtem accipiam*, &c. quo dicto, dextra manu accipit de Patena reuerenter ambas partes Hoſtiæ, & collocat inter pollicem & indicem ſiniſtræ manus, quibus Patenam inter eumdem indicem, & medium digitos, & eadem manu ſiniſtra tenens partes huiuſmodi ſuper Patenam inter pectus & Calicem, parum inclinatus, dextera tribus vicibus percutit pectus ſuum, interim etiam tribus vicibus dicens voce aliquantulum eleuata, *Dómine non ſum dignus*, & ſecretò proſequitur, *vt intres*, &c. Quibus tertiò dictis, ex ſiniſtra accipit ambas partes prædictas Hoſtiæ inter pollicem & indicem dextræ manus, & cum illa ſupra Patenam ſignat ſeipſum ſigno Crucis, ita tamen, vt Hoſtia non egrediatur limites Patenæ, dicens, *Corpus Dómini noſtri Ieſu Chriſti cuſtódiat animam meam in vitam ætérnã, Amen*: & ſe inclinans, cubitis ſuper Altare poſitis, reuerenter eaſdem ambas partes ſumit: quibus ſumptis, deponit Patenam ſuper Corporale, & erigens ſe iunctis indicibus & pollicibus, ambas quoque manus ante faciem iungit, & aliquantulum quieſcit in meditatione ſanctiſſimi Sacramenti. Deinde depoſitis manibus dicit ſecretò, *Quid retríbuam Dómino pro ómnibus quæ retríbuit mihi?* & interim diſcooperit Calicem, genuflectit, ſurgit, accipit Patenam, inſpicit Corporale, colligit fragmenta cum Patena: ſi qua ſint in eo, Patenam

nam quoque diligenter cum pollice & indice dextræ manus ſuper Calicem extergit, & ipſos digitos, ne quid fragmentorum in eis remaneat.

5 Si verò adſint Hoſtiæ conſecratæ ſuper Corporale poſitæ pro alio tempore conſeruandæ, facta prius genuflexione reponit eas in vas ad hoc ordinatum, & diligenter aduertit, ne aliquod fragmentum, quantumcumque minimum, remaneat ſuper Corporale: quod ſi fuerit, accuratè reponit in Calicem. Poſt extérſionem Patenæ iunctis pollicibus & indicibus Calicem dextera manu infra nodum cuppæ accipit, ſiniſtra Patenam, dicens, Calicem ſalutaris, &c. & ſignans ſe ſigno Crucis cum Calice, dicit, Sanguis Domini noſtri, &c. & manu ſiniſtra ſupponens Patenam Calici, ſtans reuerenter ſumit totum Sanguinem cum particula in Calice poſita. Quibus ſumptis dicit ſecretò Quod ore ſumpſimus, &c. & ſuper Altare porrigit Calicem miniſtro in cornu Epiſtolæ, quo vinum fundente, ſe purificat: deinde vino & aqua abluit pollices & indices ſuper Calicem, quos abſtergit purificatorio, interim dicens, Corpus tuum Dómine quod ſumpſi. &c. Ablutionem ſumit, & extergit os & calicem purificatorio, quo facto purificatorium extendit ſuper Calicem, & deſuper Patenam, ac ſuper Patena paruam pallam, & plicato Corporali, quod reponit in burſam, cooperit Calicem velo & burſam deſuper ponit, & collocat in medio Altaris, vt in principio Miſſæ.

6 Si qui ſunt communicandi in Miſſa, Sacerdos poſt ſumptionem Sanguinis antequam ſe purificet, facta genuflexione ponat particulas conſecratas in pyxide, vel ſi pauci ſint communicandi ſuper Patenam, niſi à principio poſitæ fuerint in pyxide, ſeu alio calice. Interim miniſter ante eos extendit linteum, ſeu velum album, & pro eis facit Confeſſionem dicens, Confiteor Deo, &c. Tum Sacerdos iterum genuflectit, & manibus iunctis vertens ſe ad populum in cornu Euangelij, dicit, Miſereatur veſtri, & Indulgéntiam, abſolutiónem, &c. & manu dextra facit ſignum Crucis ſuper eos. Poſtea genuflectens, accipit manu ſiniſta pyxidem ſeu Patenam cum Sacramento, dextra verò ſumit vnam particulam, quam inter pollicem & indicem tenet aliquantulum eleuatam ſuper pyxidem ſeu Patenam, & conuerſus ad comunicandos in medio Altaris dicit: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Deinde dicit: Domine non ſum dignus vt intres, &c. Quibus verbis tertiò repetitis, accedit ad eorum dextram, hoc eſt, ad latus Epiſtolæ & vnicuique porrigit Sacramentum, faciens cum eo ſignum Crucis ſuper pyxidem vel Patenam, & ſimul dicens: Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam ætérnam, Amen. Omnibus communicatis reuertitur ad Altare, nihil dicens: non dat eis benedictionem, quia illam daturus eſt in fine Miſſæ. Si particulæ poſitæ erant ſuper Corporale, extergit illud cum Patena. & ſi qua in eo fuerint fragmenta, in Calicem immittit, Deinde dicit ſecretò, Quod ore ſumpſimus Dómine, &c. & ſe purificat, dicens: Corpus tuum Dómine quod ſumpſi, & alia facit vt ſuprà. Miniſter autem dextera manu tenens vas cum vino & aqua, ſiniſtra verò mappulam, aliquantò poſt Sacerdotem eis porrigit purificationem, & mappulam ad os abſtergendum.

7 Si in Altari remaneant particulæ in Calice, ſeu in alio vaſe vſque ad finem Miſſæ, ſeruentur ea quæ in feria quinta Cœnæ Domini præſcribuntur circa finem Miſſæ.

8 *In Miſſa ſolemni Diaconus ſtans retro poſt Celebrantem, cum in Oratione Dominica dicitur*, Et dimitte nobis débita noſtra, *facta ibidem genuflectione vadit ad dextram Celebrantis. & Subdiaconus circa finem Orationis Dominicæ, facta item genuflexione reuertitur ad Alta-*

Digitized by Google

re, & ſtans in cornu Epiſtolæ porrigit Patenam Diacono, qui eam diſcooperit, & purificatorio abſtergens dat Celebranti, illius manum oſculando, & quando opus eſt, diſcooperit & cooperit Calicem, & cum Celebrante adorat. Subdiaconus reddita Patena, & depoſito velo quod ab humeris eius pendebat, genuflectit, & vadit retrò poſt Celebrantem, & cùm dicitur, Pax Dómini, *iterũ genu flectens accedit ad ſiniſtrã Celebrantis, & ſimul dicunt,* Agnus Dei. *deinde facta ibidem Sacramento genuflexione, redit poſt Celebrantem, Diaconus verò à dextris genuflexus expectat pacem, & cùm Celebrans oſculatur Altare, ipſe ſe erigens ſimul oſculatur illud extra Corporale, & à Celebrante dicente,* Pax tecum, *complexus accipit pacem, ſiniſtris genis ſibi inuicem appropinquantibus, & ei reſpondet,* Et cum ſpiritu tuo. *Poſtea iterum Sacramento in Altari adorato, vertit ſe ad Subdiaconum retrò poſt Celebrantem, & ſimiliter dat ei pacem. Subdiaconus accepta pace à Diacono, & facta Altari genuflexione, comitatus ab Acolytho vadit ad Chorum, & dat pacem primo cuiuſque ordinis, dignioribus priùs, deinde minus dignis, & reuerſus ad Altare, facta genuflexione dat pacem Acolytho, qui ipſum comitauerat, qui & alijs Acolythis circa Altare dat pacem: deinde vadit ad dexteram Celebrantis, & quando opus eſt, diſcooperit Calicem, accipit ampullam vini, & infundit quando Celebrans vult purificare. Diaconus poſt datam pacem Subdiacono vadit ad librũ, & dum Celebrans ſe communicat, ſtans ipſe & Subdiaconus profundè inclinati verſus Altare.*

9 *In Miſſa Pontificali, Aſſiſtens accipit & defert pacem, vt in Pontificali habetur. Si in Miſſa ſolemni fiat Communio, omnia ſeruentur vt ſuprà, ſed priùs communicet Diaconum & Subdiaconum, deinde alios per ordinem: & Diaconus purificationem eis miniſtret. Interim à Choro cantatur antiphona, quæ dicitur* Communio.

De Communione, & Orationibus poſt Communionem dicendis.

XI.

Celebrante purificato, dum Calicem collocat in Altari, liber Miſſalis defertur per miniſtrum ad cornu Epiſtolæ, & collocatur vt in Introitu. Ipſe autem miniſter genuflectit iuxta cornu Euangelij, vt in principio Miſſæ. Deinde Celebrans ſtans iunctis manibus legit Antiphonam quæ dicitur Communio: qua lecta, iunctis item manibus ante pectus vadit ad medium Altaris, & eo oſculato vertit ſe ad populum à manu ſiniſtra ad dexteram, & dicit, Dóminus vobíſcum, & per eamdem viam redit ad librum, dicit Orationes poſt communiónem eiſdem modo, numero, & ordine, vt ſuprà dictæ ſunt Collectæ. Quibus finitis, claudit librum, & iungens manus ante pectus, reuertitur ad medium Altaris, vbi eo oſculato, vertit ſe ad populum, & dicit vt ſuprà, Dóminus vobíſcum, Quo dicto, ſtans iunctis manibus ante pectus verſus populum, dicit, ſi dicendum eſt, Ite Miſſa eſt, & per eamdem viam reuertitur ad Altare. Si verò non ſit dicendum, dicto Dóminus vobíſcum, reuertitur eodem modo per eamdem viam ad medium Altaris, vbi ſtans verſus ad illud, iunctis ante pectus manibus dicit, Benedicámus Dómino, In Miſſis autem Defunctorum eodem modo ſtans verſus Altare dicit, Requieſcant in pace.

2 In Quadrageſima autem à feria quarta Cinerum vſque ad feriam quartam maioris Hebdomadæ, in feriali Officio poſtquam Celebrans dixit Orationes poſt communionem cum ſuis ſolitis concluſionibus, antequam dicat, Dóminus vobíſcum, ſtans in eodem loco ante librum dicit, Orémus, Humiliáte cápita veſtra Deo, caput inclinans, & extenſis manibus ſubiungit eadem voce Oratiónem ſuper pópulum, ibidem poſitam: qua finita oſculatur Altare, & vertens ſe ad populum dicit, Dominus vobíſcum, & alia vt ſuprà.

3 *In Miſſa ſolemni Diaconus defert librum*

Miſſalis

Digitized by Google

Miſſalis ad cornu Epiſtolæ, deinde vadit retro poſt celebrantem: Subdiaconus vero vadit ad cornu Euangelij, vbi Calicem mundat, aptat cum purificatorio, Patena & palla cooperit, plicat Corporale, reponit in burſam, & illam ponit ſuper Calicem coopertum velo, quem collocat in Altari, vel ſuper credentia vt priùs: poſtea redit ad locum ſuum retro poſt Diaconū: qui cum dicit, Ite miſſa eſt, *cum celebrante vertit ſe ad populum: & in Quadrageſima dicto per celebrantem* Orémus *Diaconus in cornu Epiſtolæ vertens ſe ad populum, iunctis manibus dicit vt ſuprà,* Humiliáte, *&c. quo dicto vertit ſe verſus Altare à tergo celebrantis, & celebrans dicit Orationem ſuper populum.*

De benedictione in fine Miſſæ, & Euangelio ſancti Ioannis. XII.

Dicto Ite miſſa eſt, vel Benedicámus Dómino, vt ſuprà, Celebrans ante medium Altaris ſtans iunctis manibus ſuper eo, & capite inclinato, dicit ſecretò, Pláceat tibi ſancta Trínitas, &c. quo dicto, extenſis manibus hinc inde ſuper Altare poſitis, ipſum in medio oſculatur: tum erigens ſe, adhuc ſtans verſus illud, eleuat ad cælum oculos & manus, quas extendit, & iungit, caputque Cruci inclinans, dicit voce intelligibili. Benedícat vos omnípotens Deus & iunctis manibus, ac demiſſis ad terram oculis, vertens ſe ad populum à ſiniſtro latere ad dextrum, extenſa manu dextra, iunctiſque digitis, & manu ſiniſtra infra pectus poſita, ſemel benedicit populo, dicens, Pater, & Fílius ✠ & Spíritus ſanctus. ℞. Amen. & circulum perficiens reuertitur ad cornu Euangelij, vbi dicto Dóminus vobiſcum, & Reſp. Et cum ſpíritu tuo, pollice dextro ſignans primùm ſigno Crucis Altare ſeu librum in principio Euangelij, deinde frontem, os, & pectus, dicit, Inítium ſancti Euangelij ſecúndum Ioánnem, vel, Sequéntia ſancti Euangelij, & Reſp. Glória tibi Dómine, iunctis manibus legit Euangelium, In principio, vel aliud vt conuenit. Cùm dicit, Et Verbum caro factum eſt, genu flectit verſus cornu Euangelij, & ſurgens proſequitur vt priùs: quo finito, miniſter ſtans à parte Epiſtolæ reſpondet, Deo grátias, Quod quidem Euangelium ſcilicet In principio non prætermittitur niſi fuerit dictum in Miſſa, vt fit in Miſſa diei natiuitatis Domini, tunc enim aſſumendum eſt Euangelium de Epiphania Cum natus eſſet Ieſus, vel niſi accipiatur aliud Euangelium officij, de quo fuiſſet Miſſa niſi contigiſſet Impedimentum quod Euangelium pronuntiandum eſt antequam vel caſula vel ſaltem ſtolla exuatur.

2 Si Celebrans in Altari vertit faciem ad populum, non vertit ſe, ſed ſtans vt erat, benedicit populo vt ſupra, in medio Altaris: deinde accedit ad cornu Euangelij, & dicit Euangelium S. Ioannis.

3 Si celebrauit coram ſummo Pontifice Cardinale, & Legato Sedis Apoſtolicæ, vel Patriarcha, Archiepiſcopo, & Epiſcopo in prouincia, ciuitate, vel diœceſi ſua exiſtente, Celebrans dicto, Pláceat tibi ſancta Trinitas, &c. dicit Benedícat vos omnípotens Deus, & conuertens ſe ad ſummum Pontificem genuflexus, ad Cardinalem verò, & Legatum, vel alium ex ſupradictis Prælatis, capite inclinato quaſi licentiam benedicendi petens, proſequitur, Pater, & Fílius, ✠ & Spíritus ſanctus, benedicens aſtantes à parte vbi non adeſt Pontifex, Cardinalis, Legatus, aut Prælatus prædicti. Si autem celebrauit coram Patriarcha, Archiepiſcopo, & Epiſcopo extra eorum prouinciam, ciuitatem, vel diœceſim conſtitutis, eis abſque alio reſpectu, vt ceteris qui interſunt, more conſueto benedicit.

4 Si autem celebrauit pro defunctis, dicto, Pláceat tibi ſancta Trinitas vt ſuprà, & oſculato Altari accedit ad cornu Euangelij, & dicit Euangelium ſancti Ioannis, prætermiſſa benedictione, quæ in Miſſis Defunctorum non datur.

5 Finito Euangelio in fine Miſſæ, ſi ce-

Digitized by Google

ebrauit coram ſummo Pontifice, Car-dinale, & Legato Sedis Apoſtolicæ, vel Patriarcha, Archiepiſcopo, & Epiſcopo, conuertit ſe ad illum coram quo ex prædictis celebrauit, & facit reuerentiam conuenientem. Si non celebrauit coram aliquo prędictorum, huiuſmodi reuerentiam prætermittit.

Quibus omnibus abſolutis, extinguuntur per miniſtrum candelæ: interim Sacerdos cooperto capite accipit ſiniſtra Calicem, dextram ponens ſuper burſam, ne aliquid cadat, deſcendit ante infimum gradum Altaris, & ibi in medio vertens ſe ad illud, caput inclinat, (vel, ſi in eo eſt tabernaculum ſanctiſſimi Sacramenti, genu flectit aperto adhuc capite:) & facta reuerentia, præcedente miniſtro, eo modo quo venerat, redit ad Sacriſtiam, interim dicens Antiphonam, Trium puerórum, & Canticum Benedícite. Si verò ſit dimiſſurus huiuſmodi veſtes ante Altare vbi celebrauit, finito Euangelio prædicto, ibidem deponit veſtes, & dicit Antiphonam prædictam, Trium puerórum, Cum Cantico & aliis Orationibus, vt ſuo loco ponuntur.

7 *In Miſſa ſolemni celebrans eadem voce & modo quo in Miſſis priuatis, ſemel tantum benedicit populo, niſi ſit Epiſcopus: & dicto Euangelio ſecundum Ioannem, vel alio vt ſuprà, miniſtrante Subdiacono librum, ſi opus eſt, diſcedit cum miniſtris ordine quo venerat. Epiſcopus autem ter benedicit populo, etiam in Miſſis priuatis, vt in Pontificali & Ceremoniali habetur.*

De his quæ omittuntur in Miſſa pro Defunctis. XIII.

IN Miſſa pro Defunctis ante Confeſſionem non dicitur Pſalmus, Iúdica me Deus: ſed pronuntiata Antiphona, Introíbo ad altáre Dei, & reſponſo à miniſtro, Ad Deum qui lætíficat, &c. dicitur ℣. Adiutórium noſtrum, & Confeſſio. cum reliquis vt ſuprà, Cum Celebrans ad Altare incipit Introitum, non ſignat ſe, ſed manu dextera extenſa, facit ſignum Crucis ſuper librum, quaſi aliquem benedicens. Non dicitur, Glória Patri, ſed poſt Pſalmum repetitur Réquiem æternam, nec dicitur Glória in excélſis, nec Allelúia, nec Iube Dómine benedícere, nec Dóminus ſit in corde meo: nec oſculatur librum in fine. Non dicitur Credo, nó benedicitur aqua in Calicem fundenda, dicitur tamen Oratio, Deus qui humánæ ſubſtántiæ &c. Cùm lauat manus, in Pſalmo, Lauábo inter innocentes. non dicitur, Glória Patri, Ad Agnus Dei, non dicitur, miſerére nobis, cuius loco dicitur, dona eis requié, nec tertiò, Dona nobis pacem, cuius loco dicitur, dona eis réquiem, ſempitérnam, neque percutitur pectus. Non dicitur prima oratio, ante Communionem, ſcilicet, Dómine Ieſu Chriſte, qui dixíſti Apóſtolis tuis, &c. nec datur pax. In fine non dicitur: Ite, miſſa eſt. nec, Benedicámus Dómino, ſed, Requiéſcant in pace. Et non datur benedictio: ſed dicto Pláceat, & oſculato Altari, dicitur vt ſuprà, In princípio erat Verbum, &c. Alia omnia vt in alijs Miſſis.

2 *In Miſſa ſolemni non incenſatur Altare ad Introitum, & Subdiaconus finita Epiſtola non oſculatur manum Celebrantis, nec benedicitur: Diaconus, non petit benedictionem, nec oſculatur Celebrantis manum: non tenentur luminaria ad Euangelium, nec portatur incenſum, ſed duo tantùm Acolythi ſine candelabris ſtans vnus à dextris & alter à ſiniſtris Subdiaconi tenentis librum Euangeliorum. Non incenſatur liber, nec in fine Celebrans, nec defertur liber Euangeliorum oſculandus. Oblata & Altare incenſantur vt ſuprà: incenſatur ſolus Celebrans, & non incenſantur alij. Subdiaconus non tenet Patenam poſt Celebrantem: ſed tempore eleuationis Sacramenti genuflexus in cornu Epiſtolæ illud incenſat. Miniſtri cùm aliquid porrigunt Celebranti, in hac Miſſa numquam oſculantur eius manum, neque rem quæ porrigitur.*

3 *Si diſtribuendæ ſunt candelæ, deſtribuantur poſt Epiſtolam: & accendantur ad Euangelium, ad eleuationem Sacramenti, & poſt*

Miſſam, dum fit Abſolutio. Si habendus eſt ſermo, habeatur finita Miſſa, ante Abſolutionem.

4 *Finita Miſſa, ſi facienda eſt Abſolutio, Celebrans retrahit ſe ad cornu Epiſtolæ, vbi exuitur Caſula, & depoſito Manipulo, accipit Pluuiale nigrum. Subdiaconus medius inter duos Acolythos cum candelabris accenſis, defert Crucem ſicut in proceſſionibus, præcedentibus duobus alijs Acolythis, vno cum thuribulo & nauicula incenſi, alio cum vaſe aquæ benedictæ & aſperſorio: ſequitur Celebrans, facta prius Altari reuerentia, & Diaconus à ſiniſtris eius. Subdiaconus cum Cruce ſiſtit ſe ad pedes tumuli, ſeu lecticæ mortuorum contra Altare, medius inter dictos Acolythos tenentes luminaria: Celebrans verò ex alia parte in capite loci inter Altare & tumulum, aliquantum verſus cornu Epiſtolæ, ita vt Crucem Subdiaconi reſpiciat: à ſiniſtris eius Diaconus, & propè eum alij duo Acolythi deferentes thuribulum, & vas aquæ benedictæ. Interim cantatur* ℟. Libera me Dómine, *& circa illius finem Celebrans ponit incenſum in thuribulum, benedicens illud more ſolito, miniſtrante Diacono nauiculam: & finito.* Kyrie eléiſon, *incipit intelligibili voce* Pater noſter, *& ſecretò proſequendo reliqua, accipit aſperſorium de manu Diaconi, & facta Altari reuerentia, comitante eodem Diacono à dextris, & tenente fimbriam anteriorem Pluuialis, circuiens tumulum, aſpergit illum aqua benedicta, ter à parte dextra, & ter à ſiniſtra, cum tranſit ante Crucem, profundè inclinat, Diaconus verò genu flectit: poſtea de manu eiuſdem Diaconi accipit thuribulum, & eodem modo quo aſperſerat, incenſat, Et rediens ad priſtinum locum, Diacono tenente librum, iunctis manibus dicit:* Et ne nos, *& verſus,* A porta ínferi, *&,* Requiéſcant in pace, *&,* Dómine exáudi, Dóminus vobíſcum, Orémus. *cum Oratione.* Abſólue quæſumus Dómine, *&c. vt in proprio Miſſarum pro Defunctis, & poſt eam dicen.* Réquiem ætérnam, *&c. facit crucem manu dextra ſuper tumulum: & dicto per Cantores,* Requiéſcant in pace, *præcedente Cruce redit cum alijs ad Sacriſtiam.*

PRÆPARATIO AD MISSAM
PRO OPPORTVNITATE
SACERDOTIS FACIENDA.

Antiphona.

NE reminíſcáris Dómine delícta noſtra, vel paréntum noſtrórum, neque vindíctam ſumas de peccátis noſtris. Et tempore Paſchali additur in fine Allelúia.

Quæ Antiphona in feſtis Duplicibus tantum duplicatur. Deinde dicuntur ſequentes Pſalmi. Pſalmus. 83.

QVàm dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum: concupíſcit & déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum & caro mea: exultauérunt in Deum viuum.

Etenim paſſer inuénit ſibi domum: & turtur nidum ſibi, vbi repónat pullos ſuos.

Altária tua Dómine virtútum: rex meus & Deus meus.

Beáti qui hábitant in domo tua Dómine: in ſæcula ſæculórum laudábunt te.

Beátus vir, cuius eſt auxílium abs te, aſcenſiónes in corde ſuo diſpóſuit in valle lachrymárum: in loco quem póſuit

Etenim benedictiónem dabit legiſlátor, ibunt de virtúte in virtútem: vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum exáudi oratiónem meam: áuribus pércipe Deus Iacob

Protéctor noſter áſpice Deus: & réſpice in fáciem Chriſti tui.

Quia mélior eſt dies vna in átrijs tuis: ſuper míllia.

Digitized by Google

Elegi abiéctus eſſe in domo Dei mei: magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum.
Quia miſericórdiam & veritátem díligit Deus: grátiam & glóriam dabit Dóminus.
Non priuábit bonis eos qui ámbulant in innocéntia: Dómine virtútum beátus homo qui ſperat in te.
Glória Patri, & Filio.

Pſalmus. 84.

BEnedixíſti Dómine terrã tuam: auertíſti captiuitátem Iacob.
Remiſíſti iniquitátem plebis tuæ: operuíſti ómnia peccáta eórum.
Mitigáſti omnem iram tuam: auertíſti ab ira indignatiónis tuæ.
Conuérte nos Deus ſalutáris noſter: & auérte iram tuam à nobis.
Nunquid in ætérnum iraſcéris nobis: aut extendes iram tuam à generatióne in generatiónem.
Deus, tu conuérſus viuificábis nos: & plebs tua lætábitur in te.
Oſténde nobis Dómine miſericórdiam tuam: & ſalutáre tuum da nobis.
Aúdiam quid loquátur in me Dóminus Deus: quóniam loquétur pacem in plebem ſuam.
Et ſuper ſanctos ſuos: & in eos qui conuertúntur ad cor.
Verúntamen prope timéntes eum ſalutáre ipſius: vt inhábitet glória in terra noſtra.
Miſericórdia & véritas obuiauérunt ſibi: iuſtítia & pax oſculátæ ſunt.
Véritas de terra orta eſt: & iuſtítia de cælo proſpéxit.
Etenim Dóminus dabit benignitátem: & terra noſtra dabit fructum ſuum.
Iuſtítia ante eum ambulábit: & ponet in via greſſus ſuos.
Glória Patri. Pſalmus. 85.

INclína Dómine aurem tuam, & exáudi me: quóniam inops & pauper ſum ego.
Cuſtódi ánimam meam, quóniam ſanctus ſum: ſaluum fac ſeruum tuum, Deus meus ſperántem in te.
Miſerére mei Dómine, quóniam ad te clamáui tota die: lætífica ánimam ſerui tui, quóniam ad te Dómine ánimam meam leuáui.
Quóniam tu Dómine ſuáuis & mitis: & multæ miſericórdiæ ómnibus inuocántibus te.
Aúribus pércipe oratiónem meam: & inténde voci deprecatiónis meæ.
In die tribulatiónis meæ clamáui ad te: quia exaudíſti me.
Non eſt símilis tui in diis Dómine: & non eſt ſecúndum ópera tua.
Omnes gentes quaſcúnque fecíſti, vénient, & adorábunt coram te Dómine: & glorificábunt nomen tuũ.
Quóniam magnus es tu, & fáciens mirabília: tu es Deus ſolus.
Deduc me Dómine in via tua, & ingrédiar in veritáte tua: lætétur cor meum, vt tímeat nomen tuum.
Confitébor tibi Dómine Deus meus in toto corde meo: & glorificábo nomen tuum in ætérnum.
Quia miſericórdia tua magna eſt ſuper me: & eruíſti ánimam meam ex inférno inferióri.
Deus, iníqui inſurrexérunt ſuper me, & ſynagóga poténtium quæſiérunt ánimam meam: & non propoſuérunt te in conſpéctu ſuo.
Et tu Dómine Deus miſerátor & miſéricors: pátiens, & multæ miſericórdiæ, & verax.
Réſpice in me, & miſerére mei: da impérium tuum púero tuo, & ſaluum fac filium ancíllæ tuæ.
Fac mecum ſignum in bonum, vt víde ant qui odérunt me, & confundántur: quóniam tu Dómine adiuuíſti me, & conſolátus es me.
Glória Patri. Pſalmus. 115

CRédidi, propter quod locútus ſum: ego autem humiliátus ſum nimis.

Ego dixi in excéſſu meo: Omnis homo mendax.
Quid retríbuam Dómino, pro ómnibus quæ retríbuit mihi?
Cálicem ſalutáris accípiam: & nomen Dómini inuocábo.
Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo eius: pretióſa in conſpéctu Dómini mors ſanctórum eius.
O Dómine, quia ego ſeruus tuus: ego ſeruus tuus, & fílius ancíllę tuæ.
Dirupíſti víncula mea, tibi ſacrificábo hóſtiam laudis: & nomen Dómini inuocábo.
Vota mea Dómino reddam in conſpéctu omnis pópuli eius: in átriis domus Dómini, in médio tui Ierúſalem. Glória Patri, & Fílio.

Pſalmus. 129.

De profúndis clamáui ad te Dómine: Dómine exáudi vocem meam.
Fiant aures tuæ intendéntes: in vocem deprecatiónis meæ.
Si iniquitátes obſeruáueris, Dómine: Dómine quis ſuſtinébit?
Quia apud te propitiátio eſt: & propter legem tuam ſuſtínui te Dómine.
Suſtínuit ánima mea in verbo eius: ſperáuit ánima mea in Dómino.
A cuſtódia matutína vſque ad noctem: ſperet Iſráel in Dómino.
Quia apud Dóminum miſericórdia: & copióſa apud eum redémptio.
Et ipſe rédimet Iſráel: ex ómnibus iniquitátibus eius.
Glória Patri, & Fílio.

Deinde repetitur Antiphona.

Ne reminíſcáris, Dómine, delícta noſtra, vel paréntum noſtrórum: neque vindíctam ſumas de peccátis noſtris.
Tempore Paſchali Allelúia. vt ſuprà.

Poſteà Sacerdos dicit.

Kýrie eléiſon. Chriſte eléiſon.
Kýrie eléiſon. Pater noſter.
℣. Et ne nos indúcas.
℟. Sed líbera. ℣. Ego dixi, Dómine, miſeréremei.
℟. Sana ánimam meam quia peccáui tibi. ℣. Conuértere Dómine aliquántulum..
℟. Et deprecáre ſuper ſeruos tuos.
℣. Fiat miſericórdia tua Dómine ſuper nos. ℟. Quemádmodum ſperáuimus in te. ℣. Sacerdótes tui induántur iuſtítiam. ℟. Et ſancti tui exúltent. ℣. Ab occúltis meis munda me Dómine.
℟. Et ab aliénis parce ſeruo tuo.
℣. Dómine exáudi oratiónem meã.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíſcum.
℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

Aures tuæ pietátis, mitíſſime Deus, inclína précibus noſtris, & grátia ſancti Spíritus illúmina cor noſtrum: vt tuis myſtérijs dignè miniſtráre, teque ætérna charitáte dilígere mereámur.

Deus, cui omne cor patet, & omnis volúntas lóquitur, & quem nullum latet ſecrétum, puríſica, per infuſiónem ſancti Spíritus, cogitatiónes cordis noſtri: vt te perféctè dilígere, & dignè laudáre mereámur.

Vre igne ſancti Spíritus renes noſtros & cor noſtrum, Dómine: vt tibi caſto córpore ſeruiámus, & mundo corde placeámus.

Mentes noſtras, quæſumus Dómine, Paraclétus, qui à te procédit, illúminet: & indúcat omnem, ſicut tuus promíſit Fílius, veritátem.

Adſit nobis, quæſumus Dómine, virtus Spíritus ſancti: quæ & corda noſtra cleménter expúrget, & ab ómnibus tueátur aduérſis.

Deus, qui corda fidélium ſancti Spíritus illuſtratióne docuíſti:

da nobis in eódem Spíritu recta ſápere, & de eius ſemper conſolatióne gaudére.

Conſciéntias noſtras, quæſumus Dómine, viſitándo puríſica: vt véniens Dóminus noſter Ieſus Chriſtus filius tuus, parátam ſibi in nobis inuéniat manſiónem. Qui tecum viuit & regnat in vnitáte Spíritus ſancti Deus, per ómnia ſǽcula ſæculórum. Amen.

ORATIONES DICENDÆ cum Sacerdos induitur ſacerdotalibus paramentis.

Cùm lauat manus, dicat.

DA, Dómine, virtútem mánibus meis ab abſtergéndam omnem máculam: vt ſine pollutióne mentis & córporis váleam tibi ſeruíre.

Ad Amictum, dum ponitur ſuper caput dicat.

IMpóne, Dómine, cápiti meo gáleam ſalútis, ad expugnándos diabólicos incúrſus.

Ad Albam cùm ea induitur.

DEálba me, Dómine, & munda cor meum: vt in Sánguine Agni dealbátus, gaúdijs pérfruar ſempitérnis.

Ad Cingulum, dum ſe cingit.

PRæcínge me, Dómine, cíngulo puritátis, & extíngue in lumbis meis humórem libídinis: vt máneat in me virtus continéntiæ, & caſtitátis.

Ad Manipulum, dum imponitur brachio ſiniſtro.

MEreár, Dómine portáre manípulum fletus & dolóris: vt cum exultatióne recípiam mercédem labóris.

Ad Stolam, dum imponitur collo.

REdde mihi, Dómine, ſtolam immortalitátis, quam pérdidi in præuaricatióne primi paréntis: & quamuis indígnus accédo ad tuum ſacrum myſtérium, mérear tamen gáudium ſempitérnum.

Ad Caſulam, cùm aſſumitur.

DOmine, qui dixíſti, Iugum meum ſuáue eſt, & onus meum leue: fac, vt iſtud portáre ſic váleam, quòd cónſequar tuam grátiam. Amen.

ORDO MISSÆ.

Sacerdos paratus cum ingreditur ad Altare, facta illi debita reuerentia ſe ſigno crucis à fronte ad pectus, & clara voce dicit.

IN nómine Patris, & Filij, & Spíritus ſancti, Amen.

Deinde iunctis manibus ante pectus, incipit Añam.

Introibo ad altáre Dei.

Miniſtri R. Ad Deum qui lætíficat iuuentútem meam.

Poſtea alternatim cum miniſtris dicit ſequentem Pſalmum.

IVdica me Deus, & diſcérne cauſam meam de gente non ſancta: ab hómine iníquo & dolóſo érue me.

M. Quia tu es Deus fortitúdo mea: quare me repulíſti, & quare triſtis incédo, dum afflígit me inimícus?

S. Emítte lucem tuam, & veritátem tuam: ipſa me deduxérunt, & adduxérunt in montem ſanctum tuum, & in tabernácula tua.

M. Et introíbo ad altáre Dei: ad

Deum qui lætíficat iuuentútem meam.
S. Confitébor tibi in cíthara Deus Deus meus: quare triſtis es ánima mea, & quare contúrbas me?
M. Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: ſalutáre vultus mei, & Deus meus.
S. Glória Patri, & Fílio & Spirítui ſancto.
M. Sicut erat in princípio, & nunc & ſemper: & in ſǽcula ſæculórum Amen.
Repetit Antiphonam. Introíbo ad altáre Dei. ℟. Ad Deum qui lætíficat iuuentútem meam.
Signat ſe dicens. ℣. Adiutórium noſtrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum & terram.
Deinde iunctis manibus profunde inclinatus facit Confeſſionem.
In Miſſis Defunctorum, & in Miſſis de tempore, à Dominica Paſſionis vſque ad Sabbatum ſanctum excluſiuè, omittitur Pſalm. Iúdica me Deus. cum Glória Patri. & repetitione Antiphonæ: ſed dicto. In nomine pat. Introíbo. & Adiutórium fit Confeſſio, vt ſequitur.

Confíteor Deo omnipoténti, beátæ Maríæ ſemper vírgini, beáto Michaéli archángelo, beáto Ioánni Baptíſtæ, ſanctis Apóſtolis Petro & Paulo, ómnibus ſanctis, & vobis fratres: quia peccáui nimis cogitatióne, verbo, & ópere. Percutit ſibi pectus ter dicens: mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa. Ideo precor beátam Maríam ſemper vírginem, beátum Michaélem archángelum, beátum Ioánnem Baptíſtam, ſanctos Apóſtolos Petrum & Paulum, omnes ſanctos, & vos fratres, oráre pro me ad Dóminum Deum noſtrum. Miniſtri. ℟.

Miſereátur tui omnípotens Deus, & dimíſſis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam.

Sacerdos dicit, Amen.

Et erigit ſe. Deinde miniſtri repetunt Confeſſionem: & vbi à Sacerdote dicebatur, vobis fratres, & vos fratres, à miniſtris dicitur, tibi pater, &, te pater. Poſtea Sacerdos iunctis manibus facit abſolutionem, dicens.

Miſereátur veſtri omnípotens Deus, & dimíſſis peccátis veſtris, perdúcat vos ad vitam ætérnam. ℟. Amen.

Signat ſe ſigno crucis, dicens.

Indulgéntiam, abſolutiónem, & remiſſiónem peccatórum noſtrórum, tríbuat nobis omnípotens & miſéricors Dóminus. ℟. Amen.

Et inclinatus proſequitur.
℣. Deus tu conuérſus viuificábis nos.
℟. Et plebs tua lætábitur in te.
℣. Oſténde nobis Dómine miſericórdiam tuam.
℟. Et ſalutáre tuum da nobis.
℣. Dómine exáudi oratiónem meã.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíſcum.
℟. Et cum ſpíritu tuo.
Et extendens ac iungens manus clara voce dicit, Orémus, & aſcendens ad Altare, dicit ſecretò.

Aufer à nobis, quǽſumus Dómine, iniquitátes noſtras: vt ad ſancta ſanctórum, puris mereámur méntibus introíre. Per Chriſtum Dóminum noſtrum. Amen.

Deinde manibus iunctis ſuper Altare, inclinatus dicit.

Orámus te Dómine, per mérita ſanctórum tuórum, Oſculatur Altare in medio, quorum relíquiæ hic ſunt, & ómnium ſanctórum: vt indulgére dignéris ómnia peccáta mea, Amen.

In Miſſa ſolemni, Celebrans antequam legat Introitum, benedicit incenſum, dicens, Ab illo bene ✠ dicáris, in cuius honóre cremábe-

ris, Amen.

Et accepto thuribulo à Diacono: incenſat Altare, nihil dicens. Poſtea Diaconus recepto thuribulo à Celebrante, incenſet illum tantum.

Deinde Celebrans ſignans ſe ſigno crucis incipit, **Intróitum.** quo finito, iunctis manibus alternatim cum miniſtris dicit.

KY'rie eléiſon.
Kýrie eléiſon.
Kýrie eléiſon.
Chriſte eléiſon.
Chriſte eléiſon.
Chriſte eléiſon.
Kýrie eléiſon.
Kýrie eléiſon.
Kýrie eléiſon.

Poſtea in medio Altaris extendens & iungens manus, caputque aliquãtulum inclinans, dicit, ſi dicendum eſt. **Glória in excélſis Deo.** & proſequitur iunctis manibus. Cum dicit, **Adorámus te, Grátias ágimus tibi,** & **IéſuChriſte,** &c, **Súſcipe deprecatiónem,** inclinat caput: & in fine dicens, **Cum ſancto Spíritu,** ſignat ſe à fronte ad pectus.

Deinde oſculatur altare in medio, & verſus ad populum dicit ℣. **Dóminus vobíſcum.** ℟. **Et cum ſpíritu tuo,** Poſtea dicit **Orémus,** & Orationes, vnam aut plures, vt ordo Officij poſtulat: ſequitur **Epíſtola, Graduále, Tractus,** vel **Allel** cum **Verſus,** et **Sequéntia,** vt tempus poſtulat. His finitis, ſi eſt Miſſa ſolemnis, Diaconus deponit librum Euangeliorum ſuper medium altaris, & Celebrans benedicit incenſum, vt ſupra: deinde Diaconus genuflexus ante altare, manibus iunctis dicit.

MVnda cor meum, ac lábia mea, omnípotens Deus, qui lábia Iſaíæ prophétæ cálculo mundáſti ignito: ita me tua grata miſeratióne dignáre mundare, vt ſanctum Euangélium tuum dignè váleam nuntiáre. Per Chriſtum Dóminum noſtrum, Amen.

Poſtea accipit librum de altari, & rurſus genuflexus petit benedictionem à Sacerdote, dicens: **Iube domne benedícere.**

Sacerdos reſpondet.

DO'minus ſit in corde tuo, & in lábiis tuis: vt dignè & competénter annúnties Euãgélium ſuum: In nómine Patris, & Filij, ✠ & Spíritus ſancti. Amen.

Et accepta benedictione, oſculatur manum Celebrãtis: & cum aliis miniſtris, incenſo & luminaribus, accedens ad locum Euangelij, [illegible] iunctis manibus, dicit ℣. **Dóminus vobíſcum.** ℟. **Et cum ſpíritu tuo.** pronuntians, **Sequéntia ſancti Euãgélij ſecúndum** N. [illegible] **Inítiũ,** hic dextræ manus: ſignat librum in principio Euangelij, quod [illegible] rus, deinde ſeipſum in fronte [illegible] & pectore: & dum miniſtri reſpondent, **Glória tibi Dómine,** incenſat librum, poſtea proſequitur Euangelium iunctis manibus. Quo finito, Subdiaconus defert librum Sacerdoti, qui oſculatur [illegible] dicens, **Per Euãgélica dicta deleántur noſtra delícta.**

Deinde Sacerdos incenſatur à Diacono. Si vero Sacerdos ſine Diacono & Subdiacono celebrat, delato libro ad aliud cornu altaris, inclinatus in medio, iunctis manibus, dicit: **Munda cor meũ, vt ſuprà,** [illegible] **Iube Dómine benedícere.** **Dóminus ſit in corde meo, & in lábiis meis, vt dignè & competénter annúntiem Euangélium ſuum. Amen.**

Deinde [illegible] iunctis manibus [illegible] **Dóminus vobíſcum.** ℟. **Et cũ ſpíritu tuo,** & pronuntians **Inítium,** vel **Sequéntia ſancti Euangélij, &c.** [illegible] librum [illegible] & legit Euangelium.

Euangelium, vt dictum eſt. Quo finito, reſpondet miniſter, **Laus tibi Chriſte.** & Sacerdos oſculatur Euãgelium, dicens: **Per Euãgélica dicta,** vt ſuprà. In Miſſis Defunctorũ dicitur M**unda cor meum,** ſed non petitur benedictio, non deferuntur luminaria, nec Celebrans oſculatur librum.

Deinde ad mediũ Altaris extendẽs, eleuans, & iungens manus, dicit, ſi dicẽdum eſt, C**redo in vnum Deũ.** & proſequitur iunctis manibus. Cũ dicit, **Deum**, caput Cruci inclinat: quod ſimiliter facit cũ dicit, **Iéſum Chriſtum,** &, **ſimul adoràtur** Ad illa autẽ verba, **Et incarnátus eſt,** genuflectit vſque dum dicatur, **Et homo factus eſt.** In fine ad, **Et vitam ventúri ſæculi,** ſignat ſe ſigno Crucis à fronte ad pectus.

Deinde oſculatur Altare, & verſus ad populum, dicit, Verſu**m Dóminus vobíſcũ.** ℞. **Et cum ſpíritu tuo.** Poſtea dicit, O**rémus,** & Offertorium. Quo dicto, ſi eſt Miſſa ſolemnis Diaconus porrigit Celebranti patenam cum Hoſtia: ſi priuata, Sacerdos ipſe accipit patenam cum Hoſtia, quam offerens, dicit.

SVſcipe ſancte pater omnípotẽs ætérne Deus, hanc immaculátam hóſtiam, quam ego indígnus fámulus tuus óffero tibi Deo meo viuo & vero, pro innumerabílibus peccátis & offenſiónibus & neglígentijs meis, & pro ómnibus circunſtántibus, ſed & pro ómnibus fidélibus Chriſtiánis viuis atque defúnctis: vt mihi & illis proficiat ad ſalútem in vitam ætérnam. Amen.

Deinde faciens crucẽ cum eadem patena, deponit Hoſtiam ſuper corporale. Diaconus miniſtrat vinum, Subdiaconus aquam in Calice: vel ſi priuata eſt Miſſa, vtrumque infundit Sacerdos, & aquam miſcendam in Calice benedicit, ✠ dicens.

DEus, qui humánæ ſubſtántiæ dignitátem mirabíliter condíſti, & mirabílius reformáſti: da nobis per huius aquæ & vini myſtérium, eius diuinitátis eſſe conſórtes, qui humanitátis noſtræ fieri dignátus eſt párticeps, Iéſus Chriſtus filius tuus Dóminus noſter. Qui tecum viuit & regnat in vnitáte Spíritus ſancti Deus: per ómnia ſæcula ſeculórum. Amen.

In Miſſis pro Defunctis dicitur prædicta Oratio: ſed aqua non benedicitur. Poſtea accipit Calicem, & offert, dicens.

OFférimus tibi Dómine, cálicem ſalutáris, tuam deprecántes cleméntiam, vt in conſpéctu diuínæ maieſtátis tuæ pro noſtra & totíus mundi ſalúte cum odóre ſuauitátis aſcéndat. Amen

Deinde facit ſignum crucis cum Calice, & illu**m** ponit ſuper corporale, & palla cooperit: tum iunctis manibus ſuper altare, aliquantulum inclinatus dicit.

IN ſpíritu humilitátis, & in ánimo contríto ſuſcipiámur à te Dómine: & ſic fiat ſacrificium noſtrum in conſpéctu tuo hódie, vt pláceat tibi, Dómine Deus.

Erectus expandit manus, eaſque in altum porrectas iungens, eleuatis ad cœlum oculis, & ſtatim demiſſis, dicit.

VEni ſanctificátor omnípotens ætérne Deus: Benedicit oblata proſequendo, & béne ✠ dic hoc ſacrificium tuo ſancto nómini præparátum.

Poſtea, ſi ſolemniter celebrat, benedicit incenſum, dicens.

PEr interceſſiónẽ beáti Michaélis Archángeli ſtantis à dextris altáris incénſi, & ómnium electórum ſuórum, incénſum iſtud dignétur Dóminus bene ✠ dícere, & in odórẽ ſuauitátis accípere. Per Chriſtum

Dóminum noſtrum.Amen.

Et accepto thuribulo à Diacono: incenſat oblata, modo in rubricis generalibus præſcripto, dicens.

INcénſum iſtud à te benedíctum, aſcéndat ad te.Dómine,& deſcéndat ſuper nos miſericórdia tua.

Deinde incenſat altare, dicens.

DIrigátur Dómine orátio mea, ſicut incēſum, in cōſpéctu tuo: eleuátio mánuum meárum ſacrifícium veſpertínum. Pone Dómine, cuſtódiam ori meo,& óſtium circūſtántiæ lábiis meis: vt non declínet cor meū in verba malítiæ ad excuſándas excuſatiónes in peccátis. Dū reddit thuribulum Diacono, dicit.

ACcéndat in nobis Dóminus ignem ſui amóris,& flammam ætérnæ charitátis.Amen.

Poſtea incenſatur Sacerdos à Diacono, deinde alij per ordinem. Interim Sacerdos lauat manus, dicens.

LAuábo inter innocéntes manus meas:& circúmdabo altáre tuū Dómine.

Vt áudiam vocē laudis: & enárrem vniuérſa mirabília tua.

Dómine diléxi decórē domus tuæ, & locum habitatiónis glóriæ tuæ.

Ne perdas cū ímpiis ánimam meā: & cum viris ſánguinū vitam meam.

In quorū mánibus iniquitátes ſunt: déxtera eórū repléta eſt munéribus.

Ego autē in innocéntia mea ingréſſus ſum: rédime me,& miſerére mei.

Pes meus ſtetit in diréćto: in eccléſiis benedícam te Dómine.

Glória Patri,& Fílio:& Spūi ſancto.

Sicut erat in princípio, & nunc, & ſemper:& in ſǽcula ſæculórū. Amē.

In Miſſis pro defunctis,& tempore Paſſionis in Miſſis de tēpore omittitur, Glória Patri. Deinde aliquātulum inclinatus in medio altaris, iunctis manibus ſuper eo, dicit.

SVſcipe, ſācta Trinitas, hāc oblatiónem quam tibi offérimus ob memóriā Paſſiónis, Reſurrectiónis, & Aſcenſiónis Iéſu Chriſti Dñi noſtri:& in honóre beátæ Maríæ sēper vírginis,& beáti Ioánnis Baptíſtæ,& Sanctórū Apoſtolórū Petri & Pauli, & iſtórum,& ómnium Sanctórū: vt illis proficiat ad honórē, nobis autē ad ſalútem:& illi pro nobis intercédere dignéntur in cælis, quorū memóriā ágimus in terris. Per eúndem Chriſtum Dóminum noſtrū.Amen.

Poſtea oſculatur altare, & verſus ad populū, extēdens, & iūgens manus, voce paululum eleuata dicit.

ORáte fratres: vt meū ac veſtrū ſacrifíciū acceptábile fiat apud Deum Patrem omnipoténtem.

Miniſter, ſeu circumſtantes reſpōdent: alioquin ipſemet Sacerdos.

SVſcípiat Dóminus ſacrifícium de mánibus tuis (vel meis) ad laudem & glóriam nóminis ſui, ad vtilitátem quoque noſtram totiúſque Eccléſiæ ſuæ ſanctæ. Sacerdos ſubmiſſa voce dicit, Amen.

Deinde manibus extēſis abſolutè ſine Orémus. ſubiungit Orationes ſecretas. Quibus finitis, cùm peruenerit ad concluſionem, clara voce dicit: Per ómnia ſǽcula ſæculórum. cum Præfatione, vt in ſequentibus. Præfatio incipitur ambabus manibus poſitis hinc inde ſuper altare: quas aliquantulum eleuat, cùm dicit, Surſum corda. Iungit eas ante pectus, & caput inclinat, cùm dicit, Grátias agámus Dño Deo noſtro.

Deinde diſiungit manus, & diſiunctas tenet vſque ad finem Præfationis: qua finita, iterum iungit eas, & inclinatus dicit, Sanctus. Et cum dicit, Benedíctus qui venit. ſignū Crucis ſibi producit à fronte ad pectus.

De his quæ clara voce aut ſecretò dicenda ſunt in Miſſa.

XVI.

IN Miſſa priuata clara voce dicuntur Antiphona, & Pſalmus

ad

ad Introitum, Confeſſio, & quæ ſequuntur, excepta Oratione Aufer à nobis, & Orámus te Dómine per mérita ſanctórum tuórum, &c. Item Introítum, Kýrie eléyſon, Glória in excélſis, Dóminus vobíſcum, Orémus, Flectámus génua, Leuáte, Orátio, vel Oratiónes, Prophétiæ, Epíſtola, Graduále, Verſus, Tractus, Sequéntia, Euangélium, Credo, Offertórium, Oráte fratres ſolum hæc duo verba, Præfátio, Nobis quoque peccatóribus, ſolum hæc tria verba. Item Per ómnia ſǽcula ſæculórum, &c. cum Pater noſter, Pax Dómini. Agnus Dei, Dómine non ſum dignus, hæc quatuor verba tantum, Commúnio, Orátio, vel Oratiónes poſt communiónem, Humiliáte cápita veſtra Deo, Ite miſſa eſt, vel Benedicámus Dómino, vel Requiéſcant in pace, Benedíctio, & Euangeliũ, In princípio, vel aliud Euangelium, Alia omnia dicuntur ſecretò.

2 Sacerdos autem maximè curare debet, vt ea quæ clara voce dicenda ſunt, diſtinctè & appoſitè proferat, non admodum feſtinanter, vt aduertere poſſit quæ legit, nec nimis morosè, ne audientes tædio afficiat: neque etiam voce nimis elata, ne perturbet alios, qui tunc temporis in eadem Eccleſia celebrant, neque tam ſubmiſſa, vt à circumſtantibus audiri non poſſit, ſed mediocri & graui, quæ & deuotionem moueat, & audientibus ita ſit accommodata, vt quæ leguntur, intelligant. Quæ verò ſecretò dicenda ſunt, ita pronuntiet, vt & ipſemet ſe audiat, & à circumſtantibus non audiatur.

3 *In Miſſa ſolemni clara voce à Celebrante dicuntur quando intonatur* Glória in excélſis, *&* Credo, Dóminus vobíſcum Orémus, *ante Orationes, & ante Offertorium,* Præfátio, Pater noſter, Pax Dómini, *&* Oratiónes poſt communiónem. *Alia quæ in Miſſa priuata dicuntur clara voce, in Miſſa ſolemni à Celebrante dicuntur ſubmiſſa voce.*

GRATIARVM ACTIO poſt Miſſam, Antiphona

Trium puerórum cantémus hymnum: quem cantábant ſancti in camíno ignis, benedicéntes Dóminum. Et tempore Paſcha'i additur in fine. Allelúia. Quæ Antiphona in feſtis Duplicibus tantum duplicatur.

Canticum trium puerorum.

Benedícite ómnia ópera Dómini Dómino: laudáte & ſuperexaltáte eum in ſæcula.

Benedícite Angeli Dómini Dómino: benedícite cæli Dómino.

Benedícite aquæ omnes, quæ ſuper cælos ſunt, Dómino: benedícite omnes virtútes Dómini Dómino.

Benedícite ſol & luna Dómino: benedícite ſtellæ cæli Dómino.

Benedícite omnis imber, & ros Dómino: benedícite omnes ſpíritus Dei Dómino.

Benedícite ignis & æſtus Dómino: benedícite frigus & æſtus Dómino.

Benedícite rores & pruína Dómino: benedícite gelu & frigus Dómino.

Benedícite glácies & niues Dómino: benedícite noctes & dies Dómino.

Benedícite lux & ténebræ Dómino: benedícite fúlgura & nubes Dómino.

Benedícat terra Dóminum: laudet & ſuperexáltet eum in ſæcula.

Benedícite montes & colles Dño: benedícite vniuérſa germinántia in terra Dño.

Benedícite fontes Dómino: benedícite mária & flúmina Dómino.

Benedícite cete, & ómnia quæ mouéntur in aquis, Dómino: benedícite omnes vólucres cæli Dómino.

Benedícite omnes beſtiæ & pécora Dómino: benedícite fílij hóminũ Dómino.

Benedícat Iſráel Dóminum: laudet & ſuperexáltet eum in ſæcula.

Benedícite ſacerdótes Dómini Dómino: benedícite ſerui Dómini Dómino.

Benedícite ſpíritus & ánimæ iuſtórum Dómino: benedícite ſancti & húmiles corde Dómino.
Benedícite Anánia, Azária, Míſael Dómino: laudáte & ſuperexaltáte eum in ſæcula.
Benedicámus Patrem & Fílium cum ſancto Spíritu: laudémus & ſuperexaltémus eum in ſæcula.
Benedíctus es Dómine in firmaménto cæli: & laudábilis, & glorióſus, & ſuperexaltátus in ſæcula. Pſalmus 150.

LAudáte Dóminum in ſanctis eius: laudáte eum in firmaménto virtútis eius.
Laudáte eum in virtútibus eius: laudáte eum ſecúndum multitúdinem magnitúdinis eius.
Laudáte eum in ſono tubæ: laudáte eum in pſaltério & cíthara.
Laudáte eum in tympano & choro: laudáte eum in chordis & órgano.
Laudáte eum in cymbalis beneſonántibus: laudáte eum in cymbalis iubilatiónis: ómnis ſpíritus laudet Dóminum.
Glória Patri. Sicut erat.

Deinde repetitur Antiphona.

Trium puerórum cantémus hymnum: quem cantábant ſancti in camíno ignis, benedicéntes Dóminum. Tempore Paſchali Allelúia. vt ſuprà.

Deinde Sacerdos dicit.

Kyrie eléiſon. Chriſte eléiſon. Kyrie eléiſon. Pater noſter.
℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera.
℣. Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua
℟. Et ſancti tui benedícant tibi. ℣. Exultábunt ſancti in glória.
℟. Lætabúntur in cubílibus ſuis.
℣. Non nobis, Dómine, non nobis.
℟. Sed nómini tuo da glóriam. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

DEus, qui tribus púeris mitigáſti flámas ígnium: concede propítius: vt nos fámulos tuos non exúrat flamma vitiórum.

ACtiónes, quæſumus Dómine, aſpirándo præueni, & adiuuándo proſéquere: vt cuncta noſtra orátio & operátio à te ſemper incípiat, & per te cœpta finiátur.

DA nobis, quæſumus Dómine, vitiórum noſtrórum flammas extínguere, qui beáto Lauréntio tribuíſti tormentórũ ſuórum incéndia ſuperáte. Per Chriſtum Dóminum noſtrum. Amen.

RVBRICÆ GENERALES
DE MISSIS CONVENTVALIBVS.

Quot Miſſæ dietim ſint dicendæ.

FEria 6. ante Paſcha nulla dicatur. In vigilia Paſchæ vnica dicatur. Cæteris diebus vnica quoque dicatur demptis ſequentibus.

Quibus diebus ij. Miſſæ ſunt dicendæ.

Dominicis diebus, in die Aſcen. Domini in feſto S. Sacramenti altaris. Feriis 2. 3 & 4. Hebd. Paſchæ & Pentec. in dedicatione proprij templi & diebus, quibus in Calend. ſignãtur duæ Miſſæ, atque in feſtis ſolemnioribus proprij Epiſcopatus aut prouinciæ, celebrandæ ſunt duæ Miſſæ in conuentu: quarum vna dicatur poſt primam, altera poſt tertiam. Poſt tertiam quoque dicuntur aliis diebus Miſſæ conuentuales: demptis vigiliis Paſchæ & Pentecnam in hac dicitur poſt ſextam, in illa poſt nonã. Non enim licet (dempta noctenatalis Domini) ante lucem, nec poſt meridiem Miſſam facere ſiue priuatam ſiue ſolemnem: nec bis in die eodem, excepta ſupradicta die natalis, ſine expreſſa diſpenſatione Summi Pontificis.

Quibus aliis diebus dicuntur duæ Miſſæ extra Dominicam & dies in calend. notatos ij. Miſ.

Celebrantur quoque duæ Miſſæ in conuentu, ſed vtraque poſt tertiam ſine interuallo, præeunte Miſſa de ieiunio (demptis fer. Pentec.) Sabbatis infra 1ª Dominicã xlª & Dominicam Ramorum. Si à fer. 4. in cap. ieiun. j. à die Cinerum vſque ad Cœnam Domini. Feriis 5. 6. Sabb heb. Paſc. & Pẽtec. cùm de ipſis feriis in choro fuerit officium matutinorũ. Feriis 2. 3. & 4. infra Dominicã quintam poſt Paſcha & diem Aſcen. Domi. quæ dicuntur Rogationes, aliquo dierum ieiuniorum quatuor temp. aut prima die, qua Capitulum generale celebratur venerit feſtum Sãcti habens xii. lect. & vnam Miſſam, aut vigilia aut octaua Sancti. Item ſi in aliquo illorũ dierum habentium officium de tẽpore, vel horũ de Sãctis, vel ſexta die poſt natalem Domini extra Dominicam incidente, vel in vigil. natalis, Epiph. Domi. vel Aſſumpt. & natiuitatis B. Marię extra Dominicã euenientibus fuerit præſens defunctus: pro eo fiet vna Miſſa, pro opportunitate dicẽda vltra Miſſam de tẽpore, ieiunio, aut de Sanctis in conuentu canendam.

Quibus diebus dicuntur tres Miſſæ.

Si duo officia ex ſupradictis fuerint eodẽ die celebrãda, & ſuperuenerit præſens defũct. dicetur pro eo Miſſa & ſic erunt tres: quarum, quæ pro defũ. eſt, dicetur pro opportunitate.

A quibus dicantur Miſſæ. & primo De Miſſis Abbatialibus.

Celebrabit Abbas magnã Miſſ. vigil. natalis Domi. in Cœna Domi. in vigil Paſchæ, Pentec. Aſſump. & natiu. beatæ Mariæ. In feſtis Sermonum, in quinque præcipuis officiis defunct. pro præſenti defuncto. ad quem eundem tradere ſepulturæ pertiner, & officium in die Paraſceue. j. feria 6. ante Paſcha celebrare.

Dies autem Sermonum ſunt.

Aſcenſio Domini, Feſtum Sanctiſſimę Trinitatis, S. Sacramenti, Dedicationis Eccleſiæ & dies, qui bus in Calẽdario ſignatur Sermo. vltra feriam 6. ante Paſc. qua tamẽ nõ dicitur Miſ.

A quibus aliæ Miſſæ.

Miſſam matutinalẽ diebus Domini. & feſtis ij Miſſarum debet celebrare Sacerdos hebdomadarius præteritæ hebdᵉ. maiorẽ verò hebdomadarius

Google

hebdomadæ currentis.
Aliis diebus, quibus ſunt duæ Miſſ. quarũ neutra eſt pro præſẽti defun. Miſſam ieiunij, quæ prior erit (dẽptis feriis 4. temp. Pentec.) & Rogationũ celebrabit preſen. hebdomadæ heb⁹ & alterã heb. præteritæ heb⁹. Miſſam verò dictarum fer. Pent. & 5. fer. vt & feriarũ 5. 6. & Sabbati Paſchæ (niſi fuerit feſtum ij. Miſſarum) celebrabit præſentis hebdomadę heb⁹. alteram verò præce. heb. Similiter fit de Miſſa feſti de temp. i⁹. Miſſ. ſi venerit aliud feſtum ſimul de Sancto xij. lect. & i⁹. Miſſ. Cantor dicet vel dicendã commendabit intermiſſã Miſſ. de SS. niſi quæ à fer. 5. ante Paſch. vſq; ad fer. 5. poſt & à vigil. Pentec. vſque ad fer. 5. poſt vel ĩ die Aſcẽ. aut Sacra. euenerit.
Item dicuntur tres Miſſæ in natali Domini (quarum vna dicitur in media nocte, altera in aurora ante primam, tertia poſt tertiam.)
Itẽ ſi præſens defunctus fuerit in vigilia ipſius natalis die Domi. occur. Domini. prima poſt ipsã natalẽ, aut Dominica ante vigiliam Epiph. aut Dominica ante ſeptuageſimã, qua inchoatur hiſtoria Domine ne. ſi fuerit feſtum xii. lect. quod non trãſferatur (transferuntur autẽ feſta xii. lect. & ij. Miſſ. & S. Agnetis, ſi oportuerit, dẽpta purificatione) aut ipſa Domi. lxx^a. aut alia ex ſequẽt. vſque ad Ramos: & ab oct. Paſchæ vſq; ad Aſcenſ. Domini venerit feſtum tale xii. lect. & vnius Miſſę de quo nõ fuerit officiũ: aut cùm offic. de Domini. non poteſt alio die dici. In ipſa quoque Dominica Ramorum, licet nullum ſit tale feſtum: aut denique primus dies capituli Generalis euenerit in feſto duarum Miſſ. aut oct. Aſcẽſ. Domi. aut S. Sacramenti Altaris venerit in tali die ij. Miſſarum aut cùm feſtum xii. lect. & 1. Miſ. celebratur in die duarũ Miſſarum & de eo fit tantum cum. vt contingit de feſtis S. Roberti & S. Petri mart. aut cũ Miſſa ieiunij de tẽpore aut Rogat. euenerit, tunc celebrandæ ſunt tres Miſſæ in conuentu: quarũ vna erit pro defun. pro opportunitate dicenda ante vel poſt tertiã: cæterarum ſolẽnior poſt tertiam, minus ſolẽnis poſt primam. Diebus verò vacãtibus aut Sãcti ſolius cõ. & Miſſæ nõ dicitur alia Miſſa quã pro præſenti defun. dũ præſens fuerit. Diebus autẽ Domi. & ii. Miſſ. (non exceptis) Miſſa matutinalis erit pro defuncto, alia intermiſſa, quæ ſi diſtincta fuerit à maiori, vel in ſola Epiſtola aut Euangelio, priuatim dicenda cõmendabitur à cantore: diebus verò natalis Domi. Paſchę & Pẽtec. dicetur Miſſa priuata pro pręſenti defuncto, qui ſequẽti die, aut alia commodiori, habebit ſuam Miſſam in conuentu.

Quæ Miſſæ priuatis diebus ſint dicendæ.

Feriis 4. 6. & Sabb. 3. heb. Aduent. Domini, in vigilia natalis Domi. 6. die poſt ipſam natalem, vigil. Epiph. à fer. 4. poſt l. & ad oct. Paſchæ, tribus diebus poſt 5. Domi. poſt Paſcha, in Aſcen. & oct. à vigil. Pentec. vſque ad eius oct. fer. 5. poſt eum oct. & feriis 4. temp. in Sept. ſunt officia de tempore in Miſſali. Sunt quoque Miſſæ ſiue officia de Sanctis in Sanctorali pro diebus ſignatis in Cal.

Reliquis diebus j. de vacantibus.

Extra oct. dictas & oct. B. Mariæ, die Dominica ab aduentu Domini vſq; ad Paſcha vtraq; Miſſa eſt de Domi. currente, à Paſcha vſque ad Aſcenſ. Dom. 1^a. Miſſa eſt de Reſur. 2 de Dom. Ab oct. Pẽtec. vſq; ad Aduent. 1^a Miſ. eſt de S. Trinitate. 2^a de Dom. demptis iis, quæ ante dicta ſunt.
Fer. 2. Miſſa, aut qualibet die in hebdomada priùs vacante, pro defunct.
Feria 3. de S. Bernardo.
Feria 4. pro familiarib⁹ extra tẽpus Paſchale, quo fit de Reſurrectione.
Feria 5. ab oct. Epiph. vſque ad Aſcen.

Domini

de Dominica præcedēti. niſi Ab oct.
S.Sacramēti vſque ad natalem Do-
min. tunc enim fit de ipſo S. Sacram.
& de Sancto Spiritu alternatim.
Feria 6. per aduentum de Domi. præ-
cedente, aliis verò temp. de S.Cruce.
Sabbato de B. Maria. extra oct. ſolē-
nes & dies, quibus ſunt officia de tēp.
Et intra Domini. 1. xlª. & Domi. in
Ramis (nā infra illud tempus dicitur
Miſſa de ipſa, poſt Miſſam de ieiu-
niis) vel niſi fuerit feſtū Sancti xii.
lect. vig. aut oct. aut offic. domini-
cale fuerit celebrandum aut offi-
cium defunct.

De Miſſis duorum miniſtrorum.

In Miſſis Abbatialibus, quamuis ab
Abbate non celebrentur: in maiori
Miſſa Dominicarum, fer. & feſtorū
ij. Miſſ. viª· diei poſt natalē Domini,
licet venerit extra Dominicā. quan-
do fit de oct. Epiph. Aſcen. S. Sacra-
menti infra octauas ſuas.
Fer. 5. 6. & Sabb. heb. Paſchæ & Pent.
In Miſſis feſtorum xii. lect. & 1. Miſſæ,
niſi cùm tantum de iis fit cō. in laud.
In Miſſis de B. Maria, exceptis matu-
tinalibus ſuarum feſtiuitatum. Si ta-
men, de ea fuerint: nā ſi de Dominica
ſolēni cuiuſmodi eſt lxx. lx. aut l. fue-
rit, erunt duo miniſtri & dicitur tra-
ctus. Sic etiam fit in feſto xii. lect. oc-
currente Dominica lx.

Itē in Miſſis votiuis de S. Sacramēto,
de S. Spiritu & de B. Bernardo erunt
duo miniſtri, in cæteris vnicus. Cùm
autē fiunt ſupplicationes ſolemnes
debēt eſſe duo miniſtri, licet in Miſſa
ſubſequutura vnicꝰ deſideretur. Vbi
etiā notādum quòd in Miſſa feſti SS.
ſolius miniſtri tēpore lxx. aut xl. non
dicitur tract. nec Paſchali duo Allel.
etiā in Miſſa de tēpore, nam in Miſſis
de tēpore ſolius miniſtri cùm primò
dicitur officiū, dicitur ſolùm Alle. cū
primo verſu: cùm autem repetitur
cum ſolo verſu 2° v. gra. feria 2ª· poſt
Pētec. (niſi fuerit præſens defunct.) in
Miſſa matutinali dicitur Allel cum
ſolo verſu. Veni Sancte. Feria verò 3.
cum ſolo verſu Paracletus. In Miſſis
verò SS. vnius miniſtri, ſi duo ſint in
officio. Allel. dicatur cum ſolo ſe-
cundo verſu. De veſtibus quibus in-
duātur ſacerd. & miniſtri & de cære-
moniis dicitur in libro vſuum, quem
conſule ſuper iis, quæ hîc tacentur.
De coloribus verò veſtium & para-
mentorum altarium, quia nihil in
eo habetur, vt in his quoque con-
formitas, quo ad fieri poterit, cum
vſu Rom. ſeruetur: paulò poſt
ſubiicietur indiculus colorum.

De Collectis ſiue commemorationibus,
& earum ordine in Miſſis, in quibus
plures ſunt dicendæ.

Quoties in officio exprimitur (quæ
ſola dicatur vel nulla ampliùs) nec
fueri præſens defunct. nulla aſſumi-
tur: cùm vero fuerit præſēs defunct.
in choro aſſumēda eſt collecta alte-
ra pro eo, etiā ſi iam Miſſā habuerit
vel collectā. tales ſunt Miſ. vig. natal.
Domini mediæ noctis, Cœnę eiuſdē
vigil. Paſch. & Pētec. In ſecundis aut
maioribus Miſſis Dominicarū, feſto-
rum, vel feriarum duarū Miſſarum,
aut aliis, quādo Miſſa iam celebrata
non fuit pro defunctis (tunc enim in
maiori vel ſecunda Miſſa omnes col-
lectæ ſunt aſſumendæ, quæ dicendæ
erant in prima Miſſa, ſi nō fuiſſet pro
Defuncto aut Defunctis) alias vna
ſola dicatur collecta.

De Miſſis matutinalibus.

In Miſſa matutinali, ſi fuerit de Do-
minica aut feſto, in quo nulla fiat cō.
in laud. in 1ª· die vt Paſchæ poſt col. de
officio aſſumenda eſt collect. pro pa-
ce vel pro aduerſitate Eccleſiæ: ſi ta-
men fuerit præſens defunctus, pro
eo dicetur collecta ante vltimā cùm
enim deceat vltima reſpondere pri-
mis, currandum eſt, vt, ſi officium ſit
pro viuis, ſiue de feſto, vltima colle-
cta ſit pro viuis, ſiue de Sanctis, niſi cū

duæ ſolùm dicunrur col. Similirer in officio defunctorum vltima ſit pro defunctis. & ſi quæ aliæ, quàm pro defunctis aſſumanrur, non ſinr de Sanctis, nec peculiares pro viuentibus, ſed communes & pro viuis & defun. Et rales in quolibet officio poſſunt vltimum locum tenere.

Si aurem alia die Miſſa ſit de feſto: & nulla fuerit facta com. in laudibus, & ſit aliud officium pro ipſa die, poſt collectam de Officio feſti aſſumetur collecta de feria, niſi fuerit eadem collecta aur ſecrera aur poſt com. feſti & feriæ: deinde col. pro pace aur pro aduerſirate Eccl. Si verò maturinalis Miſſa ſit de feria 2ª. loco dicetur col. de feſto, quæ etiam dicetur in aliis officiis per heb. excepro ſabb. Pentecoſt. in Miſſa de ieiunio. ſi tamen fuerit feſtum. xij. lect. 2. loco aſſumetur com. de feſto 3. de rempore currenre. Er hæc pro heb. Paſch. & Pentecoſt.

Si aurem in laudibus fiat comme. de Sãctis vel Dominica, in Miſſa matutinali ſeruandus ordo com. qui fuit in laudibus. (niſi Miſſa maturinalis fuerit pro defuncto) vſque ad col. de B. quæ dicarur, ante col. pro pace, ſi fuerir dicenda: niſi quando Miſſa matutinalis non ſit de feſto: de quo ſit præcipuum officium, nam de eo fier tanrum com. ſed 1. loco. Excipitur com. de reſurrect. Domini, quæ præcedit com. de Dominica, ſi de ea non fuerir maturinalis Miſſa Dominicis diebus à Paſcha vſque ad Aſcen.

Si concurrerinr duo feſta xij. lect. 1. Miſſæ, præfertur feſtum de tempore.

Si autẽ occurrat com. in Miſſa de qua non fuerit facta com. in laudibus vel de qua ſir Miſſa, vt ſunt officia ieiuniorum & rogationum, com. horum præferrur com. Feſtorum, quæ non ſunr xij. lect. ſimiliter & com. de Aduenru & de xl. illis etiã præferrur com. de oct. ſolemnibus j. de quibus ſit (ſalrem aliquo die) officium maturinorum. Propter vrgentem neceſſitarem, vt pro tempeſtare, ex iudicio præſidentis regimini Monaſt. in ſpiritalibus, addetur propria collecta.

De collectis dicendis in Miſſis per heb. priuatis diebus.

In aliis Miſſis per heb. dicendis poſt collectam de officio aſſumenda eſt col. de tempore Aduentus aur xl. aur de octa. ſolemnibus, ſi fuerinr: deinde de S. ſi contigerit deinde de oct. non ſolemni. ſi currat. deinde de B. Maria, ſi debeat fieri. Si verò nil horum fuerir, de ipſa B. M. ſit 1. com. deinde de omnibus Sanctis, ſi debear fieri, poſtea pro pace aut aduerſitare Eccl. Tempore rricenarij generalis penulrima erit col. Deus veniæ. col. autem Omniporens ſempiterne Deus, qui viuorum cùm fuerir aſſumenda, erit vltima.

In Miſſis defunctorum ſemel per heb. dicendis pro parenribus noſtris tempore dicti tricenarij 1. col. erit Deus veniæ 2. Omnipot. ſempirerne Deus, cui. deinde pro pace vel aduerſir. Ecc. poſt. Omniporens ſempiterne Deus qui viuorum. diebus aliis prima erit. Omniporens ſempiterne Deus, cui. deinde pro pace, &c.

Si fuerit præſens defunctus prima col. erit pro eo ſingulariter, deinde pro pace & aduerſitate, vlrima erir. Omnipotens ſempirerne Deus qui viu. In anniuerſariis menſis 1. col. erit Præſta Domine pluralirer 2. Fidelium. Deus à quo & Eccl. & poſtea Omnipor. ſempit. Deus, qui viuor. In aliis anniuerſ. fiet vt exprimitur in Calendario.

De com. Beatæ Mariæ.

A vigilia natalis Domini vſque ad

craſtinum diem Epiph. à Cœna Domini vſque ad 5. feriam poſt Paſcha, à vigilia Pentecoſt. vſque ad 5. feriam ſequentem: in die. Aſcēſ. Domi. & S. Sacramenti Altaris: in vigilia omniū Sanctorum, atque in officiis defunctorum omittitur com. de B. Maria. In aliis Miſſis, quæ non fiunt de ipſa, fiat comme. vigil. vel de feſto, aut oct. currentibus, aſſumendo collect. de ipſis vig. feſto aut oct. tēpore Aduentus aſſumendo col. Deus, qui de beatę, alio verò tēpore Concede nos

De collectis. Deus à quo. & Eccleſiæ.

Hæ collectę dicūtur cotidiè, niſi implicitè vel explicitè excludantur, excludūtur implicitè, cū in officio notatur quæ dicitur ſola. vel & nulla amplius. explicitè verò in Exaltatione S. Crucis col. Eccleſiæ excluditur. Ideo autē excluditur quòd poſt cōmunio officij dictæ exaltationis eſt eadem cum poſtcommunione, quæ ſequitur præfatam col. Eccle. Similē ob cauſam, vbi aduertimus ſimiles eſſe ſecretas vel poſtcommuniones monuimus ſuis in locis alteram eſſe dimittendam: alioquin contingeret eandem orationem bis aſſumi: vel etiam ter, vt anno, 1617. quo feria 3. poſt 1. Dominicam xl. erit feſtum S. Valentini: in cuius officio eadem eſt ſecreta ac in officio dictæ feriæ, eadem quoque eſt in officio de omnibus Sanctis. Pari ratione monuimus in officio 4. Dominicæ poſt Pent. dimittēdas eſſe com. de quibuſdam Sanctis aut in officiis de ipſis SS. dimittendam eſſe com. de dicta Dominica. Patres enim diffinitores ante 300. an. conformiter ad vſum Rom. etiā ante recognitionē vltimam, ſic aduerſati ſunt huiuſmodi repetitionem, vbi aduerterunt, vt vetuerint ne in eodēm officio ſiue Miſſa dicatur oratio de S. Trinitate & de S. Spiritu. quia ſit idem Trinitas & quælibet perſona diuina, cùm tamen variæ ſint orationes officiorum ſuorū. Ideò non videntur col. Cōcede, quæſumus, & Pietate tua, quarum vtraque eſt de omnibus Sanctis, in eadem Miſſa dicendæ.

De collectis vſitatis.

Collectæ vſitatæ ſingulis diebus dicantur, exceptis diebus duarum Miſſarum, feſtis xij. lect. & Miſſis, in quibus ſunt duo miniſtri, quæ non ſunt pro præſenti defuncto, aut in anniuerſario menſis. omittuntur etiam in Sabbatis 4. temporū. Col. autem vſitatæ ſunt Concede, quæſumus & Omnipotens ſempiterne Deus, qui viuorum. Præterea col. Concede, quæſumus, omittitur in vigil. omnium Sāctorum, officiis defūctorum. In officiis notatis ſuis locis, ob rationes ſupradictas, præſtat eandem omittere.

De Miſſis priuatis & præcipuè de Miſſa cotidiana B. Mariæ.

Cotidie dicatur Miſſa priuata de B. Maria, demptis quinque ſcilicet natali Domini, feria ſexta & Sabbato ante Paſcha, ipſo die Paſch. ac die Pētecoſtes. Sed hebdomadarij illius Miſſæ 2. loco aſſumēt col. de ea, in dictis tribus diebus ſcilicet natalis Domini, Paſchæ, & Pentecoſtes.

De Miſſa cotidiana pro defunctis.

Pro noſtris cōfratribus cotidie quoque dicitur priuata Miſſa, dēptis diebus ſupradictis, & dieb⁹ Dominicis, feſtis ſermonū & Apoſtolorum. verùm hebdomadarij illius Miſſæ aſſumēt in Miſſis de Dominicis, vel dictis feſtis col. (ſaltē vnam ex iis) quę ſunt dicēdæ in Miſſa cotidiana defunctorum. hæ autem ſunt Inclina. pluraliter, Deus cui proprium. pluraliter: niſi tēpore tricenarij ſingularis ſiue vni⁹ (tunc enim dicitur Singulariter) tertia Omnip. ſempiterne De⁹. qui viuo. at tempore tricenarii generalis pro com 2. col. dicatur Deus veniæ & die ſepulturæ defuncti vltra ſupradictas dicatur ſingulariter. Omnipot. ſem-

Digitized by Google

piterne Deus, cui numquam quo die celebrant omnes pro eo, niſi deputati ſint ad hebdoma. qui tamen pro eo aſſumant vnam col. ſingulariter: vel (ſi plures fuerint ſimul præſentes defuncti) pluraliter. aliis diebus celebrent ad nutum præſidẽtis regimini monaſterij. Sed pro ſingulo recens defuncto vltra Miſſam, quæ dicitur in die ſepulturæ, Sacerdos quilibet tenetur dicere tres Miſſas: nõ Sacerdos quilibet vnum Pſalterium vel 150. Pater noſter, & Aue Maria.

Pro generali verò tricenario (quod ſolũ debet fieri in cõuentu j. in Miſſa conuentuali) quilibet Sacerdos tenetur dicere viginti Miſſas. non Sacerdos decies Pſalterium, vel 150. Miſerere. vel toties. Pater noſter, & Aue Maria.

INDICVLVS DE COLORIBVS CONGRVIS OFFICIIS diuinis celebrandis tam in paramentis Altaris & templi, quàm in veſtibus miniſtrorum, ex vſu Rom compendioſè elicitus, pro iis, quæ in ordine celebrantur per annum; inchoando ab Aduentu Domini.

- **Color ceruleus, violaceus. iacintin⁹, vel flauus congruit.**
  - officiis.
    - de tẽpore aduentus Domini, & à lxx. vſque ad Cœnam Domini,
    - Rogationum,
    - quatuor temporum Septembris.
  - SS. Innocentum, ſi fuerit Dominica.
  - Benedictioni candelarum & ſequenti Supplicationi, ac aliis ſolemnibus Supplicationibus, quæ non ſunt de feſtis.
- **Albus argenteus officiis aliis**
  - de tempore.
    - à Veſperis natalis Domini vſque ad octa. Epipha. iuelusiuè.
    - à Cœna Domini vſque ad vigil. Pentecoſtes.
  - &
    - Sanctiſſimæ Trinitatis,
    - S. Saeramenti Altaris,
    - Sanctiſſimæ Mariæ Dei genitricis,
    - SS. Michaëlis. &c. Angelorum,
    - natiuit. S. Ioan. Baptiſtæ,
    - natalis S. Ioan. Apo. & Euang.
    - Cathedræ & Vinculorum S. Petri,
    - Conuerſionis S. Pauli,
    - SS. Confeſſ. Epiſeoporũ, Doctorum non Epiſcoporũ.
    - SS. Fœminarum,
    - Omnium Sanctorum,
    - Dedicationis Eccleſiæ,
    - Infra octauas ſolemnes feſtorum ſupradictorum.
- **Aureus, rubeus, purpureus, officiis**
  - De tempore à vigilia Pentecoſtes vſque ad Veſp. S. Trinitatis,
  - &
    - Sanctæ Crucis
    - Decollationis S. Ioannis Baptiſtæ.
    - S. Ionnis ante portã Latinam:
    - SS. Apoſtolorũ. Martyrum Confeſſorum } non dictis
- **viridis cœleſtis**
  - Cæteris Miſſis de tempore
- **niger cineritius.**
  - officiis
    - veneris Sanctæ,
    - defunctorum.
- **Doctores non Epiſ.**
  - Hieronymus.
  - Bernardus
  - Thomas de Aquino.
- **Alij Doctores religioſorum.**
  - Benedictus.
  - Dominicus.
  - Franciſcus.
  - Franciſcus de Paula.

QVALITER

QVALITER LEGI ET accentuari debeant Epiſtolæ, Euangelia, Prophetiæ, lectiones & huiuſmodi.





Accentus.



Secúndum


Secúndum Marcum.Secúndum
Lucam. Secúndum Ioánnem.
In illo tẽpore, dixit Iéſus diſcípu-
lis ſuis. Amen amen dico vobis:
Inítium Euãgélij Iéſu Chriſti Filij
Dei: ſicut ſcriptũ eſt in Iſaía Pro-
phéta. Miſérunt Iudæi ab Ieroſó-
lymis Sacerdótes&Leuítas ad Ioã-
nẽ: vt interrogárẽt eũ, tu quis es.
Et cõféſſus eſt:& nõ negáuit.Et cõ-
féſſus eſt: quia nõ ſũ ego Chriſtus.
Et interrogauérũt eũ. Quid ergo
Elías es tu? Et dixit. Non ſum.
Prophéta es tu?Et reſpóndit.Nõ.
Dixérunt ergo ei. Quis es? Ait.
Reſpóndit Iéſus. Plenum grátiæ
& veritátis. Beáti qui aúdiunt ver-
bum Dei:& cuſtódiunt illud.
Ite Miſſa eſt. Deo grátias.
Benedicám᷒ Dómino.Deo grátias.

Tempore Paſchali in ſolemnioribus Miſſis, Veſperis & Laudibus.

I te Miſſa eſt.
B enedicámus Dómino, Allelúia,
Deo grá tias.

alle lúia.

In minus ſolemnibus.

B enedicámus Dómino, Allelúia.
I te Miſſa eſt.
Deo grá tias.

R equiéſcant in pace. Amen.

F lectámus génua. Leuáte.

H umiliáte cápita veſtra Deo.

H umiliáte vos: ad benedictiónem.

Deó grátias.

Ad Veſperas & ad Laudes & poſt Te Deum laudámus,& ſimiliter ad Miſſam collectæ cantentur in hunc modum.

O rém⁹. E t fámulos tuos ab omni

aduerſitáte cuſtódi. Per Dóminũ

noſtrum Iéſum Chriſtum Filium

tuum: qui tecum viuit & regnat

in vnitáte Spíritus Sancti Deus.

Per ómnia ſǽcula ſæculórum.

D óminus vobiſcum. B enedicá-

mus Dómino. Deo grátias.


Ad cæteras horas.

O rém⁹. E t fámulos tuos

ab omni

Accentus.


ab omni aduerſitáte cuſtódi. Per
Dóminum noſtrum Iéſum Chri-
ſtum Filium tuum: qui tecum vi-
uit & regnat in vnitáte Spíritus
Sancti Deus. Per ómnia ſǽcula
ſæculórum. Dóminus vobíſcum.
Benedicámus Dómino. Deo grá-
tias. Benedictio Dei omnipotén-
tis: Patris & Filij & Spíritus Sancti:
deſcéndat & máneat ſuper nos.
Amen.
Quomodo accentuare & legere debemus lectiones & Prophetiás.
Domne iube benedícere. Lectio
I ſaíæ Prophétæ. Reuelábitur
glória Dómini: & vidébit páriter
omnis caro: quod os Dómini lo-
cútum eſt. Vox dicéntis. Cláma.
Et dixi. Quid clamábo? Omnis
caro fœnũ. Tu autẽ Dómine: miſe-
rére noſtri. Deo grátias. Quid eſt?
in ſãctis ſuis: noſtris mẽtibus ĩplorámꝰ.


Et réliqua. Omélia lectiónis eiúſdẽ:
beáti Gregórij Papæ. Omélia Ori-
génis de eádem lectióne. Sic fá-
cies flexã? ſic verò metrũ: ſic autẽ
verſum. Et ſi interrogáueris? nõne
ſic dices? De monoſýllaba dictió-
ne flexa nunquàm fit; metrum
ita fit: verſus verò ſic. Quòd ſi de
ea vis fácere intérrogans? nonne
fácies ſic? aut dices ſic? qui ſolus es?
Finis le-ctionum.
Et ſi manè me quæſíeris
non ſubſiſtam. Sed parce peccá-
tis meis. In lúmine Dómini Dei
noſtri. In fornáce dicéntes. Ait
Dóminus omnípotens. Ab omni
ópere quod patrárat. Quia com-
plácuit Dómino in te. A plúuia.
hõibus conuerſátus eſt. A tínea.

ACCIDENTIA MISSÆ, SIVE

DE DEFECTIBVS, QVI POSSVNT ACCIDERE in Miſſa vel circa ea, quæ ad Miſſam deſiderantur: cum opportunis remediis è Rom. partim petitis.

SAcerdos celebraturus, omnem adhibeat diligentiam, ne aliquid ex requiſitis ad Sacramẽtum Euchariſtiæ conficiendum deſit. Poteſt autem defectus contingere ex parte materiæ conſecrandæ, & ex parte formæ adhibendæ, & ex parte Miniſtri conficientis. Quicquid enim horum deficit, ſcilicet materia debita, forma cum intentione, & ordo Sacerdotalis in conficiente nõ conficitur Sacramentum. Et his exiſtentibus quibuſcunque aliis deficientibus, veritas adeſt Sacramenti. Alij verò ſunt defectus, qui in Miſſæ celebratione occurrentes, etſi veritatem Sacramenti non impediant, poſſunt tamen aut cum peccato, aut cum ſcandalo contingere.

De Defectibus materiæ.

DEfectus ex parte materiæ poſſunt contingere, ſi aliquid deſit ex iis quæ ad ipſam requiruntur. Requiritur enim, vt ſit panis triticeus, & vinum de vite: & vt huiuſmodi materia conſecranda, in actu conſecrationis ſit coram Sacerdote.

De defectu panis.

1. SI panis non ſit triticeus, vel ſi triticeus, ſit admixtus granis alterius generis in tanta quantitate, vt non maneat panis triticeus, vel ſit alioqui corruptus, nõ conficitur Sacramentum. Si ſit confectus de aqua roſacea, vel alterius diſtillationis: dubium eſt an conficiatur. Si cœperit corrumpi, ſed non ſit corruptus: ſimiliter ſi non ſit azymus, ſecundum morẽ Eccleſiæ Latinæ, conficitur, ſed conficiens grauiter peccat.

2. Si celebrans ante conſecrationem aduerterit Hoſtiam eſſe corruptam, aut non eſſe triticeam: remota illa Hoſtia, aliam ponat, à Canone iterũ incipiat, & proſequatur Miſſam. Si id aduerterit poſt conſecrationẽ, etiam poſt illius Hoſtiæ ſeu ſanguinis ſumptionem poſita alia, à cõſecratione incipiat, ſcilicet, ab illis verbis: Qui pridiè quàm paterétur facta eius priùs oblatione, præmittendo hæc verba dicenda eleuando panem, Súſcipe Sancte Pater omnipotens ætérnæ Deus hanc oblatiónem quam tibi offérimus in memóriam Paſſiónis, Reſurrectiónis & Aſceſiónis Filij tui Dómini noſtri, quam tu Deus in ómnibus, quęſumus, benedíctam † aſcríptam † ratam † rationábilem acceptabilémque fácere digněris: vt nobis corpus † fiat eiúſdem Dómini noſtri Iéſu Chriſti, Qui prídie, &c.

3 Si conſecratio Calicis ſit facienda præmittenda ſunt illa verba vſque ad corpus cuius loco dicatur ſanguis eiúſdem Dómini noſtri Ieſu Chriſti, qui pridie quàm paterétur, poſteáquàm cœnàtum eſt, accipiens càlicem. &c. vt in canone, & illam priorem, ſi non ſumpſit, ſumat poſt ſumptionem corporis & ſanguinis, vel alij ſumendam tradat, vel alicubi reuerenter conſeruet. Si autem ſumpſerit nihilominus ſumat eam, quam conſecrauit: quia præceptum de perfectione ſacramenti maioris eſt ponderis, quàm quòd à ieiunis ſumatur. Quòd ſi hoc contingat poſt ſumptionem ſanguinis: apponi debet rurſus nouus panis, & vinum cum aqua facta prius oblatione, & proſequenda omnia quæ ſequuntur: ne ſacramentum remaneat imperfectum, & vt debitus ſeruetur ordo.

4. Si Hoſtia conſecrata diſpareat, vel caſu aliquo, vt vento, aut miraculo, vel à mure accepta. vel alio animali, & nequeat reperiri: tunc altera conſecretur ab eo loco incipiendo. Qui pridie quam pateretur modo ante dicto num. 2. & illud animal ſi capi poteſt occidatur, & comburatur, & cineres eiiciantur in ſacrarium, vel ſub altari.

De defectu vini.

5. SI vinum ſit factum penitùs acetum, vel penitus putridum, vel de vuis acerbis, ſeu non maturis expreſſum, vel admixtum tantum aquæ, vt vinum ſit corruptum: non conficitur ſacramentum.

6. Si vinum cœperit aceſcere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantum acre, vel muſtum tunc de vuis expreſsũ, vel non fuerit admixta aqua, vel fuerit admixta aqua roſacea, ſeu alterius diſtillationis: conficitur ſacramentum: ſed conficiens grauiter peccat.

7. Si celebrans ante Conſecrationem ſanguinis, quanuis poſt Conſecrationem Corporis, aduertat aut vinum, aut aquam, aut vtrumque non eſſe in Calice: debet ſtatim apponere vinum cum aqua & conſecrare: incipiendo ab illis verbis ante dictis, Súſcipe Sancte Pater, &c. vt nu. 2 & 3. dicitur.

8. Si poſt verba conſecrationis aduertat vinum non fuiſſe poſitum, ſed aquam: depoſita aqua, iterum vinum cum aqua ponat in calicem, & reſumat à verbis prædictis.

9. Si hoc aduertat poſt ſumptionem corporis, vel huiuſmodi aquæ: apponat aliam hoſtiam iterum conſecrandam & vinum in calicem: & vtrumque conſecret, & ſumat in fine, quan-

Digitized by Google

tiis aliam hoſtiam conſecratam, vel aquam ſumpſerit: propter Sacramenti integritatem in celebratione ſeruandam.

10. Si quis percipiat ante Conſecrationem vel poſt Conſecrationem totum vinū eſſe acetum, vel aliâs corruptum: idem ſeruetur quod ſuprà, ac ſi deprehenderet nō eſſe poſitum vinum, vel ſolam aquā fuiſſe appoſitā in Calice. vt num. 8.

11. Si autem celebrans ante conſecrationem calicis aduertat nō fuiſſe appoſitam aquam: ſtatim ponat eam, & proferat verba conſecrationis.

12. Si aduertat poſt conſecrationem calicis: nullo modo apponat, quia non eſt de neceſſitate ſacramenti.

13. Si materia quæ eſſet apponenda ratione defectus vel panis vel vini non poſſet vllo modo haberi: ſi id fit ante conſecrationem corporis, vlteriùs procedi non debet: ſi poſt conſecrationem Corporis, aut etiam vini deprehēditur defectus alterius ſpeciei, altera iam cōſecrata: tunc ſi nullo modo haberi poſſit, procedendum erit, & Miſſa abſoluenda. Quòd ſi expectando aliquandiu haberi poſſit: expectandum erit, ne imperfectum ſacrificium remaneat.

De defectibus formæ.

DEfectus ex parte formæ poſſunt contingere, ſi aliquid deſit ex iis, quæ ad integritatem verborū in ipſa conſecratione requiruntur. verba autem cōſecrationis, quæ ſunt forma huius Sacramenti, ſunt hæc: Hoc eſt enim corpus meū Et, Hic eſt enim calix ſánguinis mei, noui & ætérni teſtaménti, myſtérium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundétur in remiſſiónem peccatórum.

14. Si quis autem aliquid diminueret, vel immutaret de forma conſecrationis corporis & ſanguinis, & in ipſa verborū immutatione verba idem non ſignificarent, non conficeret Sacramentum.

15. Si quis aliquid adderet, quod ſignificationem non mutaret, conficeret quidem, ſed grauiſſimè peccaret.

16. Si celebrans non recordetur ſe dixiſſe ea, quæ in conſecratione communiter dicuntur: non debet propterea turbari.

17. Si tamē certò ei vel valde probabiliter conſtet, ſe omiſiſſe aliquid eorum, quæ ſunt de neceſſitate ſacramēti, id eſt, formā conſecrationis: reſumat ipſam formā, & cætera proſequatur per ordinem: ſi autem non ſunt de neceſſitate ſacramenti, non reſumet, ſed procedet vlteriùs.

De defectibus miniſtri.

DEfectus ex parte miniſtri, poſſunt contingere quo ad ea, quæ in ipſo requiruntur. Hæc autem ſunt: In primis intentio, deinde diſpoſitio animæ, diſpoſitio corporalis, diſpoſitio veſtimentorum, diſpoſitio in miniſterio ipſo, quo ad ea, quæ in ipſo poſſunt occurrere.

De defectu intentionis.

18. SI quis non intendit conficere, ſed deluſoriè aliquid agere. Itē, ſi aliquæ hoſtiæ ex obliuione remaneāt in altari, vel aliqua pars vini, vel aliqua hoſtia lateat, cùm non intendat conſecrare niſi quas videt. Item, ſi quis habeat coram ſe vndecim hoſtias, & intendat conſecrare ſolùm decem, non determinans quas decem intendit: non conſecrat, quia requiritur intentio. Secus ſi putans quidem eſſe decem, tamen omnes voluit conſecrare quas coram ſe habebat: nam tunc omnes erunt conſecratæ: atque ideo quilibet Sacerdos talem ſemper intentionem habere deberet, ſcilicet, conſecrandi eas omnes, quas ante ſe ad conſecrandum poſitas habet.

19. Si Sacerdos putās ſe tenere vnam hoſtiam, poſt conſecrationem inuenerit fuiſſe duas ſimul iunctas: in ſumptione, ſumat ſimul vtramque.

20. Si deprehendat poſt ſumptionem corporis & ſanguinis, aut etiam poſt ablutionem, reliquias aliquas relictas conſecratas, eas ſumat, ſiue paruæ ſint, ſiue magnæ, quia ad idem ſacrificium ſpectant.

21. Si verò relicta ſit hoſtia integra conſecrata, eam in tabernaculo cum aliis reponat: ſi hoc fieri nequit, ſequenti Sacerdoti ibi celebraturo, in altari ſupra corporalia decenter opertam ſumendam vnà cum altera, quam eſt conſecraturus, relinquat: vel ſi neutrum horum fieri poſſit, in ipſo calice ſeu patena decenter conſeruet, quouſque vel in tabernaculo reponatur, vel ab altero ſumatur: quòd ſi non habeat quomodò honeſtè conſeruetur, poteſt eam ipſemet ſumere.

22. Si intentio non ſit actualis in ipſa conſecratione propter euagationem mentis, ſed virtualis, cùm accedens ad altare intendat facere quod facit Eccleſia: conficitur ſacramentum, ſed curare debet Sacerdos, vt etiam actualem intentionem adhibeat.

De defectibus diſpoſitionis animæ.

23. SI quis ſuſpenſus, excommunicatus & degradatus celebret: conficit quidem ſacramentum, ſed grauiſſimè peccat, tam propter communionē quam indignè ſumit, quàm propter executionem Ordinum ſibi interdictam.

24. Si quis habens copiā confeſſoris celebret in peccato mortali, grauiter peccat. Si quis autem in neceſſitate non habens copiam confeſſoris in peccato mortali, abſque contritione celebret, grauiter peccat. Secus ſi conteratur, debet tamen cùm primum poterit, confiteri.

25. Si in ipſa celebratione Miſſæ, Sacerdos recordetur ſe eſſe in peccato mortali, conteratur cum propoſito confitendi & ſatisfaciendi.

26. Si recordetur ſe eſſe excommunicatū, vel ſuſpenſum aut locum eſſe interdictum: ſimiliter

conteratur cum propoſito petendi abſolutionem: ante conſecrationem autem ſi nõ timetur ſcandalum, debet Miſſam inceptam deſerere, ſecus ſi eſſet publicè excommunicatus.

De defectibus diſpoſitionis corporis.

27. SI quis non eſt ieiunus poſt mediam noctem, etiam poſt ſumptionem ſolius aquæ, vel alterius potus, aut cibi, per modum etiã medicinæ, & in quantacunque parua quantitate: non poteſt communicare nec celebrare.

28. Si autem ante mediam noctem cibum, aut potum ſumpſerit, etiam ſi poſtmodum nõ dormierit, nec ſit digeſtus, non peccat, ſed ob perturbationem mentis, ex qua deuotio tollitur, conſulitur aliquando abſtinendum.

29. Si reliquiæ cibi remanentes in ore tranſglutiantur, non impediunt communionẽ, cùm non tranſglutiantur per modum cibi, ſed per modum ſaliuæ. Idem dicendum, ſi lauando os deglutiatur ſtilla aquæ præter intentionem.

30. Si plures Miſſas in vna die celebret, vt in nocte Natiuitatis: in vltima tantum Miſſa percipiat purificationem.

31. Si præceſſerit pollutio nocturna, quæ cauſata fuerit ea præcedenti cogitatione, quæ ſit peccatum mortale, vel euenerit propter nimiam crapulam: abſtinendum eſt à communione, & celebratione.

32. Si dubium eſt, an in præcedenti cogitatione fuerit peccatum mortale, cõſulitur abſtinendum, extra tamen caſum neceſſitatis.

33. Si autem certum eſt non fuiſſe in illa cogitatione, ſed eueniſſe ex naturali cauſa, aut ex diabolica illuſione: poteſt communicare, & celebrare, niſi ex illa corporis commotione tanta euenerit perturbatio mentis, vt abſtinendum videatur.

De defectibus in miniſterio ipſo occurrentibus.

POſſunt etiam defectus occurrere in miniſterio ipſo, ſi aliquid ex requiſitis ad illud deſit.

34. Si non celebretur in loco ſacro vel deputato ab Epiſcopo: nec in altari cõſecrato, nec pluribus mappis cooperto. Si non adſunt luminaria cerea. * Si non ſit tempus debitum celebrandi, quod eſt ab aurora vſque ad meridiem, communiter. Si celebrans ſaltem Matutinum cum laudibus non dixerit. Si omittat aliquid ex veſtibus ſacerdotalibus. Si veſtes ſacerdotales, & mappæ non ſint ab Epiſcopo vel ab alio hãc habente poteſtatem benedictæ, ſi modò exceperis cingulum: nam (modò deſit contemptus, aut negligentia) ſine peccato mortali poteſt Sacerdos vti cingulo non benedicto, nõ autem de aliis eſt ita. Si non adſit clericus, vel alius deſeruiens in Miſſa vel adſit, qui deſeruire non debet, vt mulier. Si non adſit calix cum patena conueniens * cuius cuppa debet eſſe aurea, vel argentea, vel ſtannea: non autem ærea vel vitrea. Si corporalia non ſint munda, quæ debent eſſe ex lino, nec ſerico in medio ornata, & ab Epiſcopo vel alio hanc habente poteſtatem benedicta.

* vel aliu.

35. Si celebrat capite cooperto ſine diſpenſatione. Si non adſit Miſſale, licet memoriter ſciret Miſſam quam intendit dicere.

36. Si Sacerdote celebrante violetur Eccleſia ante canonem, dimittatur Miſſa. Si poſt canonem, non dimittatur.

37. Si Sacerdos ante conſecrationem grauiter infirmetur, vel in ſyncopen inciderit, aut moriatur, dimittitur Miſſa.

Si poſt conſecrationem Corporis tantùm, ante conſecrationem Sanguinis, vel vtroque conſecrato, id acciderit, Miſſa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, vbi ille deſiit.

38. Si autem non obierit, ſed fuerit infirmus, adeò vt poſſit communicari, & non adſit alia Hoſtia conſecrata: diuidat Hoſtiam, & vnam partem præbeat infirmo, aliam ipſe ſumat.

39. Si autem ſemiprolata forma corporis obiit Sacerdos, aut ſemiprolata forma ſanguinis, tûc alter ſimiliter proſequetur Miſſam, & ſuper eandem hoſtiam, ſeu eundem calicem repetat integram formam ab eo loco, *Qui pridie quàm pateretur*, & in ſanguine ab eo loco (*ſimiliter poſtquàm cœnatum*) præmittẽdo oblationem modo expreſſo numero ſecũdo, vel poſſet ſuper alium panem, & in calice ſimiliter cum in forma calicis deficit, ſuper alium calicem præparatum integram formam proferre, & Hoſtiã primi Sacerdotis inter reliquias ſeruare, vel eam ſumere poſt ablutionem ſanguinis, ſi conſtat quòd non ſit conſecrata: in dubio verò, tutiùs eſt accipere poſt ſumptionem, & idem de calice relicto ſemiconſecrato.

40. Si quis extra huiuſmodi caſus neceſsitatis integra Sacramenta non ſumpſerit, grauiſſimè peccat.

41. Si muſca, vel aranea, vel aliquid aliud ceciderit in calicem ante conſecrationem: proiiciat vinum ſubtus altare, & aliud ponat in calice, miſceat parum aquæ, offerat, & proſequatur Miſſam.

42. Si poſt conſecrationem ceciderit muſca, aut aliquid eiuſmodi, & fiat nauſea Sacerdoti, extrahat eam & lauet cum vino: finita Miſſa comburat, & combuſtio, ac lotio huiuſmodi in ſacrarium proiiciatur.

43. Si autem non fuerit ei nauſea, nec vllum periculum timeat, ſumat cum ſanguine.

44. Si aliquod venenoſum ceciderit in calicẽ, vel quod prouocaret vomitum: vinum conſecratum reponendum eſt in alio calice, & aliud vinum cum aqua apponendum denuo conſe-

Digitized by Google

crandum: & finita Miſſa, ſanguis repoſitus in panno lineo vel ſtuppa tandiu ſeruetur, donec ſpecies vini fuerint deſiccatæ, & tunc comburatur, & combuſtio in ſacrario proiiciatur.

45. Si aliquod venenatum contigerit Hoſtiam conſecratam, tunc alteram conſecret, & ſumat modo, quo dictum eſt, & illa ſeruetur in tabernaculo loco ſeparato, & animal captum occidatur, & comburatur, vt ſupra dictum eſt.

46 Si ſumendo ſanguinem, particula remanſerit in calice: digito ad labium calicis adducat, & ſumat ante purificationem, vel infundat vinum & ſumat.

47. Si Hoſtia ante conſecrationem inueniatur fracta, niſi populo euidenter appareat, talis Hoſtia conſecretur. Si autem ſcandalum populo eſſe poſſit, alia accipiatur, & offeratur. Quòd ſi illius Hoſtiæ iam erat facta oblatio, eam poſt ablutionem ſumat. Quòd ſi ante oblationem Hoſtia appareat confracta, accipiatur altera integra, ſi citra ſcandalum, aut longam moram fieri poterit.

48. Si propter frigus, vel negligentiam Hoſtia conſecrata dilabatur in calicem, propterea nihil eſt reiterandum, ſed Sacerdos Miſſam proſequatur.

49. Si in hyeme ſanguis congeletur in Calice, inuoluatur calix pannis calefactis: ſi id non proficeret, ponatur in feruenti aqua, dummodo in calice non intret.

50. Si per negligentiam aliquid de Sanguine Chriſti ceciderit, ſi quidem ſuper tabulam, lingua lambatur, & pars illa tabulæ radatur quantum ſatis eſt.

51. Item ſi non fuerit tabula, locus ipſe radatur, & comburatur, cinis verò iuxta altare recondatur.

52. Si verò ſuper lapidem altaris ceciderit, ſorbeat Sacerdos ſtillam, & locus bene abluatur, & ablutio in ſacrarium proiiciatur.

53. Si ſuper linteum altaris, & ad aliud linteũ altaris, & ad aliud linteum ſtilla peruenerit, ſi vſque ad tertium, & linteamina ter abluantur vbi ſtilla ceciderit, Calice ſuppoſito, & aqua ablutionis in ſacrarium proiiciatur: & pars illa lintei ſiue pallæ poſt ablutionem abſcindatur & cinis in ſacrario condatur.

54. Quòd ſi in ipſo ſolum corporali, aut ſi in veſtibus ipſis ſacerdotalibus ceciderit: ſatis erit ablui, & ablutio in ſacrarium proiiciatur.

55. Si in ſubſtrato pedibus panno, vel tapete, & ablui oportebit, & partem abſcindi, & comburi, & cineres ſimiliter in ſacrarium immitti.

56. At ſi contingat totum ſanguinem poſt conſecrationem effundi: ſi quidem aliquid vel parum remanſit, illud ſumatur, & de effuſo reliquo ſanguine fiat vt dictum eſt.

57. Si verò nihil omninò remanſit, ponat iterum vinum & aquam, & conſecret ab eo loco (ſimiliter poſtquam cœnatum) facta tamen priùs Calicis oblatione.

58. Si Sacerdos euomat Euchariſtiam: ſi ſpecies integræ appareant, reuerenter ſumantur, niſi nauſea fiat: tunc enim ſpecies conſecratæ cautè ſeparentur, & in aliquo loco ſacro reponantur. Quòd ſi non ſpecies appareant, comburatur vomitus, & cineres in ſacrarium proiiciantur.

59. Si Hoſtia conſecrata, vel aliqua eius particula dilabatur in terram, reuerenter accipiatur, & locus, vbi cecidit, mundetur, & aliquantum abradatur, & puluis ſeu abraſio huiuſmodi in ſacrarium proiiciatur.

60. Si ceciderit extra corporale in mappam, ſeu alio quouis modo in aliquod linteum, mappa vel linteum huiuſmodi diligenter lauetur, & lotio ipſa in ſacrarium effundatur.

61. Poſſunt etiam defectus in miniſterio ipſo occurrere. Si Sacerdos ritus & cæremonias debitas in eo nõ ſeruet: de quibus Rubricis dictum eſt: & in libro vſuum Ordinis dicti Ciſterſienſis.

ORATIONES ANTE celebrationem, & communionem dicendæ.

Oratio S. Ambroſij Epiſcopi.

SVmme Sacerdos & vere Pontifex, qui te obtuliſti Deo Patri hoſtiam viuam & immaculatam in ara crucis pro nobis miſeris peccatoribus, quique dediſti nobis carnem tuam ad manducandum, & ſanguinem tuum ad bibendum, & poſuiſti myſterium iſtud in virtute Spiritus Sancti tui, dicẽs, hæc quotieſcũque feceritis, in mei memoriã facietis. Rogo per ſanguinem tuum precioſum, magnum ſalutis noſtræ pretiũ: rogo per hanc miram, & inenarrabilem charitatem, qua nos miſeros, & indignos ſicamare dignatus es, vt lauares nos à peccatis noſtris in ſanguine tuo: doce me indignum ſeruum tuum, quem inter cætera dona tua, etiam ad officium ſacerdotale vocare dignatus es nullis meis meritis, ſed

Domin. die.

ſola

ſola dignatione miſericordiæ tuæ: doce me, quæſo, per Spiritum Sanctum tuum, tantum tractare myſterium ea reuerentia, & honore, ea deuotione, & timore, quibus oportet, & decet. Fac me Domine per gratiã tuam ſemper illud de tanto myſterio credere, & intelligere, ſentire, & firmiter tenere, dicere, & cogitare, quod tibi placet, & expedit animæ meæ. Intret Spiritus tuus bonus in cor meum, qui ſonet ibi ſine ſono, & ſine ſtrepitu verborum loquatur omnem veritatem tantorum myſteriorum. Profunda quippe ſunt nimis, & ſacro tecta velamine. Propter magnam clementiam tuã concede mihi miſſarum ſolemnia puro corde, & munda mente celebrare. Libera cor meum ab immundis, & nephãdis, vanis, & noxiis cogitationibus. Muni me beatorum Angelorum pia, & fida tutela, atque fortiſſima cuſtodia: vt hoſtes omniũ bonorum confuſi diſcedant. Per virtutem tãti myſterij, & per manus ſancti Angeli tui repelle à me, & à cunctis ſeruis tuis diriſſimum ſpiritum ſuperbiæ & cænodoxiæ, inuidiæ, & blaſphemiæ, fornicationis, & immunditiæ, dubietatis, & diffidentiæ. Confundantur, qui nos perſequuntur: pereant illi, qui perdere cuncta feſtinant.

Fer. 2 [Rex virginum amator, caſtitatis & integritatis decus, cœleſti rore benedictionis tuæ extingue in corpore meo totum formitẽ ardentis libidinis, vt maneat in me tenor totius caſtitatis corporis & animæ. Mortifica in membris meis carnis ſtimulos, omnéſque libidinoſas commotiones, & da mihi veram, & perpetuam caſtitatem, cum cæteris donis tuis, quæ tibi placent in veritate, vt ſacrificium laudis caſto corpore: & mundo corde quotidie tibi valeam offerre. Quanta enim cordis cõtritione, & lachrymarum fonte, quanta reuerẽtia, & tremore, quãta corporis caſtitate, & animi puritate, iſtud diuinũ, & cœleſte ſacrificium eſt celebrandum, Domine, vbi caro tua in veritate ſumitur, vbi ſanguis tuꝰ in veritate bibitur, vbi ima ſummis coniungũtur, vbi adeſt præſentia Sãctorum Angelorum, vbi tu es Sacerdos, & ſacrificium mirabiliter, & ineffabiliter?

Fer. 3 [Quis dignè hoc celebrare poteſt: niſi tu Deus omnipotens offerẽtem feceris dignum? Scio, Domine, & verè ſcio, & idipſum bonitati tuæ confiteor: quoniam non ſum dignus accedere ad tãtum myſteriũ, propter nimia peccata mea, & infinitas negligentias. Sed ſcio, & veraciter ex toto corde meo credo, & ore cõfiteor: quia tu potes me facere dignum, qui ſolus potes facere mundum de immundo conceptum ſemine, ſolus de indignis dignos, de immundis, mundos, de peccatoribus, iuſtos facis, & ſanctos. Per hanc omnipotentiam tuam, te rogo, concede mihi peccatori hoc cœleſte ſacrificium celebrare cum timore & tremore, cum cordis puritate & lachrymarum fonte, cum lætitia ſpiritali & cœleſti gaudio. Sentiat mens mea dulcedinem beatiſſimæ præſentiæ tuæ & excubias Sanctorum Angelorũ in circuitu meo.

Fer. 4 [Ego enim memor venerandæ tuæ paſſionis accedo ad altare tuum, licet peccator, vt offeram tibi ſacrificium, quod tu inſtituiſti, & offerri præcepiſti, in cõmemoratione tui, pro ſalute noſtra. Suſcipe illud ergo, quæſo, ſumme Deus, pro Eccleſia tua ſancta, pro populo, quem tuo acquiſiſti ſanguine. Et quoniam me peccatorẽ inter te, & eundem populum tuum, medium eſſe voluiſti: licet in me boni operis teſtimonium non agnoſcas, officium ſaltem diſpenſationis creditæ nõ recuſes, nec per me indignũ, eorum ſalutis pereat pretium: pro

quibus victima fact⁹, ſalutaris dignatus es eſſe redemptio. Offero ergo, Domine, ſi digneris propiti⁹ intueri, tribulationes plebium, pericula populorum, captiuorum gemitus, miſerias orphanorum, neceſſitates peregrinorum, inopiam debilium, deſperationes lãguentium, defectus ſenum, ſuſpiria iuuenum, vota virginum, lamẽta viduarum. [Tu enim
F. 5. miſereris omnium, Domine: & nihil odiſti eorum, quæ feciſti: Memorare, quæ ſit noſtra ſubſtantia: quia tu Pater noſter es, quia tu Deus noſter es. Ne iraſcaris ſatis, neque multitudinem viſcerum tuorum ſuper nos contineas: Nõ enim in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis. Aufer à nobis, Domine, iniquitates noſtras, & ignẽ Sancti Spiritus in nobis clementer accende. Aufer cor lapideum de carne noſtra, & da nobis cor carneum, quod te timeat, te amet, te diligat, te delectetur, te ſequatur, te perfruatur. Oramus, Domine, clementiam tuam, vt ſereno familiam tuã ſacri tui nominis officia tua præſtolantẽ, aſpicere digneris vultu, & vt nullius ſit irritum votũ, nullius vacua ſupplicatio, tu nobis preces ſuggere, quas ipſe audire propitius, & exaudire delecteris. Rogamus etiam te, Pater ſancte, & pro omnium animabus fidelium defunctorum, vt ſit illis ſalus, ſanitas, gaudium, & refrigerium, hoc magnũ pietatis ſacramentum. Deus meus ſit illis hodie magnum, & plenum conuiuium, de te pane viuo, qui de cœlo deſcendiſti, & das vitam mundo: de tua carne ſancta, & benedicta, agni videlicet immaculati, qui tollit peccata mundi: quæ de ſancto, & glorioſo vtero beatæ Mariæ virginis eſt aſſumpta, & de Spiritu Sancto concepta. De illo (inquam) pietatis fonte, qui lancea militis ex tuo ſanctiſſimo latere fœliciter, & miſericorditer emanauit: vt exinde ſatiati, refrigerati, refecti, & conſolati exultent in laude, & gloria tua. [Peto clementiam tuam, Deus, vt deſcẽdat ſuper Fer. 6. iſtud ſacrificium plenitudo tuæ benedictionis, & ſanctificatio tuæ diuinitatis. Deſcẽdat etiam, Domine, illa Sãcti Spiritus tui inuiſibilis incõprehẽſibiliſque maieſtas, ſicut quõdam in patrum hoſtias deſcẽdit: qui & oblationes noſtras corpus, & ſanguinem tuũ efficiat, & me indignũ Sacerdotem tuum doceat tantum tractare myſterium, cum cordis puritate, & lachrymarũ fonte, cum reuerentia, & tremore, ita vt placidè, ac benignè ſuſcipias ſacrificium laudis de manibus meis, ad ſalutẽ omniũ tam viuorũ, quàm defunctorũ.

Rogo etiam te, Domine, per ipſum ſacroſanctum myſterium corporis, & ſanguinis tûi, quo quotidiè in Eccleſia tua paſcimur, & potamur, abluimur, & ſanctificamur, atque vnius ſummæ diuinitatis participes efficimur: da mihi virtutes tuas ſanctas, quibus repletus, bona conſcientia, ad altare tuum accedã: ita vt hæc ſacramenta cœleſtia efficiantur mihi ſalus & vita. Tu enim dixiſti ore tuo ſancto & benedicto. Panis, quem ego dabo, caro mea eſt, pro mundi vita. Qui manducat me viuet propter me, & ipſe manet in me, & ego in eo. Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcẽdi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternũ.

Panis dulciſſime, ſana palatũ cor- Sab. dis mei: vt ſentiam ſuauitatem amoris tui. Sana illud ab omni languore: vt nullam, præter te, ſentiat dulcedinem: nullum, præter te, quærat amorem: nullam, præter te, amet pulchritudinem. Panis cãdidiſſime, habens omne delectamentum, & omnem ſuauitatis ſaporem, qui nos

ſemper

ſemper reficis, & in te nunquam deficis, comedat te cor meum: & dulcedine ſaporis tui repleantur viſcera animæ meæ. Manducat te Angelus pleno ore: manducet te peregrinus homo pro modulo ſuo ne deficere poſſit in via tali recreatus viatico. Panis ſanĉte, panis viue, panis pulcher, panis munde, qui deſcendiſti de cœlo & das vitam mundo, veni in cor meum & mūda me ab omni inquinamento carnis ac ſpiritus. Intra in animam meam, ſana & ſanctifica me interiùs & exteriùs. Eſto tutamē & continua ſalus corporis & ánimæ meæ. Repelle à me inſidiantes mihi hoſtes. Recedant procul à præſentia maieſtatis & potētiæ tuæ, vt foris & intus munitus, per te recto tramite ad regnum tuum perueniam, vbi non in myſteriis, ſicut in hoc tēpore agitur, ſed facie ad faciem te videbimus, cū tradideris regnum Deo & Patri: & erit Deus omnia in omnibus. Tunc enim me de te ſatiabis ſatietate mirifica: ita vt neque eſuriā, neque ſitiam in æternum. Amen.

Confeſſio eiuſdem.

SVſcipe confeſſionem meam vnica ſpes ſalutis meę Domine Deus meus. Gula, ebrietate, fornicatione, libidine, triſtitia, ira, accedia, ſomnolentia, negligentia, cupiditate, inuidia, malitia, odio, detractione, periurio, falſitate, mendacio, vana gloria, leuitate, ſuperbia, auaritia perditus ſum, & omninò cogitatione, locutione, actione atque omnibus ſenſibus extinctus. Sed tu, qui iuſtificas impios, & reſuſcitas mortuos, iuſtifica me, & reſuſcita me Domine Deus meus, per Ieſū Chriſtum Filium tuum dominum noſtrū, qui factus eſt pro nobis & pro ſalute mundi opprobriū hominum & abiectio plebis, & tecum & cum Spiritu Sancto viuit & regnat Deus. Per omnia ſæcula ſæculorū. Amen.

Apologia eius quotidiana.

MOrdacis conſcientiæ ſtimulis & delictorum noſtrorum recordatione cōmoniti, te Deum indulgentię deprecamur: vt, quicquid dicto, facto, cogitatione peccatum eſt, ſiue lubricitatis impulſu, ſiue ignorantiæ errore commiſſum, pietas Domini noſtri Ieſu Chriſti reſoluere ac indulgere dignetur, qui tecum & cum Spiritu Sancto viuit & regnat Deus. Per omnia.

De ardenti amore & vehementi affectu ſuſcipientium Chriſtum. Vox Sacerdotis.

CVm ſumma deuotione & ardētiamore, cum toto cordis affectu & feruore deſidero te ſuſcipere Domine Ieſu: quemadmodū multi Sācti & deuotæ perſonæ in communicándo te deſiderauerunt: qui tibi pro ſanctitate vitæ multùm placuerunt, & in ardentiſſima deuotione fuerūt. O Deus meus amor æternus: totum bonum meum, fœlicitas inæſtimabilis, cupio te ſuſcipere cum vehementi deſiderio & tam digniſſima reuerentia, quam aliquis Sanctorum vnquam habuit & ſentire potuit. Et licet indignus ſim omnia illa experimenta deuotionis habere, tamen offero tibi totius cordis mei affectum, ac ſi omnia illa gratiſſimè inflammata deſideria ſolus haberem. Sed & quæcūque poteſt pia mens concipere & deſiderare: hæc omnia tibi cum ſumma reuerentia, veneratione ac intimo feruore præbeo & offero. Nihil prorſus opto mihi reſeruare, ſed me totū & omnia mea tibi ſponte & libentiſſimè immolare. Domine Deus meus, creator meus, & redemptor meus: cum tali affectu, reuerentia, laude & honore: cum tali gratitudine, dignitate & amore, cum tali fide, ſpe & puritate: te affecto hodie ſu-

ſcipere ſicut te ſuſcepit & deſiderauit ſanctiſſima mater tua glorioſa virgo Maria, quando Angelo ei euangelizanti incarnationis tuæ myſteriũ humiliter & deuotè reſpõdit ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Et ſicut beatus præcurſor tuus Sanctorum excellentiſſimus Ioannes Baptiſta in præſentia tua lætabundus exultauit in gaudio Spiritus ſancti, dũ adhuc maternis clauderetur viſceribus: & poſt modum cernens te Dominum Ieſum ambulantẽ valde ſe humiliãs deuoto cũ affectu dicebat. Amicus ſponſi, qui ſtat & audit, cum gaudio gaudet propter vocem ſponſi: ſic & ego magnis & humilibus deſideriis opto inflãmari, & tibi ex toto corde meipſum præsẽtare. Vnde & omniũ deuotorum cordiũ iubilationes, flagrãtes affectus, mẽtales exceſſus, ac ſpiritales illuminationes & cœlicas viſiones tibi offero & exhibeo: cum omnibus virtutibus & laudibus ab omni creatura in cælo & in terra celebratis & celebrãdis pro me & omnib⁹ mihi in oratione commẽdatis, quatinus ab omnib⁹ dignè lauderis, & in perpetuum glorificeris. Accipe vota mea dñe Deus meus: & deſideria infinitæ laudationis & immenſæ benedictionis, quæ tibi ſecundum multitudinẽ ineffabilis magnitudinis tuæ iure debentur. Hæc tibi reddo & reddere deſidero per ſingulos dies & momẽta temporum: atq; ad reddẽdum mecũ tibi gratias & laudes, omnes cœleſtes ſpiritus & cunctos fideles tuos precibus & affectibus inuito & exoro. Laudent te vniuerſi populi tribus & linguæ, & ſanctum ac mellifluum nomen tuum cum ſumma iubilatione & ardenti deuotione magnificent. Et quicunque reuerẽter ac deuotè altiſſimum Sacramentum tuum celebrant & plena fide recipiunt, gratiam & miſericordiam apud te inuenire mereantur: & pro me peccatore ſuppliciter exorent. Cúmque optata deuotione fruibili vnione potiti fuerint, & bene conſolati ac mirificè refecti, & de ſacra, menſa cœleſti abſceſſerint, mei pauperis recordari dignentur.

Alia Oratio.

AD menſam dulciſſimi conuíuij tui, pie Dómine Iéſu Chriſte, ego peccátor de própriis méritis nihil præſúmens, ſed de tua confídens miſericórdia & bonitáte, accédere véreor & contremíſco. Nam cor & corpus hábeo multis crimínibus maculátum, mentem & linguam non cautè cuſtodítam. Ergo, ô pia Déitas, ô treménda maiéſtas, ego miſer inter angúſtias deprehénſus, ad te fontem miſericórdiæ recúrro, ad te feſtíno ſanándus, ſub tuam protectiónem fúgio: & quem iúdicem ſuſtinére néqueo, ſaluatórem habére ſuſpíro. Tibi Dómine, plagas meas oſténdo: tibi verecúndiam meam détego. Scio peccáta mea multa & magna, pro quibus tímeo. Spero in miſericórdias tuas, quarum non eſt númerus. Réſpice ergo in me óculis miſericórdiæ tuæ, Dómine Iéſu Chriſte, Rex ætérne, Deus & homo, crucifixus propter hóminem. Exáudi me ſperántem in te: miſerére mei pleni miſériis & peccátis, tu qui fontẽ miſeratiónis nunquam manáre ceſſábis. Salue ſalutáris víctima, pro me & omni humáno génere in patíbulo Crucis obláta. Salue nóbilis & pretióſe ſanguis, de vulnéribus crucifíxi Dómini mei Iéſu Chriſti prófluens, & peccáta totíus mundi ábluens. Recordáre Dómine creatúræ tuæ, quã tuo ſánguine redemíſti. Pœ́nitet me peccáſſe, cúpio emendáre quod feci. Aufer ergo à me, clementiſſime pater omnes iniquitátes & peccáta mea. vt

purificátus mente & córpore, dignè deguſtáre mérear ſancta ſanctórũ: & concéde, vt ſancta prælibátio Córporis & Sánguinis tui, quã ego indígnus ſúmere inténdo; ſit peccatórum meórum remíſſio, ſit delictórum perfécta purgátio, ſit túrpium cogitatiónum effugátio, ac bonórũ ſénſuum regenerátio, operúmque tibi placéntiũ ſalúbris efficácia, ánimæ quoque & córporis contra inimicórum meórum insídias firmíſſima tuítio. Amen.

Oratio S. Thomæ Aquinatis.

OMnípotens ſempitérne Deus, ecce accédo ad ſacraméntum vnigéniti filij tui Dómini noſtri Iéſu Chriſti: accédo tãquam infirmus ad médicum vitæ, immúndus ad fontẽ miſericórdiæ, cæcus ad lumen claritátis ætérnæ, pauper & egénus ad Dóminũ cęli & terrę. Rogo ergo imménſæ largitátis tuæ abundántiam, quátenus meã curáre dignéris infirmitátem, lauáre fœditátem, illumináre cæcitátẽ, ditáre paupertátẽ, veſtiti nuditátẽ: vt panem Angelórũ, Regem Regum, Dóminum dominántium tanta ſuſcípiam reueréntia & humilitáte, tanta contritióne & deuotióne, tãta puritáte & fide, tali propóſito & intẽtióne, ſicut éxpedit ſalúti ánimæ meæ. Da mihi quæſo Domínici córporis & ſánguinis non ſolũ ſuſcípere ſacramẽtum, ſed étiã rem & virtútem ſacraménti. O mitíſſime Deus, da mihi corpus vnigéniti filij tui Dómini noſtri Iéſu Chriſti, quod traxit de vírgine María, ſic ſuſcípere, vt córpori ſuo mýſtico mérear incorporári, & inter eius mẽbra connumerári. O amãtíſſime pater, concéde mihi diléctum filium tuũ, quẽ nunc velátũ in via ſuſcípere propóno, reueláta tãdem fácie perpétuò cõtemplári. Qui tecũ viuit & regnat in vnitáte Spíritus ſancti Deus: per ómnia ſǽcula ſæculórũ. Amen.

SPECVLVM SACERDOtum Miſſam celebrare volentium, ſecundum Sanctum Bonauenturam, & alios deuotos Doctores.

PRimò ante Miſſam habenda ſunt tria. Intentionis diſcuſſio. Generalis contritio. Et pura confeſſio. Intentionis diſcuſſio. Ne propter vanam gloriam celebret. Ne propter alicuius perſonæ fauorem. Ne propter lucrum temporale. Ne propter conſuetudinem. Generalis contritio. De omiſſis, quæ facere debuit, Et de commiſſis corde, ore, & opere. Pura confeſſio. Notabilium criminum, aliis notorum, & ignotorum. In Miſſa ſit. Diligens circa locum: ideſt, vt recipere poſſit vtrumque. Diligentior circa calicem: ne ſit fractus, vel reparatus. Diligentiſſimus circa materiam, ne hoſtia ſit corrupta: vinum acetoſum: aut deſit aqua. In Canone ſit diligentia Magna in ſignis, vt diligenter ea faciat. Maior in verbis, vt veraciter dicat. Maxima in intentione: vt firma fide conſecrare intendat. In conſecratione habeat. Diligentiã, ad conficiendum corpus Chriſti. Reuerentiam, ad tangendum corpus Chriſti, Deuotionem, ad ſumendum Corpus Chriſti. In tangendo Corpus Chriſti ſit reuerentia Magna, propter continentiam tam excellentis corporis Chriſti. Maior, propter cõtinentiam tam excellentis animæ Chriſti. Maxima propter continentiã tam excellentis diuinitatis Chriſti. Quid in cõſecrando intendit facere. Deũ per latriam colere, Mortem Chriſti memorare. Totam Eccleſiam adunare. Quid in cõſecrando intendit conſequi Augmentum dilectionis. Inſeparabilitatẽ vnionis.

Digitized by Google

Accelerationem fruitionis. Sit humilis oratio in primo memento.

Ne tam indignus miniſter indignè recipiat tam digniſſimum myſteriū. Ne tam indeuotus Preſbyter tam iuſtiſſimum iudicem flectat in ſuum iudicium. Ne tam immundus hoſpes, tam excellentiſſimum hoſpitē à ſe repellat fœtore criminum. Et vt eum Dominus piiſſimus participem faciat electorum Sacerdotum. Item in primo memento pro ſe & pro viuis oret. Vt ſint participes tanti myſterij. Auditores habiles Miſſarum beneficij. Contemptores humiles vanitatum mundi. Satisfactores ſtabiles defectus proprij. Et ſectatores vigiles diuini beneficij. In ſecundo memento pro defunctis oret. Vt per ſuauiſſimum myſterium habeant continuum ſubſidium. Vt per preces Eccleſiæ fidelium habeant ſuaue à pœnis refrigerium. Vt per hoc noſtrum diuinum viaticum habeāt ſecurum reditum ad Sanctorum cōſortium. Poſt Miſſam ſit ſumma gratiarum actio. De tanto pane ſuauiſſimo Angelorum, creatore creaturarum recepto. De tanto cibo perpetuo omnium Sāctorum creatore creaturarum recepto. De tāto viatico proficuo Chriſti electorum creatore creaturarum recepto.

FOELICIS RECORDATIOnis Gregorius XIII. huius nominis Papa conceſſit quinquaginta annos Indulgentiarum cuilibet Sacerdoti celebraturo, qui ante celebrationem Miſſæ dixerit ſequentem orationem cum præuia declaratione intentionis, quam decet, immo oportet, quemlibet Miſſam celebraturum habere. Congruum autem fuerit ipſam orationē poſitis genibus dicere.

Declaratio ſiue expreſſio intentionis.

EGo celebrare intendo & conſecrare corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti iuxta ritum S. Romanæ Eccleſiæ ad gloriam omnipotētis Dei, eiuſque honorem ac totius Eccleſiæ triumphantis: pro mea ſalute, N. ac totius Eccleſiæ militantis: atque etiam pro ſtatu & conſeruatione ipſius Sanctæ Eccleſiæ Romanæ.

Oratio.

GAudium cum pace, emendationem vitæ, ſpatium veræ pœnitentiæ, gratiam & conſolationem Sancti Spiritus, perſeuerantiam in bonis operibus, cor contritum & humiliatum tribuat nobis omnipotens & miſericors Dominus. Amen.

. Conceſſæ ſunt quoque ſingulis perſonis ordinis Ciſtercienſis tot & tales Indulgentiæ quot & quales dantur iis, qui viſitauerint Romæ Eccleſias, in quibus habentur ſtationes, diebus quibus ibi habentur, ſi dixerint corā quinque (vel ſaltem tribus) altaribus ter P **ater noſter,** & A **ue Maria.** Pro conſeruatione & amplificatione ipſius ſanctæ Eccleſiæ Romanæ, pro extirpatione hæreſeon, Pro concordia Principum Catholicorum, pro feliciori ſtatu dicti ordinis & cæterorum ordinum religioſorum, pro ſalute omnium viuorum & liberatione animārum à pœnis purgatoriis. Si tamen dictæ perſonæ, vel etiam Sacerdotes veram de peccatis mortalibus contritionem habuerint, eaque confeſſione præuia, vel aliàs remiſſa ipſis fuerint: nam peccato mortali infectus indulgentiis dictis aut aliis quibuſuis gaudet nemo.

ORATIONES POST CElebrationem, & Communionem dicendæ.

Oratio S. Thomæ de Aquino.

GRátias tibi ago Dómine ſancte, pater omnípotẽs, ætérne Deus, qui me peccatórem, indignum fámulum tuum, nullis meis méritis, ſed ſola dignatióne miſericórdiæ tuæ ſatiáre dignátus es pretióſo córpore & ſánguine filij tui Dómini noſtri Ieſu Chriſti. Et precor, vt hæc ſancta Commúnio non ſit mihi reátus ad pœnam, ſed intercéſſio ſalutáris ad véniam, Sit mihi armatúra fidei, & ſcutum bonæ voluntátis. Sit viriórum meórum euacuátio, concupiſcéntiæ & libídinis exterminátio, charitátis & patiéntiæ, humilitátis & obediéntiæ, omniúmque virtútum augmentátio: contra inſídias inimicórum ómnium, tam viſibílium, quàm inuiſibílium firma defénſio: mótuum meórum, tam carnálium, quàm ſpirituálium perfécta quietátio: in te vno ac vero Deo firma adhæſio: atque finis mei fœlix conſummátio. Et precor te, vt ad illud ineffábile conuíuium me peccatórem perdúcere dignéris: vbi tu cum Fílio tuo & Spíritu ſancto, ſanctis tuis es lux vera, ſátietas plena, gáudium ſempitérnum, iucúnditas cõſummáta, & fœlícitas perfécta. Per eúndem Chriſtum Dóminum noſtrum. Amen.

Alia Oratio S. Bonauenturæ.

TRansfige, dulcíſſime Dómine Ieſu, medúllas & víſcera ánimæ meæ ſuauíſſimo ac ſalubérrimo amóris tui vúlnere, vera, ſerenáque & Apoſtólica ſanctíſſima charitáte, vt lángueat & liquéfiat ánima mea ſolo ſemper amóre & deſidério tui, te concupíſcat, & deficiat in átria rua, cúpiat diſſólui, & eſſe tecum. Da, vt ánima mea te eſúriat, panem Angelórum, refectiónem animárum ſanctárum, panem noſtrum quotidiánum, ſuperſubſtantiálem, habéntem omnem dulcédinem & ſapórem, & omne delectaméntum ſuauitátis: te, in quem deſíderant A'ngeli proſpícere, ſemper eſúriat & cómedat cor meum, & dulcédine ſapóris tui repleántur víſcera ánimæ meæ: te ſemper ſitiat fontem vitæ, fontem ſapiéntiæ & ſciéntiæ, fontem ætérni lúminis, torréntem voluptátis, vbertátem domus Dei: te ſemper ámbiat, te quærat: te inuéniat, ad te tendat, ad te perueniat, te meditétur, te loquátur, & ómnia operétur in laudem & glóriam nóminis tui, cum humilitáte & diſcretióne, cum dilectióne & delectatióne, cum facilitáte & affectu, cum perſeuerántia vſque in finem: & tu ſis ſolus ſemper ſpes mea, tota fidúcia mea, diuítiæ meæ, delectátio mea, iucúnditas mea, gáudium meum, quies & tranquíllitas mea, pax mea, ſuáuitas mea, odor meus, dulcédo mea, cibus meus, reféctio mea, refúgium meum, auxílium meum, ſapiéntia mea, pórtio mea, poſſéſſio mea, theſáurus meus, in quo fixa & firma & immobíliter ſemper ſit radicáta mens, & cor meum. Amen.

Alia Oratio.

HÆc ſunt conuíuia quæ tibi placent: quæ nobis órphanis in memóriam tuæ dilectiónis reliquíſti. O Patris Sapiéntia, natus de vírgine: qui nõ dedignátus es venerábile corpus tuum tangi, & ſumi à me indigníſſimo peccatóre. Quid tibi dignè reddam, pro ómnibus, quæ tríbuis mihi? Si enim totius mundi mérita in vnum eſſent congéſta: non valérent tuæ dignatióni aliquátenus cõparári. Grátias ergo

ago tibi Dómine Iéſu Chriſte, Fili Dei viui, Rex Regum, & Dóminus dominántium. Gratiárum actiónes pro poſſe fragilitátis meæ ruæ treméndæ maieſtáti, ac imménſæ pietáti, piiſſime Iéſu, réfero: quòd ſacro córpore ruo, & ſánguine ánimam meam nimis áridam dúlciter refeciſti. Rogo te, vt quicquid in me vitióſum, ruæ voluntáti contrárium inuenitur: communióne huius ſacraménti fúnditùs euacuétur, & cor meum dignum Sancti Spíritus habitáculum præparétur. Et ò dulcíſſime Iéſu, ſit hoc ſacraméntum córporis, & ſánguinis tui ſánitas, & dulcédo ánimæ meæ: ſalus, & ſánctitas, in omni tentatióne, pax & gaúdium in omni tribulatióne: lumen, & virtus in omni verbo, & ópere, ſolámen, & rutéla finális in morte. Amen.

Ad beatiſſimam Mariam poſt Communionem. Oratio.

O Sereníſſima, & ínclyta mater Dómini noſtri IéſuChriſti: pia, & perpétua virgo María, quæ eúndem creatórem ómnium creaturárum in tuo ſanctíſſimo córpore digna fuiſti concípere, eundémque, Spíritu Sancto cooperánte, intácta, & inuioláta pérmanens in ſalútem tórius géneris peperiſti, cuius idem veraciſſimum corpus ego indígnus, & miſer peccátor ſúmere præſúmpſi: apud ipſum, quæſo, pro me intercédere dignéris: vt quicquid in eius ineffábili ſeruítio ignoránter, vel qualicúnque modo, delíqui, tuis ſanctiſſimis méritis, & précibus, ac ómnium Sanctórum, mihi clementer dignétur indulgére, ac grátiam tribúere, qua de cætero emendátiùs víuere váleam, ſicque præſéntem vitam in ſancto timóre, & ſolicitúdine perágere: quátenus poſt huius infœlícis vitæ miſérias, fœlici conſummáta victória: ad gaúdia ætérnæ fœlicitátis cum his pro quibus oráui, vel qualicúnque modo oráre téneor, atque cum omni pópulo Dei, viuis ſimul, ac defunctis introdúci mérear. Præſtánte eodem Dómino noſtro Iéſu Chriſto Fílio tuo, qui panis exiſtens Angelórum: per te factus eſt cibus viatórum: ſuper ómnia Deus benedíctus in ſǽcula. Amen.

Rythmus Sancti Thomæ ad ſacram Euchariſtiam.

Adóro te deuótè latens Déitas,
Quę ſub his figúris verè látitas:
Tibi ſe cor meum rotum ſúbiicit,
Quia te cõtémplans, totum déficit:
Viſus, guſtus, tactus in re fállitur.
Sed audítu ſolo tutè créditur.
Credo quicquid dixit Dei Fílius,
Nihil veritátis hoc verbo vérius.
In cruce latébat ſola Déitas,
Sed hìc latet ſimul, & humánitas.
Ambo tamen credẽs atque cónfitẽs,
Peto quod petíuit latro pœ́nitens.
Plagas, ſicut Thomas, non intúeor,
Deum tamen meum te confiteor,
Fac me tibi ſemper magis crédere,
In te ſpem habére, dilígere.
O memoriále mortis Dómini,
Panis verus, vitam præſtãs hómini,
Præſta meæ menti de te víuere,
Et te illi ſemper dulcè ſápere.
Pie pellicáne Iéſu Dómine,
Me immúndũ munda tuo ſánguine
Cuius vna ſtilla ſaluum fácere
Torum mundũ poſſet omni ſcélere.
Iéſu, quem velátum nunc aſpício,
Quando fiet illud, quod tam ſítio:
Vt te reueláta cernens fácie,
Viſu ſim beátus tuæ glóriæ! Amen.

ORDO AD INDVENDVM Abbarem in Pontificalibus celebraturum.

Dicanrur Pſalmi. Quàm dilécta. Benedixiſti. Inclína. Crédidi. & De profúndis. in cuiuſliber fine Glória parri, & Filio vt ſuprà.

Antiph. Ne reminiſcáris Dómine peccára noſtra: neque víndictã ſumas de peccátis noſtris.

Kýrie eléiſon. Chriſte eléiſon.

Kýrie eléiſon. Parer noſter.

Et ne nos.

℣. Ego dixi Dómine miſerére mei.

℟. Sana ánimam meam, quia peccáui tibi.

℣. Couérterc Dómine aliquántulũ.

℟. Et deprecáre ſuper ſeruos tuos.

℣. Fiat miſericórdia tua Dómine ſuper nos. ℟. Quemádmodum ſperáuimus in te.

℣. Sacerdóres tui induántur iuſtítiã.

℟. Et Sancti tui exúltent.

℣. Ab occúltis meis mũda me Dñe.

℟. Er ab aliénis parce ſeruo tuo.

℣. Dómine exáudi oratiónẽ meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíſcum.

℟. Et cum ſpíriru tuo.

Orémus. Aures tuæ pietátis, &c. pag. 177.

Ad Caligas.

CA'lcea Dómine, pedes meos in præparatiónem Euangélij pacis: & prórege me in velaménto alárum tuárum.

Deinde. Exue me. vt ibidem.

Cum lauat manus, dicat.

DA, Dómine, virtútem mánibus meis ad abſtergẽdum omnem máculam immúndam, vr ſine pollutióne mentis & córporis váleam tibi ſeruíre.

Ad Amictum & Ad Albã. vt ibid.

Ad Cingulum. vr ibid.

Ad Crucem.

MVníre dignéris me, Dómine Iéſu Chriſte, ab ómnibus insídiis inimicórum ómniũ, ſigno ſanctíſſimæ crucis ruæ, ac concédere dignéris mihi indígno ſeruo tuo: vt ſicut hanc crucem Sanctórum ruórum reliquiis reférram anre pectus meum réneo: ſic ſcmper menre retíneam & memóriam paſſiónis, & Sanctórum victórias mártyrum.

Ad Srólam. vr ibid.

Ad Tunicellam.

TVnica iucunditátis, & induménto lætítiæ índuat me Dóminus.

Ad Dalmaricam.

I'Ndue me, Dómine, induméntis ſalútis & veſtiménto lærítiæ, & Dalmática iuſtítiæ circúnda me ſemper.

Ad Chirothecas.

CIrcúnda, Dómine, manus meas mundítia noui hóminis, qui de cœlo deſcendit: vt quemádmodum Iacob diléctus tuus pelliculis hœdórum óperris mánibus patérnam benedictiónem, obláto patri cibo potúque gratiſſimo, imperráuit: ſic & obláta per manus noſtras ſalutári hóſtia, grátiæ tuæ benedictiónem mérear. Per eúndem Dóminum noſtrum Iéſum Chriſtũ Fílium tuum, qui in ſimilitúdinem carnis peccári, pro nobis obtúlit tibi ſemetípſum.

Ad Planetam, vt ad Caſulã. p. 177.

Ad Mitram.

MItram, Dómine, & ſalútis gáleam impóne cápiti meo: vt contra antíqui hoſtis, omniúmque inimicórum meórum insídias, inofſénſus euádam.

Ad Annulum.

COrdis & córporis mei, Dómine, dígiros virtúte decóra, & ſeptifórmis Spíritus ſanctificatióne circúnda.

Ad Manipulum. vt ibid.

BENEDICTIO AQVÆ diebus Dominicis.

AD AQVAM BENEDICTAM conficiendam, Exorciſmus ſalis.

EXorcízo te creatúra ſalis, per Deum ✠ viuum ⁊ per Deum ✠ verum ⁊ per Deũ ſan ✠ ctum ⁊ per Deum, qui te per Eliſæum Prophétã in aquam mitti iuſſit, vt ſanarétur ſterílitas aquæ: vt efficiáris ſal exorcizátum in ſalútem credéntiũ ⁊ vt ſis ómnibus te ſuméntibus ſánitas ánimæ & córporis: & effúgiat atque diſcédat ab eo loco, quo aſpérſum fúeris, omnis phãtáſia & nequítia vel verſútia diabólicæ fraudis, omníſque ſpíritus immúndus ⁊ adiurátus per eum, qui ventúrus eſt iudicáre viuos & mórtuos, & ſǽculum per ignem. Amen.

Benedictio ſalis. Orémus ⁊

IMménſam cleméntiam tuam, omnípotens ætérne Deus, humíliter implorámus ⁊ vt hanc creatúram ſalis, quam in vſum géneris humáni tribuiſti, bene ✠ dícere, & ſancti ✠ ficáre dignéris: vt ſit ómnibus ſuméntibus ſalus mentis & córporis ⁊ & quicquid ex eo tactum vel reſpérſum fúerit, cáreat omni immundítia: omníque impugnatióne ſpiritális nequítiæ. Per Dóminum.

EXORCISMVS AQVÆ.

EXorcízo te, creatúra aquæ, in nómine ✠ Dei Patris omnipoténtis ⁊ & in nómi ✠ ne Iéſu Chriſti Fílii eius Dómini noſtri ⁊ & in virtúte Spí ✠ ritus Sãcti: vt fias aqua exorcizáta, ad effugándam omnem poteſtátem inimíci ⁊ & ipſum inimícũ eradicáre, & explantáre váleas, cum Ángelis ſuis apoſtáticis: per virtútem eiúſdem Dómini noſtri Iéſu Chriſti, Qui ventúrus eſt iudicáre viuos & mórtuos, & ſǽculum per ignem.

Benedictio Aquæ. Orémus ⁊

DEus, qui ad ſalútem humáni géneris, máxima quæque ſacraménta in aquárum ſubſtántia cõdidiſti ⁊ adéſto inuocatiónibus noſtris: & eleménto huic multímodis purificatiónibus præparáto virtútem tuæ bene ✠ dictiónis infúnde ⁊ vt creatúra myſtérij tui tibi ſéruiens, ad abiiciéndos dǽmones, morbóſque pelléndos diuínæ grátiæ ſumat effectum: vt quicquid in dómibus vel in locis fidéliũ hæc vnda reſpérſerit, cáreat omni immundítia ⁊ liberétur à noxa: nõ illic reſídeat ſpíritus péſtilens ⁊ non aura corrúmpens: diſcédant omnes inſídiæ laténtis inimíci ⁊ & ſi quid eſt, quod aut incolumitáti habitántiũ ínuidet, aut quiéti, aſperſióne huius aquæ effúgiat: vt ſalúbritas per inuocatiónem ſancti tui nóminis expetíta ⁊ ab ómnibus ſit impugnatiónibus defénſa. Per Dóminum noſtrum.

Hic mittatur ſal in aquam in modum crucis, dicaturque Cõmíxtio ſalis & aquę páriter fiat. In nó ✠ mine Patris, & Filij & Spíritus Sancti. Amen. Dóminus vobíſcũ. Orémus ⁊

DEus inuíctæ virtútis author, & inſuperábilis impérij Rex ac ſemper magníficus triumphátor ⁊ qui aduérſæ dominatiónis vires réprimis ⁊ qui inimíci rugiéntis ſæuítiam ſúperas ⁊ qui hoſtíles nequítias potens expúgnas ⁊ te, Dómine, treméntes ac ſúpplices deprecámur ac pétimus: vt hanc creatúram ſalis &

aquæ dignánter accípias℣ bení ✠ gnus illúſtres℣ pietátis tuæ rore ſanctí ✠ fices: vt vbicúnque fúerit aſpérſa, per inuocatiónem Sancti tui nóminis, omnis infeſtátio immúndi ſpíritus abiiciátur℣ terrórque venenóſi ſerpéntis procul pellátur: & præséntia Sancti Spíritus nobis miſericórdiam tuam poſcéntibus vbíque adéſſe dignétur. Per Dóminũ. eiúſdẽ.

A Paſcha vſque ad Pentecoſten incluſiuè, ad aſperſionem aquæ, Antiphona.

VIdi aquam egrediéntem de tẽplo à látere dextro, allelúia: & omnes, ad quos peruénit aqua iſta, ſalui facti ſunt, & dicent allelúia, allelúia. ℣. In die Paſchæ. Hæc eſt dies, quam fecit Dóminus: exultémus, & lætémur in ea. Glória Patri, & Fílio. Sicut erat. Allelúia, allelúia.

Cæteris Dominicis. ℣. Confitémini Dómino, quóniã bonus: quóniam in ſǽculum miſericórdia eius.

In die Pentecoſtes. ℣. Emítte Spíritum tuum, & creabúntur: & renouábis fáciem terræ.

Glória Patri. allelúia, allelúia.

Aliis autem temporibus. Antiph.

Aſpérges me, Dómine, hyſſópo, & mundábor: lauábis me, & ſuper niuem dealbábor.

Pſalmus. Miſerére mei Deus: ſecúndum magnam miſericórdiam tuã.

Glória Patri, & Fílio. Sicut erat.

Lauábis me, & ſuper niuem dealbábor.

Tempore Paſſionis, non dicitur Glória Patri, & Fílio, &c. ſed repetitur Antiph. Aſpérges me, &c.

Poſt aſperſionem aquæ. Dóminus vobíſcum℣ Orémus℣

EXaúdi nos, Dómine ſancte Pater omnípotens ætérne Deus: & míttere dignáre ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui cuſtódiat, fóueat, prótegat, víſitet & deféndat omnes habitántes in hoc habitáculo. Per Dóminum.

Poſtea dicitur tertia de die: & poſt tertiam fit proceſſio, ſi fieri debeat, Deinde celebratur maior Miſſa, & poſt ipſam datur benedictio lectori menſæ, quam quære pag. 363. ſi tamen ipſa Miſſa fuerit Abbatialis decet ipſam benedictionem dari finito priori ſacro j. à prima Miſſa.



Virgo tibi plenis excundat gratia rivis, Pono metum: proh, quanta refundes gaudia terris.
Femineos inter tu præſtantiſsima cœtus, Cum Patris æterni paries virgo integra Natum.

Iean Meſſager excudit

INCIPIT MISSALE SECVNDVM VSVM ORDINIS CISTERCIENSIS.

DOMINICA PRIMA Aduentus Domini.

Introitus.

AD te leuáui ánimam meã: Deus meus in te confído, non erubéſcam, neque irrídeant me inimíci mei: étenim vniuérſi qui te expéctant non confundéntur.

Pſalmus. Vias tuas Dómine demónſtra mihi: & ſémitas tuas édoce me.

Non dicitur Glória in excelſis, nec Ite Miſſa eſt. vſque ad natale Domini.

Collecta.

EXcita quæſumus Dómine, poténtiam tuam & veni: vt ab imminéntibus peccatórũ noſtrórum perículis, te mereámur protegénte éripi, te liberánte ſaluári. Qui viuis.

Pro cõmemoratione B. Mariæ. Collecta

Deus qui de beátæ Mariæ.

Ad Romanos. cap. 13.

FRatres. Sciéntes quia hora eſt iam nos de ſomno ſúrgere. Nũc enim própior eſt noſtra ſalus: quàm cum credídimus. Nox præcéſſit: dies autem appropinquáuit. Abiiciámus ergo ópera tenebrárum, & induámur arma lucis: ſicut in die honéſtè ambulémus. Non in comeſſatiónibus & ebrietátibus, non in cubílibus & impudicítiis: non in contentióne & æmulatióne. Sed induímini: Dóminũ Iéſum Chriſtũ.

Vniuérſi qui te expéctant, non confundéntur Dómine. ℣. Vias tuas Dómine notas fac mihi & ſémitas tuas édoce me.

Alleluia. ℣. Oſténde nobis Dómine miſericórdiam tuam: & ſalutáre tuum da nobis, Allelúia.

Initium ſancti Euangélij: ſecúndum Marcum. Cap. 1.

INítium Euangélij Ieſu Chriſti Fílij Dei: ſicut ſcriptũ eſt in Iſaía Prophéta. Ecce mitto Angelum meum ante fáciem tuam: qui præparábit viam tuã ante te. Vox clamántis in deſérto: Paráte viam Dómini rectas fácite ſémitas eius. Fuit Ioánnes in deſérto baptízãs: & prædicans baptíſmum pœniténtiæ, in remiſſiónem peccatórum. Et egrediebátur ad illum omnis Iudǽæ régio & Ieroſolimítæ vniuérſi: & batizabántur ab illo in Iordáne flúmine confiténtes peccáta ſua. Et erat Ioánnes veſtítus pilis caméli, & zona pellícea circa lumbos eius: & locúſtas & mel ſiluéſtre edébat. Et prædicábat dicẽs. Venit fórtior me poſt me: cuius non ſum dignus procúmbens ſóluere corrígiam calceamentórum eius. Ego baptízo vos aqua: ille verò baptizábit vos: Spíritu Sancto. Credo.

Offertoriũ. Ad te Dómine leuáui ánimam meã: Deus meus in te confído non erubéſcam, neque irrídeãt me inimíci mei: étenim vniuérſi qui te expéctãt non cõfundéntur.

Secreta.

HÆc ſacra nos Dómine potẽti virtúte mundátos, ad ſuum fáciãt puriores veníre princípiũ. Per Dñm noſtrũ Iéſum Chriſtũ Filium.

Communio. Dóminus dabit benignitátẽ:

& terra noſtra dabit fructum ſuum.

Poſtcommunio.

SVſcipiámus Dómine miſericórdiam tuam in médio templi tui:& reparatiónis noſtræ ventúra ſolémnia cóngruis honóribus præcedámus. Per Dóminum.

DOMINICA SECVNDA.

Statio ad Ieruſalem.

Introitus.

POpulus Sion ecce Dóminus véniet ad ſaluándas gentes: & audítam fáciet Dóminus glóriam vocis ſuæ in lætítia cordis veſtri.

Pſalmus. Qui regis Iſráel inténde: qui dedúcis velut ouem Ióſeph. Collecta.

EXcita Dómine corda noſtra ad præparándas vnigéniti tui vias: vt per eius aduétum, purificátis tibi méntibus ſeruíre mereámur. Qui tecum viuit.

Ad Romános. cap. 15.

FRatres. Quæcúnq; ſcripta ſunt, ad noſtram doctrínam ſcripta ſunt: vt per patiéntiam & conſolatiónem ſcripturárum ſpem habeámus. Deus autem patiéntiæ & ſolátij, det vobis idípſum ſápere in altérutrum, ſecúndum Ieſum Chriſtum: vt vnánimes vno ore honorificétis Deum & patrẽ Dómini noſtri Ieſu Chriſti. Propter quod ſuſcípite ínuicem: ſicut & Chriſtus ſuſcépit vos in honórem Dei. Dico enim Chriſtum Iéſum miníſtrum fuíſſe circunciſiónis propter veritátem Dei: ad confirmándas promiſſiónes patrum. Gentes autẽ ſuper miſericórdia honoráre Deum: ſicut ſcriptum eſt. Proptérea confitébor tibi in Géntibus Dómine: & nómini tuo cantábo. Et íterum dicit. Lætámini Gentes: cum plebe eius. Et iterũ. Laudáte omnes Gentes Dóminum: & magnificáte eum omnes pópuli. Et rurſum Iſaías ait. Erit radix Ieſſe: & qui exúrget régere Gentes, in eum Gentes ſperábunt. Deus autem ſpei rérpleat vos omni gaúdio & pace in credéndo: vt abundétis in ſpe: & virtúte Spíritus Sancti.

℟. Ex Sion ſpécies decóris eius Deus maniféſtè véniet. ℣. Congregáte illi ſanctos eius qui ordinauérunt teſtaméntum eius ſuper ſacrifícia. Allelúia. ℣. Lætátus ſum in his quæ dicta ſunt mihi: in domum Dómini íbimus. Allelúia.

Secúndum Lucam. cap. 21.

IN illo témpore. Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Erunt ſigna in Sole & Luna, & ſtellis, & in terris preſſúra Géntiũ prę confuſióne ſónitus maris & flúctuum: areſcéntibus homínibus præ timóre & expectatióne quæ ſuperuénient vniuérſo orbi. Nam virtútes cælórum mouebúntur. Et tunc vidébunt filium hóminis veniéntem in núbibus: cum poteſtáte magna, & maieſtáte. His autem fieri incipiéntibus: reſpícite & leuáte cápita veſtra, quóniam appropínquat redémptio veſtra. Et dixit illis ſimilitúdinem. Vidéte ficúlneam: & omnes árbores. Cum prodúcunt iam ex ſe fructum: ſcitis quóniam prope eſt æſtas. Ita & vos cum vidéritis hæc fieri: ſcitóte quóniam propè eſt regnum Dei. Amen dico vobis: quia non præteríbit generátio hæc, donec ómnia fiant. Cælum & terra tranſíbunt: verba autem mea non tranſíbunt.

Offertorium. Deus tu conuértens viuificábis nos: & plebs tua lætábitur in te, oſténde nobis Dómine miſericórdiam tuam: & ſalutáre tuum da nobis. Secreta.

PLacáre quæſumus Dómine humilitátis noſtræ précibus & hóſtiis, & vbi nulla ſuppetunt ſuffrágia meritórum, tuis nobis ſuccúrre

præſidiis. Per Dóminum.

Communio. Ierúſalem ſurge & ſta in excélſo & vide iucunditátem quæ véniet tibi à Deo tuo. Poſtcommunio.

REpléti cibo ſpirituális alimóniæ ſúpplices te Dómine deprecámur: vt huius participatióne myſtérij dóceas nos terréna deſpícere ❡ & amáre cæléſtia. Per Dóminum.

DOMINICA TERTIA.

Statio ad S. Petrum.

Introitus.

GAudéte in Dómino ſemper, íterũ dico gaudéte, modéſtia veſtra nota ſit ómnibus homínibus, Dóminus prope eſt: nihil ſollíciti ſitis, ſed in omni oratióne petitiónes veſtræ innotéſcant apud Deum.

Pſalmus. Et pax Dei quæ exúperat omnem ſenſum: cuſtodiat corda veſtra & intelligéntias veſtras. Collecta.

AVrem tuam quæſumus Dómine précibus noſtris accómmoda ❡ & mentis noſtræ ténebras, grátia tuæ viſitatiónis illúſtra. Per Dóminum noſtrum.

Ad Corinthios. I. cap. iiij.

FRatres. Sic nos exíſtimet homo vt miníſtros Chriſti: & diſpenſatóres myſteriorũ Dei. Hic iam quǽritur inter diſpenſatóres: vt fidélis quis inueniátur. Mihi autẽ pro mínimo eſt, vt à vobis iúdicer, aut ab humáno die: ſed neq; meípſum iúdico Nihil enim mihi cónſcius ſum: ſed non in hoc iuſtificátus ſum. Qui autẽ iúdicat me: Dóminus eſt. Itaq; nolíte ante tempus iudicáre: quoadúſque véniat Dóminus qui & illuminábit abſcõdita tenebrárum, & manifeſtábit cõſilia córdium. Et tunc laus erit: vnicuíque à Deo.

℟. Qui ſedes Dómine ſuper Chérubin: éxcita poténtiam tuam & veni. ℣. Qui regis Iſraël inténde: qui dedúcis velut ouem Ióſeph. Allelúia. ℣. Excita Dómine poténtiam tuam & veni: vt ſaluos fácias nos. allelúia.

Secúndum Matthæum. II.

IN illo témpore. Cum audíſſet Ioánnes in vínculis ópera Chriſti: mittens duos de diſcípulis ſuis, ait illi. Tu es qui ventúrus es, an álium expectámus? Et reſpóndens Ieſus: ait illis. Eúntes renuntiáte Ioánni: quæ audíſtis & vidíſtis. Cæci vident: claudi ámbulant: lepróſi mundántur. Surdi áudiunt: mórtui reſúrgunt: paúperes euangelizántur. Et beátus eſt: qui non fúerit ſcandalizátus in me. Illis autẽ abeúntibus: cœpit Ieſus dícere ad turbas de Ioánne. Quid exíſtis in deſértũ vidére? Arúndinem vento agitátam? Sed quid exíſtis vidére? Hóminem móllibus veſtítum? Ecce qui móllibus veſtiúntur: in dómibus regum ſũt. Sed quid exíſtis vidére? Prophétam? Etiam dico vobis: & plus quam Prophétam. Hic eſt enim: de quo ſcriptum eſt. Ecce mitto Angelum meum ante fáciem tuam: qui præparábit viam tuam: ante te.

Offertorium. Benedixíſti Dómine terram tuam: auertíſti captiuitátem Iacob: remiſíſti iniquitátem plebis tuæ. Secreta

DEuotiónis noſtræ tibi quǽſumus Dómine hóſtia iúgiter immolétur, quæ & ſacri péragat inſtitúta myſtérij: & ſalutáre tuum nobis mirabíliter operétur. Per Dómi.

Communio. Dícite, puſillánimes confortámini & nolíte timére: ecce Deus noſter véniet & ſaluábit nos.

Poſtcommunio.

IMplorámus Dómine cleméntiã tuam: vt hęc diuína ſubsídia à vítiis expiátos ❡ ad feſta ventúra nos præparent. Per Dóminum.

FERIA QVARTA.

Statio ad S. Mariam ad præſepe.

Introitus.

ROráte cæli déſuper & nubes pluant iuſtum: aperiátur terra & gérminet Saluatórem. Pſalmus. Et iuſtitia oriátur ſimul: ego Dóminus creáui eum. Hic dicitur Dóminus vobíſcum.

Collecta.

PRæſta quæſumus omnípotens Deus: vt redemptiónis noſtræ ventúra ſolénnitas, & præſéntis nobis vitæ ſubſídia cónferat: & ætérnæ beatitúdinis prǽmia largiátur. Per.

Lectio Iſaíæ Prophetæ. cap. 2.

IN diébus illis. Dixit Iſaías Prophéta. Erit in nouiſſimis diébus præparátus mōs domus Dómini in vértice móntium: & eleuábitur ſuper colles & fluent ad eum omnes Gentes: & ibunt pópuli multi & dicent. Veníte aſcendámus ad mōtem Dómini, & ad domū Dei Iácob: & docébit nos vias ſuas & ambulábimus in ſémitis eius: quia de Sion exíbit lex & verbum Dómini de Ierúſalem Et iudicábit Gentes: & árguet pópulos multos. Et conflábūt gládios ſuos in vómeres: & lánceas ſuas in falces. Non leuábit gens cōtra gentem gládium: nec exercebúntur vltra ad prǽlium. Domus Iácob: veníte & ambulémus in lúmine Dómini Dei noſtri.

℟. Tóllite portas príncipes veſtras & eleuámini portæ ęternáles & introíbit rex glóriæ. ℣. Quis aſcéndet in montem Dómini: aut quis ſtabit in loco ſancto eius? innocens mánibus & mundo corde. Hic nō repetatur Dóminus vobíſcum, ſed tantum dicatur.

Orémus.

FEſtína quǽſumꝰ Dómine ne tardáueris: & auxíliū nobis ſupérnæ virtútis impénde: vt aduéntus tui conſolatiónibus ſubleuéntur: qui in tua pietáte confídunt. Qui viuis.

Lectio Iſaíæ Prophetæ cap. 7.

IN diébus illis. Locútus eſt Dóminus ad Achaz dicens. Pete tibi ſignum à Dómino Deo tuo in profúndum inférni: ſiue in excélſū ſupra. Et dixit Achaz. Non petam: & non tentábo Dóminum. Et dixit. Audíte ergo domus Dauid. Nunquid parum vobis eſt moléſtos eſſe homínibus, quia moléſti eſtis & Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipſe vobis ſignum. Ecce virgo concípiet & páriet fílium: & vocábitur nomē eius Emmánuel. Butýrum & mel cómedet: vt ſciat reprobáre malum: & elígere bonum.

℟. Prope eſt ómnibus inuocántibus eum: ómnibus qui ínuocant eum in veritáte.

℣. Laudem Dómini loquétur os meum: & benedícat omnis caro nomen ſanctū eius.

Secúndum Lucam. cap. 1.

IN illo témpore. Miſſus eſt Angelus Gábriel à Deo in ciuitátem Galilǽæ cui nomen Názareth, ad vírginem deſponſátam viro cui nomen erat Ióſeph, de domo Dauid: & nomen vírginis María. Et ingréſſus Angelus ad eam: dixit. Aue grátia plena: Dóminus tecum. Benedícta tu in muliéribus. Quæ cum audíſſet turbáta eſt in ſermóne eius: & cogitábat qualis eſſet iſta ſalutátio. Et ait Angelus ei. Ne tímeas María: inueníſti enim grátiā apud Deum. Ecce cōcípies in vtero & páries Fílium: & vocábis nomen eius Ieſum. Hic erit magnus: & Fílius altíſſimi vocábitur. Et dabit illi Dóminus Deus ſedem dauid patris eius; & regnábit in domo Iácob in ætérnum & regni eius non erit finis. Dixit autem María ad Angelum. Quomodo fiet iſtud quóniam virum non cognóſco? Et reſpóndens Angelus: dixit ei. Spíritus

tus ſanctus ſuperuéniet in te: & virtus altíſſimi obumbrábit tibi. Ideóque & quod naſcétur ex te ſanctū: vocábitur fílius Dei. Et ecce Elízabeth cognáta tua: & ipſa concépit fílium in ſenectúte ſua. Et hic menſis eſt ſextus illi, quæ vocátur ſtérilis: quia non erit impoſsíbile apud Deum omne verbum. Dixit autem María. Ecce ancílla Dómini. Fiat mihi ſecúndum verbum tuum.

Offertorium. Ave María grátia plena Dóminus tecū, benedícta tu in muliéribus & benedíctus fructus ventris tui. Secreta

ACcépta tibi ſint Dómine quǽſumus noſtra ieiúnia, quæ & expiándo nos tua grátia dignos efficiant, & ad ſempitérna promiſſa perdúcant. Per Dóminum.

Communio. Ecce virgo concípiet & páriet fílium: & vocábitur nomen eius Emmánuel.

Poſtcommunio.

SAlutáris tui Dómine múnere ſatiáti, ſúpplices deprecámur: vt cuius lætámur guſtu, renouémur effectu. Per Dóminum.

FERIA SEXTA AD Apoſtolos. Introitus.

PRopè es tu Dómine & omnes viæ tuæ véritas: inítio cognóui de teſtimóniis tuis quia in ætérnum tu es.

Pſalmus. Beati immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini. Collecta

EXcita quǽſumus Dómine poténtiam tuam & veni: vt hi qui in tua pietáte confídunt, ab omni citiꝰ aduerſitáte liberéntur. Qui vi.

Lectio Iſaiæ Prophetæ. cap. 11.

HÆc dicit Dóminus Deus. Egrediétur virga de radíce Ieſſe: & flos de radíce eius aſcéndet. Et requiéſcet ſuper eum ſpíritus Dómini: ſpíritus ſapiéntiæ & intelléctus, ſpíritus consílij & fortitúdinis, ſpíritus ſciéntiæ & pietátis: & replébit eum ſpíritus timóris Dómini. Non ſecúndum viſiónem oculórum iudicábit, neque ſecúndum audítum aúrium árguet: ſed iudicábit in iuſtitia paúperes, & árguet in æquitáte pro manſuétis terræ. Et percútiet terram virga oris ſui: & ſpíritu labiórum ſuórum interfíciet ímpium. Et erit iuſtítia cíngulum lumbórum eius: & fides cinctórium renum eius.

℟. Oſténde nobis Dómine miſericórdiam tuam: & ſalutáre tuū da nobis. ℣. Benedixíſti Dómine terram tuam: auertíſti captiuitátem Iacob.

Secúndum Lucam. cap. 1.

IN illo témpore. Exúrgens María: ábiit in montána cum feſtinatióne in ciuitátem Iuda. Et intráuit in domum Zacharíæ: & ſalutáuit Elízabeth. Et factum eſt vt audíuit ſalutatiónem Maríæ Elízabeth: exultáuit infans in útero eius. Et repléta eſt Spíritu Sancto Elízabeth: & exclamáuit voce magna & dixit. Benedícta tu inter mulíeres: & benedíctus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi, vt véniat mater Dómini mei ad me? Ecce enim vt facta eſt vox ſalutatiónis tuæ in aúribus meis: exultáuit in gaúdio infans in útero meo. Et beáta quæ credidíſti: quóniam perficiéntur ea quę dicta ſunt tibi à Dómino. Et ait María. Magníficat ánima mea Dóminum. Et exultáuit ſpíritus meus: in Deo ſalutári meo.

Offertorium. Deus tu conuértens viuificábis nos: & plebs tua lætábitur in te, oſténde nobis Dómine miſericórdiam tuam: & ſalutáre tuum da nobis. Secreta

MVnéribus noſtris quǽſumus Dómine precibúſque ſuſcéptis, & cæléſtibus nos mūda myſté-

Digitized by Google

riis, & cleménter exáudi. Per Dómi.

Communio. Ecce Dóminus véniet & omnes ſancti eius cum eo: & erit in die illa lux magna. Poſtcommunio.

TVi nos Dómine ſacraménti libátio ſancta reſtaúret? & à vetuſtáte purgátos, in myſtérij ſalutáris fáciat transíre consórtium. Per Dóminum noſtrum.

SABBATO IN XII. LEC.

Statio ad S. Petrum.

Introitus.

VEni & oſténde nobis fáciẽ tuã Dómine qui ſedes ſuper Chérubin & ſalui érimus. Pſalmus. Qui regis Iſráel inténde: qui dedúcis velut ouem Ióſeph. Non dicitur Dóminus vobíſcum. vſque poſt Hymnum. Benedíctus. ſed dicitur Orémus. Collecta

DEus qui cónſpicis quia ex noſtra prauitáte afflígimur? concéde propítius, vt ex tua viſitatióne conſolémur. Per Dóminum.

j. Lect. Iſaíæ Prophétæ. cap. 19.

IN diébus illis. Clamábũt ad Dóminum à fácie tribulántis: & mittet eis ſaluatórem & propugnatórem qui líberet eos. Et cognoſcétur Dóminus ab Ægypto & cognóſcent Ægýptij Dóminum in die illa? & colent eum in hóſtiis & munéribus: & vota vouébunt Dómino & ſóluent. Et percútiet Dóminus Ægýptum plaga & ſanábit eam: & reuerténtur ad Dóminum & placábitur eis? & ſanábit eos Dóminus Deus noſter.

℟. A ſummo cælo egréſſio eius: & occúrſus eius vſque ad ſummum eius. ℣. Cæli enárrant glóriam Dei: & ópera mánuum eius annúntiat firmaméntum. Collecta.

COncéde quæſumus omnípotens Deus: vt qui ſub peccáti iugo ex vetúſta ſeruitúte deprímimur? expectáta vnigéniti filij tui noua natiuitáte liberémur. Qui tecum viuit & regnat Deus.

ij. Lectio Iſaíæ Prophétæ. cap. 35.

HÆc dicit Dóminus Deus. Lætábitur deſérta & ínuia: & exultábit ſolitúdo? & florébit quaſi lílium. Gérminans germinábit: & exultábit lætabúnda & laudans. Glória Líbani data eſt ei: decor Carméli & Saron. Ipſi vidérunt glóriã Dómini: & decórem Dei noſtri. Confortáte manus diſſolútas: & génua debília roboráte. Dícite. Puſillánimes cõfortámini: & nolíte timére. Ecce Deus veſter vltiónem addúcet retributiónis: Deus ipſe véniet & ſaluábit nos. Tunc aperiéntur óculi cæcórum: & aures ſurdórum patébunt. Tunc ſáliet ſicut ceruus claudus? & apérta erit lingua mutórum: quia ſciſſæ ſunt in deſérto aquæ? & torréntes in ſolitúdine: & quæ erat árida erit in ſtagnum? & ſitiens in fontes aquárum. Ait Dóminus omnípotens.

℟. In ſole póſuit tabernáculum ſuũ: & ipſe tamquã ſponſus procẽdẽs de thálamo ſuo. ℣. A ſummo cælo egréſſio eius: & occúrſus eius vſque ad ſummum eius. Collecta.

INdignos nos quæſumus Dómine fámulos tuos quos actiónis própriæ culpa contríſtat? vnigéniti filij tui aduéntu lætífica. Qui tecũ.

iij. Lectio Iſaíæ Prophétæ. cap. 40.

HÆc dicit Dóminus. Super mõtem excélſum aſcénde tu qui euangelízas Sion: exálta in fortitúdine vocem tuam qui euangelízas Ieruſalem. Exálta: noli timére. Dic ciuitátibus Iudæ. Ecce Deus veſter. Ecce Dóminus Deus in fortitúdine véniet: & bráchiũ eius dominábitur. Ecce merces eius cũ eo: & opus illíus corã ipſo. Sicut paſtor gregem ſuum paſcet? in bráchio ſuo cõgregábit agnos: & in ſinu ſuo leuábit

Digitized by Google

eos Dóminus Deus noſter.

℟. Dómine Deus virtútum conuérte nos: & oſténde fáciem tuam & ſalui érimus.

℣. Excita Dómine poténtiam tuam & veni, vt ſaluos fácias nos. Collecta

PRæſta quæſumus omnípotens Deus: vt filij tui ventúra ſolémnitas & præſéntis nobis vitæ remédia cónferat, & prǽmia ætérna concédat. Qui tecum viuit.

iiij. Léctio Iſaíæ Prophétæ. cap. 45.

HÆc dicit Dóminus Chriſto meo Cyro cuius apprehéndi déxteram, vt ſubíiciā ante fáciem eius gentes: & dorſa regum vertam. Et apériam coram eo iánuas: & portæ non claudéntur. Ego ante te ibo: & glorióſos terræ humiliábo. Portas ǽreas cónteram: & vectes férreos confríngam. Et dabo tibi theſaúros abſcónditos, & arcána ſecretórum: vt ſcias quia ego Dóminus qui voco nomen tuum Deus Iſráel, propter Iacob ſeruū meum, & Iſráel eléctum meum. Et vocáui te nómine tuo: aſſimiláui te & non cognouíſti me. Ego Dóminus & non eſt ámplius: & extra me non eſt Deus. Accínxi te & non cognouíſti me: vt ſciant hi qui ab ortu ſolis & qui ab occidénte, quóniam abſque me non eſt Deus. Ego Dóminus & non eſt alter. Formans lucem & creans ténebras, fáciens pacem & creans malum. Ego Dóminus: fáciens ómnia hæc. Roráte cæli déſuper & nubes pluant iuſtum: aperiátur terra & gérminet ſaluatórem, & iuſtítia oriátur ſimul: ego Dóminus creáui eum.

℣. Excita Dómine poténtiam tuam & veni vt ſaluos fácias nos. ℣. Qui regis Iſráel inténde qui dedúcis velut ouem Ióſeph qui ſedes ſuper Chérubin: appáre coram Ephraím Benjamín & manáſſe. Collecta.

PReces pópuli tui quæſumus Dómine cleménter exaúdi: vt qui iuſtè pro peccátis noſtris afflígimur pietátis tuæ viſitatióne conſolémur. Per Dóminum noſtrum.

v. Léctio Daniélis Prophétæ. cap. 3.

IN diébus illis. Angelus Dómini deſcéndit cum Azaría & ſóciis eius in fornácem, & excúſſit flammam ignis de fornáce: & fecit médium fornácis quaſi ventum roris flantem. Flamma aut diffúſa eſt ſuper fornácem cúbitis quadragintanóuem: & incéndit quos réperit iuxta fornácem de Chaldǽis miníſtros regis qui eam incendébant. Illos autem omníno non tétigit ignis, neque contriſtáuit: nec quicquam moléſtiæ íntulit. Tunc hi tres quaſi ex vno ore hymnum dicébāt: & magnificábant Deum in fornáce dicéntes. Hymnus

BEnedíctus es Dómine Deus patrum noſtrórum. Et laudábilis & glorióſus in ſæcula. ℣. Et benedíctum nomen glóriæ tuæ quod eſt ſanctum. Et laudábile & glorióſum in ſæcula. ℣. Benedíctus es in templo ſancto glóriæ tuæ. Et laudábilis.

℣. Benedíctus es ſuper thronum ſanctum regni tui. Et laudábilis. ℣. Benedíctus es ſuper ſceptrum diuinitátis tuæ. Et laudá.

℣. Benedíctus es qui ámbulas ſuper pennas ventórum. Et laudábilis. ℣. Benedíctus es qui ſedes ſuper Chérubin íntuens abyſſos. Et laudábilis. ℣. Benedícant te omnes Angeli & ſancti tui. Laudábilem & glorióſum in ſæcula. ℣. Benedícāt te cæli, terra, mare & ómnia quæ in eis ſunt. Laudábilem.

℣. Glória Patri, & filio: & Spirítui ſancto. Laudábili & glorióſo in ſæcula.

℣. Sicut erat in princípio, & nūc & ſemper: & in ſæcula ſæculórum, Amen. Et laus & honor & poteſtas & impérium.

℣. Benedíctus es Dómine Deus Patrum noſtrórum: & laudábilis & glorióſus in ſæcula. Hic dicitur. Dóminus vobíſcum.

Orémus. Collecta

DEus qui tribus púeris mitigáſti flammas ígnium, cōcéde propítius vt nos fámulos tuos non exúrat flamma vitiórū. Per Dóminum.

Sequitur Collecta de feſto occurrente, aut pro præſenti defuncto, deinde D eus qui de beátæ Maríæ nec vlla amplius.

Ad Theſſalonicénſes. 2.cap.2.

FRatres Rogámus vos per aduéntum Dómini noſtri Iéſu Chriſti, & noſtræ congregatiónis in ipſum: vt nō citò moueámini à veſtro ſenſu, neque terreámini, neque per ſpíritum, neque per ſermónē, neque per epíſtolā, tanquam per nos miſſam, quaſi inſtet dies Dómini. Ne quis vos ſedúcat vllo modo: quóniā niſi vénerit diſcéſſio primum & reuelátus fúerit homo peccáti, filius perditiónis, qui aduerſátur & extóllitur ſupra omne quod dícitur Deus, aut quod cólitur, ita vt in templo Dei ſédeat, oſtēdēs ſe tanquam ſit Deus. Non retínetis quod cum adhuc eſſem apud vos, hæc dicébā vobis? Et nunc quid detíneat ſcitis: vt reuelétur in ſuo témpore. Nam myſtérium iam operátur iniquitátis: tantum vt qui tenet nunc téneat, donec de médio fiat. Et tūc reuelábitur ille iníquus, quem Dóminus Iéſus interfíciet ſpíritu oris ſui: & déſtruet illuſtratióne aduéntus ſui. Tractus

QVi regis Iſráel inténde: qui dedúcis velut ouem Ióſeph. ℣. Qui ſedes ſuper Chérubin appáre coram Effraim Beniamín & Manáſſe. ℣. Excita Dómine potē tiam tuam & veni: vt ſaluos fácias nos.

Secúndum Lucam. cap.3.

ANno quintodécimo impérij Tibérij Cǽſaris, procuránte Póntio Piláto Iudǽam, Tetrárcha autē Galilǽæ Heróde, Philíppo autem fratre eius Tetrárcha Ituréæ & Trachonítidis regiónis, & Liſánia Abilínæ Tetrárcha: ſub princípibus Sacerdótum Anna & Cáypha: factum eſt verbum Dómini ſuper Ioánnem Zacharíę filium in deſérto. Et venit in omnem regiónē Iordánis, prædicans baptíſmum pœnitēntiæ in remiſſiónem peccatórum: ſicut ſcriptum eſt in libro ſermónum Iſáiæ Prophétæ. Vox clamántis in deſérto: paráte viam Dómini, rectas fácite ſémitas eius. Omnis vallis implébitur: & omnis mōs & collis humiliábitur. Et erunt praua in dirécta: & áſpera in vias planas. Et vidébit omnis caro: ſalutáre Dei.

Offertorium E xúlta ſatis filia Sion, prædica filia Ierúſalem: ecce rex tuus venit tibi ſanctus & ſaluátor.

Secreta.

SAcrificiis præſéntibus Dómine placátus inténde: vt & deuotióni noſtræ proficiant & ſalúti. Per.

Communio. E xultáuit vt Gygas ad curréndam viam: à ſummo cælo egréſſio eius: & occúrſus eius vſque ad ſummum eius.

Poſtcommunio.

QVǽſumus Dómine Deus noſter: vt ſacroſáncta myſtéria quæ pro reparatiónis noſtrę muními̇ne cōtuliſti, & præſens nobis remédium eſſe fácias & futúrū. Per.

DOMINICA QVARTA.

Ad ſanctam Mariam.

Introitus.

MEménto noſtri Dómine in beneplácito pópuli tui: víſita nos in ſalutári tuo: ad vidéndum in bonitáte electórum tuórum in lætítia gentis tuæ vt laudéris cum hæreditáte tua.

Pſalmus. Confitémini Dómino quóniam bonus: quóniam in ſæculum miſericórdia eius. Collecta

EXcita Dómine poténtiā tuam, & veni: & magna nobis virtúte ſuccúrre: vt per auxíliū grátiæ tuæ quod noſtra peccáta præpédiunt, indulgéntia tuæ propitiatiónis accéleret. Qui viuis.

Ad

Ad Philippénſes. cap.4.

FRatres. Gaudéte in Dómino ſemper: íterum dico gaudéte. Modéſtia veſtra nota ſit ómnibus homínibus: Dóminus propè eſt. Nihil ſollíciti ſitis: ſed in omni oratióne & obſecratióne, cum gratiárum actióne, petitiónes veſtræ innoteſcant apud Deum. Et pax Dei quæ exúperat omnem ſenſum: cuſtódiat corda veſtra & intelligéntias veſtras. In Chriſto Ieſu: Dómino noſtro.

℟. Propè eſt Dóminus ómnibus inuocántibus eum: ómnibus qui ínuocant eum in veritáte. ℣. Laudem Dómini loquétur os meum: & benedícat omnis caro nomen ſanctum eius. Allelúia. ℣. Veni Dómine & noli tardáre: reláxa facínora plebis tuæ.

Secundum Ioánnem. cap.1.

IN illo témpore. Miſérunt Iudǽi ab Ieroſólymis Sacerdótes & Leuítas ad Ioánnem: vt interrogárent eũ tu quis es? Et cōféſſus eſt: & non negáuit. Et conféſſus eſt: quia non ſum ego Chriſtus. Et interrogauérunt eum. Quid ergo? Elías es tu? Et dixit. Non ſum. Prophéta es tu? Et reſpóndit. Non. Dixérunt ergo ei. Quis es? Vt reſpónſum demus his qui miſérunt nos: quid dicis de teipſo? Ait: Ego vox clamántis in deſérto: dirígite viam Dómini, ſicut dixit Iſaías Prophéta. Et qui miſſi fúerant: erant ex Phariſǽis. Et interrogauérunt eum: & dixérunt ei. Quid ergo baptízas ſi tu non es Chriſtus, neque Elías neque Prophéta? Reſpóndit eis Ioánnes dicens. Ego baptízo in aqua: médius autem veſtrum ſtetit quem vos nō ſcitis. Ipſe eſt qui poſt me ventúrus eſt, qui ante me factus eſt: cuius ego non ſum dignus vt ſoluam eius corrígiam calceaménti. Hæc in Bethánia facta ſunt trans Iordánem: vbi erat Ioánnes baptízans.

Offertorium. Confortámini & iam nolíte timére: ecce enim Deus noſter retríbuens iudícium: ipſe veniet & ſaluos nos fáciet.

Secreta.

SAcrifíciis præſéntibus Dómine placátus inténde: vt & deuotióni noſtræ profíciant & ſalúti. Per.

Communio. Ecce virgo concípiet & páriet fílium, & vocábitur nomē eius Emmánuel.

Poſtcommunio.

SVmptis munéribus Dómine quǽſumus: vt cum frequentatióne myſtérij creſcat noſtræ ſalútis effectus. Per.

IN VIGILIA NATALIS Domini.

Statio ad ſanctam Mariam.

Introitus.

HOdie ſciétis quia véniet Dóminus & ſaluábit nos: & manè vidébitis glóriam eius. Pſalmus. Dómini eſt terra & plenitúdo eius: orbis terrárum & vniuérſi qui hábitant in eo. Non dicitur Glória in excélſis. Niſi fuerit Dominica.

Collecta.

DEus qui nos redemptiónis noſtræ ánnua expectatióne lætíficas: præſta vt vnigénitum tuum quem redemptórem læti ſuſcípimus: veniéntem quoque iúdicem ſecúri videámus Dóminum noſtrum Iéſum Chriſtum Fílium tuum: Qui tecum viuit.

Quæ dicitur ſola niſi fuerit præſens defunctus.

Léctio Iſaíæ Prophétæ. cap.62.

HÆc dicit Dóminus. Propter Sion non tacébo: & propter Ieruſalem non quieſcā: donec egrediátur vt ſplendor iuſtus eius: & ſaluátor eius vt lampas accendátur. Et vidébunt Gentes iuſtum tuum: & cuncti reges ínclytū tuum. Et vocábitur tibi nomen nouum: quod os

Digitized by Google

Dómini nomináuit. Et eris coróna glóriæ in manu Dómini: & diadéma regni in manu Dei tui. Non vocáberis vltra derelícta: & terra tua non vocabitur ámplius deſoláta: ſed vocáberis volúntas mea in ea: & terra tua inhabitábitur: quia complácuit Dómino in te.

Ad Romános. 1.

FRatres. Paulus ſeruus Chriſti Ieſu vocátus Apóſtolus, ſegregátus in euangélium Dei: quod ante promíſerat per Prophétas ſuos in ſcriptúris ſanctis de Fílio ſuo: qui factus eſt ei ex sémine Dauid ſecúndum carnem. Qui prædeſtinátus eſt Fílius Dei in virtúte: ſecúndum Spíritum ſanctificatiónis ex reſurrectióne mortuórum Ieſu Chriſti Dómini noſtri. Per quem accépimus grátiam & Apoſtolátum: ad obediéndum fídei in ómnibus géntibus pro nómine eius. In quibus eſtis & vos vocáti: Ieſu Chriſti Dómini noſtri.

℟ Hódie ſciétis quia véniet Dóminus & ſaluábit nos: & manè vidébitis glóriam eius. ℣ Qui regis Iſráel inténde: qui dedúcis velut ouem Ióſeph, qui ſedes ſuper Chérubin: appáre coram Effrem Béniamin & Manáſſe. Si in Dominica euenerit.

Allelúia. ℣. Veni Dómine & noli tardáre: reláxa facínora plebis tuæ. Allelúia.

Secúndum Matthǽum. 1.

IN illo témpore. Cũ eſſet deſpónſáta mater Ieſu María Ióſeph: ántequam conueníren inuénta eſt in vtero habens de Spíritu Sancto. Ióſeph autem vir eius cum eſſet iuſtus, & nollet eam tradúcere: vóluit occúltè dimíttere eam. Hæc autem eo cogitánte: ecce Angelus Dómini in ſomnis appáruit ei dicens. Ióſeph fili Dauid: noli timére accípere Maríam cóniugem tuam. Quod enim in ea natum eſt: de Spíritu Sancto eſt. Páriet autem fílium: & vocábis nomẽ eius Ieſum. Ipſe enim ſaluum fáciet pópulum ſuum: à peccátis eórum.

Offertorium. Tóllite portas príncipes veſtras, & eleuámini portæ æternáles, & introíbit rex glóriæ. Secreta

DA nobis quǽſumus omnípotens Deus vt ſicut adoránda fílij tui natalítia præuenimus, ſic eius múnera capiámus ſempitérna gaudéntes. Qui tecum.

Communio. Reuelábitur glória Dómini: & vidébit omnis caro ſalutáre Dei noſtri.

Poſtcommunio.

DA nobis Dómine quǽſumus vnigéniti Fílij tui recenſíta natiuitáte reſpiráre: cuius cæléſti myſtério páſcimur, & potámur. Per eúndem.

MISSA IN NOCTE AD Sanctam Mariam maiorem.

Introitus.

DOminus dixit ad me, fílius meus es tu ego hódie génui te. Pſalmus. Quare fremuérunt gentes: & pópuli meditáti ſunt inánia. Glória in excélſis.

Collecta quæ ſola dicatur.

DEus qui hanc ſacratíſſimam noctem veri lúminis fecíſti illuſtratióne claréſcere: da quǽſumus, vt cuius lucis myſtéria in terra cognóuimus: eius quoque gáudiis in cælo perfruámur. Qui tecum viuit.

Lectio Iſaíæ Prophétæ. 9.

HÆc dicit Dóminus. Pópulus géntium qui ambulábat in ténebris: vidit lucem magnã. Habitãtibus in regióne vmbræ mortis: lux orta eſt eis. Páruulus enim natus eſt nobis: & fílius datus eſt nobis. Et factus eſt principátus ſuper húmerũ eius: & vocábitur nomẽ eius admi-

rábilis:

Digitized by Google

rabilis, consiliárius, Deus, fortis, pater futúri sǽculi: princeps pacis. Multiplicábitur eius impérium, & pacis non erit finis: ſuper ſólium Dauid & ſuper regnũ eius ſedébit: vt confirmet illud & corróboret in iudício & iuſtítia. Amodo & vſque in ſempitérnum.

Ad Titum. cap. 2.

CHariſſime. Appáruit grátia Dei ſaluatóris noſtri ómnibus homínibus erúdiens nos, vt abnegántes impietátem & ſæculária deſidéria, ſóbriè & iuſtè & piè viuámus in hoc ſǽculo: expectántes beátam ſpem, & aduéntum glóriæ magni Dei & ſaluatóris noſtri Ieſu Chriſti. Qui dedit ſemetípſum pro nobis: vt nos redímeret ab omni iniquitáte, & mundáret ſibi pópulum acceptábilem ſectatórē bonórum óperum. Hæc lóquere: & exhortáre. In Chriſto Iéſu: Dómino noſtro.

℞. Tecum princípium in die virtútis tuæ in ſplendóribus ſanctórum: ex vtero ante lucíferum génui te. ℣. Dixit Dóminus Dómino meo: ſede à dextris meis, donec ponam inimícos tuos: ſcabéllum pedum tuórum. Allelúia. ℣. Dóminus dixit ad me, Fílius meus es tu ego hódie génui te. Allelúia.

Secundum Lucam. cap. 2.

IN illo témpore. Exiit edíctum à Cǽſare Augúſto: vt deſcriberétur vniuérſus orbis. Hæc deſcríptio prima facta eſt: à præſide Sýriæ Cyríno. Et ibant omnes: vt profiteréntur ſínguli in ſuam ciuitátē. Aſcéndit autem & Ióſeph à Galilǽa de ciuitáte Názareth, in Iudǽam ciuitátem Dauid, quæ vocátur Béthleem cò quòd eſſet de domo & família Dauid: vt profiterétur cum María deſponſáta ſibi vxóre prægnánte. Factum eſt autē cum eſſent ibi: impléti ſunt dies vt páreret. Et péperit fílium ſuũ primogénitum. Et pannis eum inuóluit: & reclináuit eum in præſépio, quia non erat ei locus in diuerſório. Et paſtóres erant in regióne eádem: vigilántes & cuſtodiéntes vigílias noctis ſupra gregem ſuũ. Et ecce Angelus Dómini ſtetit iuxta illos: & cláritas Dei circunfúlſit illos. Et timuérunt timóre magno. Et dixit illis Angelus. Nolíte timére. Ecce enim euangelízo vobis gáudiũ magnum quod erit omni pópulo: quia natus eſt vobis hódie ſaluátor, qui eſt Chriſtus Dóminus, in ciuitáte Dauid. Et hoc vobis ſignum. Inueniétis infántem pannis inuolútum: & póſitum in præſépio. Et ſúbito facta eſt cum Angelo multitúdo milítiæ cæléſtis: laudántium Deum & dicéntium. Glória in Altíſſimis Deo: & in terra pax homínibus bonæ voluntátis. Credo.

Offertorium. Lætén tur cæli & exúltet terra: ante fáciem Dómini quóniam venit.

Secreta.

ACcépta tibi ſit Dómine quǽſumus hodiérnæ feſtiuitátis oblátio, vt tua grátia largiénte per hæc ſacroſáncta commércia in illius inueniámur forma, in quo tecũ eſt noſtra ſubſtántia Iéſus Chriſtus Fílius tuus Dóminus noſter. Qui tecum viuit.

Præfatio. Quia per incarnáti.

Infra actionem. Communicántes & noctē ſacratíſſimam. Quære ante Canonem.

Communio. In ſplendóribus ſanctórum: ex vtero ante lucíferum génui te.

Poſtcommunio.

DA nobis quǽſumus Dómine Deus noſter: vt qui natiuitátem Dómini noſtri Iéſu Chriſti nos frequentáre gaudémus, dignis conuerſatiónibus ad eius mereámur pertinére conſórtium. Qui tecum viuit & regnat.

IN MANE AD SANCTAM Anaſtaſiam. Introitus.

LVx fulgébit hódie ſuper nos quia natus eſt nobis Dóminus, & vocábitur admirábilis, Deus, princeps pacis, pater futúri ſǽculi, cuius regni non erit finis.

Pſalmus. Dóminus regnáuit decórem índuit: índuit Dóminus fortitúdinem & præcínxit ſe virtúte. Glória in excélſis.

Collecta. 1.

DA quǽſumus omnípotẽs Deus: vt qui noua incarnáti verbi tui luce perfúndimur, hoc in noſtro reſplendeat ópere, quod per fidem fulget in mẽte. Per eúndem.

Collecta. 2.

DA quǽſumus omnípotẽs Deus: vt qui beátæ Anaſtáſiæ mártyris tuæ ſolémnia cólimus, eius apud te patrocínia ſentiámus.

Léctio Iſaíæ Prophétæ. cap. 61. & 62.

HÆc dicit Dóminus. Spíritus Dómini ſuper me eò quòd vnxerit me, ad annuntiándũ manſuétis miſit me: vt medérer contrítis corde, & prædicárẽ captíuis indulgéntiam, & clauſis apertiónem: vt prædicárem annum placábilem Dómino, & diem vltiónis Deo noſtro: vt conſolárer omnes lugéntes, & pónerem fortitúdinem lugéntibus Sion: & darem eis corónam pro cínere, óleum gaúdij pro luctu: pállium laudis pro ſpíritu mœróris. Et vocabúntur in ea fortes iuſtítiæ: plantátio Dómini ad glorificándum. Ecce Dóminus audítum fecit in extrémis terræ. Dícite fíliæ Sion. Ecce ſaluátor tuus venit: ecce merces eius cũ eo, & opus eius coram illo. Et vocábunt eos pópulus ſanctus: redémpti à Dómino Deo noſtro.

Ad Titum cap. 3.

CHariſſime. Appáruit benígnitas & humánitas ſaluatóris noſtri Dei. Non ex opéribus iuſtítiæ quæ fécimus nos ſed ſecúndum ſuam miſericórdiam ſaluos nos fecit per lauácrum regeneratiónis & renouatiónis Spirituſſáncti, quem effúdit in nos abúndè per Ieſum Chriſtum ſaluatórem noſtrum: vt iuſtificáti grátia ipsíus hærédes ſimus ſecúndum ſpem vitæ ætérnæ. In Chriſto Ieſu: Dómino noſtro.

℞. Benedíctus qui venit in nómine Dómini: Deus Dóminus & illúxit nobis.

℣. A Dómino factum eſt iſtud, & eſt mirábile in óculis noſtris. Allelúia. ℣. Dóminus regnáuit decórem índuit, índuit Dóminus fortitúdinem & præcínxit ſe virtúte. Allelúia.

Secúndum Lucam. cap. 2.

IN illo témpore. Paſtóres loquebántur adínuicem. Tranſeámus vſque Béthleem: & videámus hoc verbum quod factum eſt, quod Dóminus oſténdit nobis. Et venérunt feſtinántes: & inuenérunt Maríam & Ióſeph, & infántem póſitum in præſépio. Vidéntes autem: cognouérunt de verbo quod dictum erat illis de púero hoc. Et omnes qui audiérunt miráti ſunt: & de his quæ dicta erant à paſtóribus ad ipſos. María autem conſeruábat ómnia verba hæc: cónferens in corde ſuo. Et reuérſi ſunt paſtóres glorificántes & laudántes Deum: in ómnibus quæ audíerant & víderant: ſicut dictum eſt ad illos. Credo.

Offertorium. Deus enim firmáuit orbem terræ qui non cõmouébitur, paráta ſedes tua Deus ex tunc à ſǽculo tu es.

Secreta.

MVnera noſtra quǽſumus Dómine natiuitátis hodiérnæ

myſtériis apta prouéniant, vt ſicut homo génitus idem refúlſit Deus, ſic nobis hæc terréna ſubſtántia cónferat quod diuínum eſt. Per eúndem.

Alia.

SVſcipe quæſumus Dómine múnera dignánter obláta, & beátæ Anaſtáſiæ ſuffragántibus méritis, ad noſtræ ſalútis auxílium prouenìre concéde.

Præfatio. Quia per incarnáti.

Infra actionem. Communicántes & diem.

Communio. Exúlta filia Sion, lauda filia Ierúſalem, ecce Rex tuus venit ſánctus, & Saluátor mundi.

Poſtcommunio.

HVius nos Dómine ſacraménti ſemper nóuitas natális inſtaúret: cuius natíuitas ſinguláris humánam répulit vetuſtátem. Per eúndem.

Alia.

SAtiáſti Dómine famíliam tuam munéribus ſacris: eius quæſumus ſemper interuentióne nos réfoue: cuius ſolémnia celebrámus.



Currite Paſtores, Paſtori occurrite Summo,
Naſcenti veſtro munera ferte Deo.

Ferte preces, offerte animas, orate malignos
Vt veniens toto pellat ab orbe lupos.

DIE NATALIS DOMINI.

STATIO AD SANCTVM PETRVM.

Introitus.

PVER natus eſt nobis, & Fílius datus eſt nobis: cuius impérium ſuper húmerũ eius, & vocábitur nomen eius magni consílij Angelus. Pſalmus. Cantáte Dómino cánticum nouum: quia mirabília fecit. Glória in excélſis Deo. Collecta.

COncéde quæſumus omnípotens Deus: vt nos Vnigéniti tui noua per carnem natíuitas líberet? quos ſub peccáti iugo vetúſta ſéruitus tenet. Per eúndem.

Léctio Iſaíæ Prophétæ. cap. 52.

HÆc dicit Dóminus. Propter hoc ſciet pópulus meus nomẽ meum in die illa: quia ego ipſe qui loquébar ecce adſum. Quàm pulchri ſuper mõtes pedes annuntiántis, & prędicántis pacem? annũtiántis bonum: prædicántis ſalútẽ? dicéntis, Sion regnábit Deus tuus. Vox ſpeculatórum tuórum: leuauérũt vocem? ſimul laudábũt: quia óculo ad óculum vidébunt, cum cõuérterit Dóminus Sion. Gaudéte, & laudáte ſimul deſérta Ierúſalem: quia conſolátus eſt Dóminus pópulum ſuum? redémit Ierúſalẽ. Paráuit Dóminus bráchium ſanctum ſuum in óculis ómnium Géntium: & vidébunt omnes fines terræ ſalutáre Dei noſtri.

Ad Hebræos. cap. 1.

FRatres. Multiphárie multíſque modis olim Deus loquẽs pátribus in Prophétis: nouíſſimè diébus iſtis locútus eſt nobis in Fílio quem conſtítuit hærédem vniuerſórum per quem fecit & ſæcula. Qui cum ſit ſplẽdor glóriæ, & figúra ſubſtántiæ eius, portánſque ómnia verbo virtútis ſuæ, purgatiónem peccatórum fáciens ſedet ad déxteram maieſtátis in excélſis: tanto mélior Angelis effléctus, quanto differéntius præ illis nomen hæreditáuit. Cui enim dixit aliquándo Angelórum Fílius meus es tu, ego hódie génui te? Et rurſum. Ego ero illi in Patrẽ: & ipſe erit mihi in Fílium. Et cum íterũ introdúxit primogénitum in orbem terræ: dicit. Et adórent cum omnes Angeli Dei. Et ad Angelos quidẽ dicit. Qui facit Angelos ſuos ſpíritus: & miníſtros ſuos flammã ignis. Ad Fílium autẽ. Thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi: virga æquitátis virga regni tui. Dilexíſti iuſtítiã, & odíſti iniquitátem: proptérea vnxit te Deus, Deus tuus óleo exultatiónis præ partícipibus tuis. Et tu in princípio Dómine terrã fundáſti: & ópera mánuum tuárum ſunt cœli. Ipſi períbunt, tu autem permanébis: & omnes vt veſtiméntum veteráſcent. Et velut amíctum mutábis eos: & mutabúntur. Tu autem idem ipſe es: & anni tui non defícient.

℟. Vidérũt omnes fines terræ ſalutáre Dei noſtri, iubiláte Deo omnis terra. ℣. Notũ fecit Dóminus ſalutáre ſuum, ante conſpéctum Géntium reueláuit iuſtítiam ſuam. Allelúia. ℣. Dies ſanctificátus illúxit nobis veníte Gentes, & adoráte Dóminum quia hódie deſcéndit lux magna ſuper terram. Allelúia.

Inítium ſancti Euangélij: ſecúndum Ioánnem. cap. 1.

IN princípio erat Verbũ. Et Verbũ erat apud Deum: & Deus erat Verbũ. Hoc erat in princípio, apud Deũ. Omnia per ipſum facta ſunt:

& ſine ipſo factum eſt nihil. Quod factum eſt in ipſo vita erat: Et vita erat lux hóminum. Et lux in ténebris lucet: & ténebræ eam nō comprehendérunt. Fuit homo miſſus à Deo: cui nomen erat Ioánnes. Hic venit in teſtimónium, vt teſtimónium perhibéret de lúmine: vt omnes créderent per illū. Non erat ille lux: ſed vt teſtimónium perhibéret de lúmine. Erat lux vera: quæ illúminat omnē hóminem veniéntem in hunc mundum. In mundo erat & mundus per ipſum factus eſt: & mūdus eum non cognóuit. In própria venit: & ſui eum non recepérunt. Quotquot autem recepérunt eum: dedit eis poteſtátem filios Dei fieri, his qui credūt in nómine eius. Qui non ex ſanguínibus, neque ex voluntáte carnis, neque ex volūtáte viri: ſed ex Deo nati ſunt. Et Verbum caro factum eſt: & habitáuit in nobis. Et vídimus glóriam eius: glóriā quaſi Vnigéniti à Patre. Plenum grátiæ: & veritátis. Credo.

Offertorium. Tui ſunt cęli & tua eſt terra: orbem terrárum, & plenitúdinem eius tu fundáſti, iuſtítia, & iudícium præparátio ſedis tuæ. Secreta

OBláta Dómine múnera, noua Vnigéniti tui natiuitáte ſanctífica: nóſque à peccatórū noſtrórum máculis emúnda. Per eúndē.

Præfatio. Quia per incarnáti.

Infra actionem. Communicántes & diē.

Communio. Vidérunt omnes fines terræ: ſalutáre Dei noſtri. Poſtcommunio.

PRæſta quæſumus omnípotens Deus: vt natus hódie Saluátor mundi, ſicut diuínæ nobis generatiónis eſt author: ita & immortalitátis ſit ipſe largítor. Qui tecum.

In quatuor feſtis ſequentibus matutinalis ſit ſupradicta Miſſa. Puer natus. &c. exceptis Epiſt. & Euāg, quæ dicātur alternatim vt in miſſis de nocte & de aurora ſcilicet Epiſtola. Appáruit grátia. Euang. Exiit edíctum. Et Epiſtola. Appáruit benígnitas. Euangeliū. Paſtóres loquebántur. Glória in excélſis. Præfatio & Communicántes. Et poſt Collectā. Concéde dicitur Coll. de feſto cum occurrentibus commemorationibus. Si tamen eſſet Dominica prima Miſſa eſſet de ipſa Dominica.

Sexta die poſt natalem Epiſt. Appáruit grátia Dei. Euangelium. Exiit edictum. Cætera vt in die natalis Domini nō tamen dicitur Credo, niſi fuerit Domi. & tunc. j. Miſſa erit ſequēs, maior vérò vt hic notatur.

DOMINICA PRIMA
poſt natalem Domini.
Statio ad S. Mariam.

Introitus.

DVm médium ſiléntiū tenérent ómnia, & nox in ſuo curſu médiū iter habéret: Omnípotens Sermo tuus Dómine de cælis, à regálibus ſédibus venit. Pſalmus. Dóminus regnáuit decórem índuit: índuit Dóminus fortitúdinem, & præcínxit ſe virtúte. Collecta.

OMnípotens ſempitérne Deus dírige actus noſtros in beneplácito tuo: vt in nómine dilécti Fílij tui mereámur bonis opéribus abūdáre. Per eúndē. Ad Gálatas. c. 4.

FRatres. Quanto témpore hęres páruulus eſt, nihil differt à ſeruo cum ſit Dóminus ómnium: ſed ſub tutóribus, & actóribus eſt, vſq; ad præfinítum tempus à Patre. Ita & nos cum eſſémus páruuli: ſub eleméntis mūdi erámus ſeruiéntes. At vbi venit plenitúdo témporis: miſit Deus Fílium ſuum factum ex mulíere, factū ſub lege: vt eos qui ſub lege erant redímeret: vt adoptiónem filiórū reciperémus. Quóniam autē eſtis filij: miſit Deus Spíritum Fílij ſui in corda veſtra, clamántem

Abbà Pater. Itaque iam non eſt ſeruus: ſed filius. Quod ſi filius:& hæres per Deum.

℟. Speciόſus forma præ filiis hóminum: diffúſa eſt grátia in lábiis tuis. ℣. Eructáuit cor meum verbum bonum:dico ego ópera mea regi, lingua mea cálamus ſcribæ velóciter ſcribéntis. Allelúia. ℣. Dóminus regnáuit decórem índuit, índuit Dóminus fortitúdinem:& præcinxit ſe virtúte Allel.

Secúndum Lucam. cap. 2.

IN illo témpore. Erat Ióſeph & María mater Ieſu mirántes:ſuper his quæ dicebántur de illo. Et benedíxit illis Símeon: & dixit ad Maríam matrem eius. Ecce póſitus eſt hic in ruínam & reſurrectiónem multórum in Iſráël: & in ſignum cui contradicétur. Et tuam ipsíus ánimam pertranſíbit gládius: vt reueléntur ex multis córdibus cógitatiónes. Et erat Anna Propheṫiſſa filia Phánuel: de tribu Aſer. Hæc proceſſerat in diébus multis: & víxerat cum viro ſuo annis ſeptem à virginitáte ſua. Et hæc vídua erat vſque ad annos octoginta quátuor: quæ non diſcedébat de templo, ieiúniis,& obſecratiónibus ſéruiens nocte, ac die. Et hæc ipſa hora ſuperuéniens confitebátur Dómino: & loquebátur de illo ómnibus qui expectábāt redemptiónem Ieruſalem. Et vt perfecérunt ómnia ſecúndum legem Dómini: reuérſi ſunt in Galilǽam, in ciuitátē ſuam Názareth. Puer autem creſcébat & confortabátur: plenus ſapiéntia. Et grátia Dei: erat in illo. Credo.

Offertorium. Deus enim firmáuit orbem terræ qui non commouébitur, paráta ſedes tua Deus ex tunc, à ſæculo tu es. Secreta.

COncéde quæſumus Dómine, vt óculis tuæ maieſtátis munus oblátum: & grátiam nobis deuotiónis obtíneat, & effectum beátæ perennitátis acquírat. Per Dóminum.

Ad hanc Miſſam non dicitur Præfatio, nec Communicántes, de Natiuitate.

Communio. Tolle púerum & matrem eius & vade in terram Iúda, defúncti ſunt enim qui quærébant ánimam púeri.

Poſtcommunio.

PEr huius Dómine operatiónem myſtérij, & vítia noſtra purgéntur: & iuſta deſidéria compleántur. Per Dóminum noſtrum.

IN CIRCVNCISIONE Domini.

Ad ſanctam Mariam ad martyres.

Introitus.

PVer natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis: cuius impérium ſuper húmerum eius, & vocábitur nomen eius magni consilij Angelus. Pſalmus. Cantáte Dómino cánticum nouum: quia mirabília fecit. Glória in excélſis Deo. Collecta.

DEus qui ſalútis ætérnæ beátæ Maríæ virginitáte fœcūda humáno géneri prǽmia præſtitiſti: tríbue quæſumus: vt ipſam pro nobis intercédere ſentiámus: per quam merúimus authórem vitę ſuſcípere Dóminum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum: Qui tecum.

Ad Titum. cap. 3.

CHariſſime. Appáruit benígnitas & humánitas Saluatóris noſtri Dei. Non ex opéribus iuſtítiæ quæ fécimus nos, ſed ſecúndum ſuam miſericórdiam ſaluos nos fecit, per lauácrum regeneratiónis, & renouatiónis Spíritus Sancti, quem effúdit in nos abúndè per Ieſum Chriſtum Saluatórem noſtrum: vt iuſtificáti grátia ipsíus, hærédes ſimus ſecúndum ſpem vitæ ætérnę. In Chriſto Ieſu: Dómino noſtro.

℟. Vidérunt omnes fines terræ ſalutáre Dei noſtri, iubiláte Deo omnis terra.

Google

℣. Notum fecit Dóminus ſalutáre ſuum ante conſpéctum Géntium reueláuit iuſtítiam ſuam, Allelúia. ℣. Dies ſanctificátus illúxit nobis, veníte Gentes & adoráte Dóminum: quia hódie deſcéndit lux magna ſuper terram, Allelúia.

Secúndum Lucam. cap. 2.

IN illo témpore. Poſtquàm conſummáti ſunt dies octo vt circũcideréturpuer: vocátum eſt nomen eius Iéſus. Quod vocátum eſt ab Angelo: priúſquam in vtero conciperétur. Credo·

Offertorium. Tui ſunt cæli & tua eſt terra: orbem terrárum & plenitúdinem eius tu fundáſti, iuſtítia & iudícium præparátio ſedis tuæ. Secreta.

MVnéribus noſtris quæſumus Dómine precibúſque ſuſcéptis, & cæléſtibus nos munda myſtériis, & cleménter exáudi. Per.

Præfatio. Quia per incarnáti verbi.

Communicántes. de Natiu.

Communio. Vidérunt omnes fines terræ ſalutáre Dei noſtri. Poſtcommunio.

HÆc nos commúnio Dómine purget à crímine ? & cæléſtis remédij fáciat eſſe cõſórtes. Per.

In Dominica occurrente inter Circunciſionem & Epiphaniam Euangeliũ. Paſtóres loquebántur. Cætera ſicut in die Circũciſionis, tunc tamen præfatione Natiuitatis, & cõmemoratione de Domini. Collecta Deus qui ſalútis. quatuor diebus ſequentibus repetatur ad Miſſam pro commemorat. Natalis cum viſitatis Collectis excepta Dominica tunc enim hæ omittuntur, & in diœceſi Pariſien. in die S Genoueſæ.

IN VIGILIA EPIPHANIÆ

Introitus, &c. vt in Miſſa præced. præter Coll. & Euangel. ſequen. (ſi ipſa vigil Dominica euenerit prima Miſſa erit de Dominica, vt ſup. notatur, maior vero de vigil.) Collecta

COrda noſtra quæſumus Dómine ventúræ feſtiuitátis ſplẽdor illúſtret: quo mũdi huius ténebris carére valeámus ? & perueniámus ad pátriã claritátis ætérnę. Per.

Secúndum Matthæum. cap. 2.

IN illo témpore. Defúncto Heródè: ecce Angelus Dómini appáruit in ſomnis Ióſeph in Ægýpto, dicẽs. Surge & áccipe púerum & matrem eius: & vade in terram Iſráel. Defúncti ſunt enim: qui quęrébant ánimam púeri. Qui conſúrgens accépit púerum & matrẽ eius: & venit in terram Iſráel. Aúdiens autem quod Archeláus regnáret in Iudǽa pro Heróde patre ſuo: tímuit illò ire. Et admónitus in ſomnis: ſeceſſit in partes Galilǽæ. Et véniens habitáuit in ciuitáte quæ vocátur Názareth: vt adimplerétur quod dictũ eſt per Prophétas: quóniam Nazaræus vocábitur.

Secreta.

TRíbue quæſumus Dómine, vt cum præſéntibus immolémus ſacrificiis & ſumámus quod ventúræ ſolemnitátis pia múnera præloqúuntur Dóminũ noſtrum Iéſum Chriſtũ Filium tuum: Qui tecum.

Poſtcommunio·

ILlúmina quæſumus Dómine pópulum tuum ? & ſplendóre glóriæ tuæ cor eius ſemper accénde: vt ſaluatórem ſuum & inceſſánter agnóſcat ? & veráciter apprehéndat Dóminum noſtrum Iéſum Chriſtum Filium tuum: Qui tecum.

IN DIE EPIPHANIÆ.

Statio ad S. Petrum.

Introitus.

ECce aduénit Dominátor Dóminus: & regnũ in manu ei⁹, & potéſtas, & impérium.

Pſalmus. Deus iudícium tuũ Regi da: & iuſtítiam tuam Fílio Regis. Glória in excélſis. Collecta.

Deus

DEus qui hodiérna die Vnigénitum tuum Géntibus ſtella duce reueláſti: concéde propítius: vt qui iam te ex fide cognóuimus: vſque ad contemplándam ſpéciem tuæ celſitúdinis perducámur. Per eúndem.

Lectio Iſaíæ Prophétæ cap. 60.

SVrge illumináre Ierúſalem quia venit lumē tuum: & glória Dómini ſuper te orta eſt. Quia ecce ténebræ opériēt terram: & calígo pópulos. Super te autem oriétur Dóminus: & glória eius in te vidébitur. Et ambulábunt Gentes in lúmine tuo: & reges in ſplendóre ortus tui. Leua in circúitu óculos tuos, & vide: omnes iſti congregáti ſunt venérunt tibi. Fílij tui délonge vénient: & fíliæ tuæ delátere ſurgent. Tunc vidébis & áfflues, & mirábitur, & dilatábitur cor tuum: quando conuérſa fúerit ad te multitúdo maris fortitúdo Géntiū vénerit tibi. Inundátio camelórum opériet te: dromedárij Mádian & Epha. Omnes de Saba vénient aurū & thus deferētes: & laudem Dómino: annuntiántes.

℟. **Omnes de Saba vēient aurum & thus deferéntes: & laudē Dómino annūtiántes.** ℣. **Surge & illumináre Ierúſalē: quia glória Dómini ſuper te orta eſt. Allelúia.** ℣. **Vídimus ſtellam eius in oriénte: & vénimus cum munéribus adoráre eum Allelúia.**

Secúndum Matthæum. cap. 2.

CVm natus eſſet Iéſus in Béthleem Iúdæ in diébus Heródis Regis: ecce Magi ab Oriénte venérunt Ieroſólymam dicéntes. Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæórum? Vídimus enim ſtellam eius in Oriénte: & vénimus adoráre eum. Aúdiens autem Heródes Rex turbátus eſt: & omnis Ieroſólyma cum illo. Et cóngregans omnes príncipes Sacerdótum & Scribas pópuli: ſciſcitabátur ab eis, vbi Chriſtus naſcerétur. At illi dixérunt ei. In Béthleem Iúdę. Sic enim ſcriptum eſt per Prophétam. Et tu Béthleem terra Iúda: nequáquam mínima es in princípibus Iúda. Ex te enim éxiet Dux: qui reget pópulum meum Iſráël. Tunc Heródes clam vocátis Magis: diligénter dídicit ab eis tempus ſtellæ quæ appáruit eis. Et mittens illos in Béthleem: dixit. Ite: & interrogáte diligénter de púero. Et cum inuenéritis renuntiáte mihi: vt & ego véniens: adórem eum. Qui cum audíſſent Regem: abiérunt. Et ecce ſtella quam víderant in Oriénte, antecedébat eos: vſq; dum véniens ſtaret ſupra vbi erat puer. Vidéntes autem ſtellam: gauíſi ſunt gaúdio magno valde. Et intrántes domum: inuenérunt púerum cum María matre eius. Et procidéntes: adoraué runt eum. Et apértis theſaúris ſuis: obtulérunt ei múnera. Aurū: thus, & myrrham. Et reſpónſo accépto in ſomnis ne redírent ad Heródem: per áliam viam: reuérſi ſunt in regiónem ſuam. Credo.

Offertorium. **Reges Tharſis & Inſulæ múnera ófferent, Reges Arabum & Saba dona addúcent: & adorábunt eum omnes Reges terræ, omnes Gentes ſéruient ei.** Secreta.

ECcléſiæ tuæ quæſumus Dómine dona propítius intuére, quibus non iam aurum, thus, & myrrha profértur ſed quod iiſdem munéribus declarátur, immolátur & ſúmitur Iéſus Chriſtus Fílius tuus Dóminus noſter: Qui tecum.

Præfatio. **Quia cum vnigénitus tuus.** **Communicántes & diem ſacratíſſimum celebrántes quo Vnigénitus.** &c. quæ ſemper dicuntur ad Miſſam de Epiph.

Communio. **Vídimus ſtellā eius in Oriénte, & vénimus cum munéribus adoráre eum.**

Poſtcommunio.

PRæſta quæſumus omnípotens Deus: vt quæ ſolémni celebrámus offício: purificátæ mentis intelligéntia conſequámur. Per.

DOMINICA PRIMA poſt Epiphaniam.

Statio ad ſanctam Mariam.

Introitus.

IN excélſo throno vidi ſedére virum, quem adórat multitúdo Angelórum pſalléntes in vnum: ecce cuius impérium pérmanet in ætérnum.

Pſalmus. Iubiláte Deo omnis terra: ſeruíte Dómino in lætítia. Collecta.

VOta quǽſumus Dómine ſupplicántis pópuli cæléſti pietáte proſéquere: vt & quæ agénda ſunt vídeant, & ad impléndá quæ víderint conualéſcant. Per.

Ad Romános. cap. 12.

FRatres. Obſécro vos per miſericórdiam Dei vt exhibeátis córpora veſtra hóſtiam viuéntem, ſanctam, Deo placéntem: rationábile obſéquium veſtrum. Et nolíte cōformári huic ſǽculo: ſed reformámini in nouitáte ſenſus veſtri, vt probétis quæ ſit volúntas Dei bona, & beneplácens & perfécta. Dico enim per grátiam quæ data eſt mihi, ómnibus qui ſunt inter vos, non plus ſápere quàm opórtet ſápere: ſed ſápere ad ſobrietátem. Et vnicuíque: ſicut Deus diuíſit menſúram fídei. Sicut enim in vno córpore multa mēbra habémus, ómnia autem membra non eúndem actum habent: ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto. Sínguli autem: alter altérius membra.

℟. Benedíctus Dóminus Deus Iſráel: qui facit mirabília magna ſolus à ſǽculo.

℣. Suſcípiant montes pacem pópulo tuo & colles iuſtítiam. Allelúia. ℣. Iubiláte Deo omnis terra, ſeruíte Dómino in lætítia. Allelúia.

Secundum Lucam. cap. 2.

IN illo témpore. Cum factus eſſet Ieſus annórum duódecim: aſcēdéntibus paréntibus eius in Ieroſólymam ſecúndum cōſuetúdinem diéi feſti, conſummatíſque diébus cum redírent, remánſit puer Ieſus in Ierúſalem, & non cognouérunt paréntes eius. Exiſtimántes autem illum eſſe in comitátu, venérunt iter diéi: & requirébant eū inter cognátos & notos. Et non inueniéntes: regréſſi ſunt in Ierúſalem, requiréntes eū. Et factum eſt poſt tríduum: inuenérunt illum in templo ſedéntem in médio doctórum, audiéntem illos & interrogántem. Stupébant autem omnes qui eum audiébant: ſuper prudéntia & reſpónſis eius. Et vidéntes: admiráti ſunt. Et dixit mater eius ad illū. Fili: quid fecíſti nobis ſic? Ecce pater tuus, & ego doléntes: quærebámus te. Et ait ad illos. Quid eſt quod me quærebátis? Neſciebátis quia in his quæ Patris mei ſunt opórtet me eſſe? Et ipſi non intellexérunt verbū: quod locútus eſt ad illos. Et deſcéndit cum eis & venit Názareth: & erat ſúbditus illis. Et mater eius conſeruábat ómnia verba hæc: in corde ſuo. Et Ieſus proficiébat ſapiéntia, & ætáte, & grátia: apud Deum & hómines.

Offertorium. Iubiláte Deo omnis terra ſeruíte Dómino in lætítia: intráte in conſpéctu eius in exultatióne, quia Dóminus ipſe eſt Deus. Secreta.

OBlátum tibi Dómine ſacrifícium viuíficet nos ſemper & múniat. Per Dóminum.

Communio. Fili quid fecíſti nobis ſic? ego, & pater tuus doléntes quærebámus te, & quid eſt quod me quærebátis, neſciebátis: quia in his quæ Patris mei ſunt, opórtet me eſſe? Poſtcommunio.

SVpplices te rogámus omnipotēs Deus: vt quos tuis réficis ſacra-

craméntis: tibi étiam plácitis móribus dignánter deſeruíre concédas. Per Dóminum.

IN OCTAVA EPIPHANIÆ.

Introitus, &c. omnia ſicut in die. præter ſequens Euangelium.

Secúndum Ioánnem. cap. 1.

IN illo témpore. Vidit Ioánnes Iéſum veniéntem ad ſe: & ait. Ecce Agnus Dei: qui tollit peccátum mundi. Hic eſt de quo dixi. Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt: quia prior me erat. Et ego neſciébam eum. Sed vt manifeſtétur in Iſráel: proptérea veni ego in aqua baptízans. Et teſtimónium perhíbuit Ioánnes, dicens quia vidi Spíritum deſcendéntem quaſi colúmbam de cælo, & manſit ſuper eum: & ego neſciébam eum. Sed qui miſit me baptizáre in aqua: ille mihi dixit. Super quem víderis Spíritum deſcendéntem, & manéntem ſuper eum: hic eſt qui baptízat in Spíritu Sãcto. Et ego vidi, & teſtimónium perhíbui: quia hic eſt Fílius Dei.

DOMINICA SECVNDA poſt Epiphaniam.

Introitus.

OMnis terra adóret te Deus, & pſallat tibi; pſalmũ dicat nómini tuo Altíſſime. Pſalmus. Iubiláte Deo omnis terra: pſalmum dícite nómini eius, date glóriam laudi eius. Collecta

OMnipotens ſempitérne Deus, qui cæléſtia ſimul & terréna moderáris: ſupplicatiónes pópuli tui cleménter exáudi: & pacem tuam noſtris concéde tempóribus. Per.

Ad Romanos. cap. 12.

FRatres. Habéntes donatiónes ſecúndum grátiam, quę data eſt nobis differéntes: ſiue Prophétiam ſecúndum ratiónem fidei: ſiue miniſtérium in miniſtrándo: ſiue qui docet in doctrína. Qui exhortátur: in exhortándo. Qui tribuit: in ſimplicitáte. Qui præeſt: in ſolicitúdine. Qui miſerétur: in hilaritáte. Diléctio: ſine ſimulatióne. Odiéntes malum: adhæréntes bono. Charitátem fraternitátis: ínuicem diligéntes. Honóre ínuicem præueniéntes. Solicitúdine non pigri. Spíritu feruéntes: Dómino ſeruiéntes. Spe gaudéntes: in tribulatióne patiéntes. Oratióni inſtántes: neceſſitátibus ſanctórum communicántes. Hoſpitalitátem ſectántes. Benedícite preſequéntibus vos: benedícite & nolite maledícere. Gaudére cum gaudéntibus: flere cum fléntibus. Idípſum ínuicem ſentiéntes. Non alta ſapiéntes: ſed humílibus conſentiéntes.

℟. Miſit Dóminus verbum ſuum, & ſanáuit eos, & erípuit eos de intéritu eórum.
℣. Confiteántur Dómino miſericórdię eius, & mirabília eius fíliis hóminum.
Allelúia. ℣. Laudáte Deum omnes Angeli eius, laudáte eum omnes virtútes eius. Alle.

Secúndum Ioánnem. cap. 2.

IN illo témpore. Núptię factę ſunt in Chanà Galilææ: & erat mater Iéſu ibi. Vocátus eſt autem Iéſus, & diſcípuli eius ad núptias. Et deficiẽte vino: dicit mater Iéſu ad eum. Vinum non habent. Et dicit ei Iéſus. Quid mihi, & tibi eſt múlier? Nondũ venit hora mea. Dicit mater eius miníſtris. Quodcúnque díxerit vobis: fácite. Erant autem ibi lapídeæ hýdriæ ſex pósitæ ſecúndum purificatiónem Iudæórum: capiéntes ſíngulæ metrétas binas, vel ternas. Dicit eis Iéſus. Impléte hýdrias aqua. Et impleuérunt eas: vſque ad ſummum Et dicit eis Iéſus. Hauríte nunc: & ferte Architriclíno. Et tulérunt. Vt autem guſtáuit Architri-

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

clínus aqua vinum factum, & non ſciébat vnde eſſet? miniſtri autem ſciébant qui hauſerant aquam: vocat ſponſum Architriclínus, & dicit ei. Omnis homo primum bonum vinum ponit: & cum inebriáti fúerint, tunc id quod detérius eſt. Tu autem: ſeruáſti bonum vinum vſque adhuc. Hoc fecit inítiũ ſignórum Iéſus in Chanà Galilǽæ: & maniſeſtáuit glóriam ſuam. Et crediderunt in eum: diſcípuli eius.

Offertorium. Iubiláte Deo vniuérſa terra, pſalmum dícite nómini eius, veníte, & audíte, & narrábo vobis, omnes qui timétis Deum quanta fecit Dóminus ánimæ meæ, Allelúia. Secreta

OBláta Dómine múnera ſanctífica: nóſque à peccatórum noſtrórum máculis emúnda. Per Dó.

Communio. Dicit Dóminus, impléte hýdrias aqua, & ferte Architriclíno, dum guſtáſſet Architriclínus aqua vinum factum, dicit ſponſo, ſeruáſti vinum bonum vſque adhuc: hoc ſignum fecit Iéſus primum coram diſcípulis ſuis.

Poſtcommunio.

AVgeátur in nobis Dómine quǽſumus tuæ virtútis operátio: vt diuínis vegetáti ſacraméntis? ad eórum promíſſa capiénda tuo múnere præparémur. Per Dóminũ.

DOMINICA TERTIA.

Introitus. &c. vt in Miſſa præcedenti prę ter ea quæ ſequuntur. Collecta.

OMnípotens ſempitérne Deus infirmitátem noſtram propítius réſpice? atque ad protegéndum nos déxteram tuæ maieſtátis exténde. Per Dóminum.

Ad Romános. cap. 12.

FRatres. Nolíte eſſe prudéntes apud voſmetípſos: nulli malum pro malo reddéntes, prouidéntes bona non tantum coram Deo, ſed étiam coram ómnibus homínibus. Si fieri poteſt quod ex vobis eſt: cũ ómnibus homínibus pacem habéntes. Non voſmetípſos defendéntes chariſſimi: ſed date locum iræ. Scriptum eſt enim. Mihi vindícta: & ego retríbuã dicit Dóminus. Sed ſi eſuríerit inimícus tuus: ciba illum. Si ſitit: potum da illi. Hoc enim fáciens: carbónes ignis cóngeres ſuper caput eius. Noli vinci à malo: ſed vince in bono malum.

Secúndum Matthǽum cap. 8.

IN illo témpore. Cum deſcendíſſet Iéſus de monte: ſecútæ ſunt eum turbæ multæ. Et ecce lepróſus véniens: adorábat eum, dicens. Dómine: ſi vis, potes me mundáre. Et exténdens manum: tétigit eum Iéſus, dicens. Volo. Mundáre. Et conféſtim mundáta eſt lepra eius. Et ait illi Iéſus. Vide némini dixeris? ſed vade oſténde te ſacerdóti: & offer munus quod præcépit Móyſes in teſtimóniũ illis. Cum autem introíſſet Caphárnaum: accéſſit ad eum Centúrio rogans eum, & dicens. Dómine: puer meus iacet in domo paralýticus: & malè torquétur. Et ait illi Iéſus. Ego véniam: & curábo eum. Et reſpóndens Centúrio: ait. Dómine: non ſum dignus vt intres ſub tectum meum: ſed tantum dic verbo & ſanábitur puer meus. Nam & ego homo ſum ſub poteſtáte: habens ſub me mílites. Et dico huic vade: & vadit. Et álio veni: & venit. Et ſeruo meo fac hoc: & facit. Aúdiens autem Iéſus mirátus eſt: & ſequéntibus ſe dixit. Amen dico vobis: non inuéni tantam fidem in Iſráel. Dico autẽ vobis: quod multi ab oriénte, & occidénte vénient, & recúmbent cum Abráham & Iſaac, & Iacob in regno cœlórum. Filij autem regni: eiiciéntur in ténebras exterióres. Ibi erit fletus: & ſtridor déntium. Et dixit Iéſus Centurióni. Vade: & ſicut credidíſti, fiat tibi. Et ſanátus eſt puer: in illa hora.

Secreta.

Secreta.

HÆc hóſtia Dómine quǽſumus emúndet noſtra delícta, & ſacrificium celebrándũ ſubditórum tibi córpora mentéſque ſanctíficet. Per Dóminum.

Poſtcommunio.

QVos tantis Dómine largíris vti myſtériis; quǽſumus vt efféctibus eórum veráciter aptáre dignéris. Per Dóminum.

DOMINICA QVARTA

Introitus.

ADORATE Deum omnes Angeli eius, audiuit, & lætáta eſt Sion: & exultauérũt filiæ Iúdæ. Pſalmus. **Dóminus regnáuit exúltet terra: lætétur ínſulæ multæ.**

Collecta.

DEus qui nos in tantis perículis conſtitútos pro humána ſcis fragilittáe, non poſſe ſubsíſtere; da nobis ſalútem mentis & córporis: vt ea quæ pro peccátis noſtris pátimur; te adiuuánte vincámus. Per.

Ad Romános. cap. 13.

FRatres. Némini quicquam de beátis: niſi vt ínuicem diligátis. Qui enim díligit próximum: legem impléuit. Nam non adulterábis, non occídes, non furáberis, non falſum teſtimónium dices, non concupíſces; & ſi quod eſt áliud mandátum: in hoc verbo inſtaurátur. Díliges próximum tuum: ſicut teípſum. Diléctio próximi: malum non operátur. Plenitúdo ergo legis: eſt diléctio.

℟. **Timébunt Gentes nomen tuum Dómine: & omnes Reges terræ glóriam tuam.**

℣. **Quóniam ædificáuit Dóminus Sion, & vidébitur in maieſtáte ſua.**

Allelúia. ℣. Dóminus regnáuit exúltet terra: lætétur ínſulæ multæ. Allelúia.

Secundum Matthǽum. cap. 8.

IN illo témpore. Aſcendénte Iéſu in nauículam: ſecúti ſunt eum diſcípuli eius. Et ecce motus magnus factus eſt in mari: ita vt nauícula operirétur flúctibus. Ipſe verò dormiébat. Et acceſſérunt: & ſuſcitauérunt eum, dicéntes. Dómine: ſalua nos: perímus. Et dicit eis. Quid tímidi eſtis módicæ fidei? Tunc ſurgens imperáuit ventis & mari: & facta eſt tranquíllitas magna. Porro: hómines miráti ſunt, dicéntes. Qualis eſt hic? Quia venti & mare: obédiunt ei.

Offertorium. **Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltáuit me: non móriar: ſed viuam, & narrábo ópera Dómini.**

Secreta.

COncéde quǽſumus omnípotens Deus: vt huius ſacrificij munus oblátum fragilitátem noſtram ab omni malo purget ſemper & múniat. Per Dóminum.

Communio. **Mirabántur omnes de his, quę procedébant de ore Dei.**

Poſtcommunio.

MVnera tua nos Deus à delectatiónibus terrénis expédiant; & cœléſtibus ſemper ínſtruant aliméntis. Per Dóminum.

DOMINICA QVINTA.

Introitus, **A doráte Deum.** &c. vt in præcedenti Dominica, præter ea quæ ſequuntur.

Collecta.

FAmíliam tuam quǽſumus Dómine contínua pietáte cuſtódi: vt quæ in ſola ſpe grátiæ cœléſtis inníititur; tua ſemper protectióne muniátur. Per Dóminum.

Ad Coloſſénſes. cap. 3.

FRatres. Indúite vos ſicut eléćti Dei, ſãcti, & diléćti víſcera miſericórdiæ, benignitátem, humilitátem, modéſtiam, patiéntiam, ſupportántes ínuicem, & donántes vobiſmetípſis: ſi quis aduérſus áliquẽ habet querélam. Sicut Dóminus

donáuit vobis: ita & vos. Super ómnia autem hæc charitátẽ habéntes: quod eſt vínculum perfectiónis. Et pax Chriſti exúltet in córdibus veſtris * in qua & vocáti eſtis in vno córpore: & grati eſtóte. Verbum Chriſti hábitet in vobis abundánter: in omni ſapiéntia docéntes, & commonéntes voſmetipſos, pſalmis, hymnis, & cánticis ſpirituálibus, in grátia cantántes in córdibus veſtris Deo. In Chriſto Ieſu: Dómino noſtro.

Secúndum Matthǽum. cap. 13.

IN illo témpore. Dixit Ieſus diſcípulis ſuis parábolam hanc. Símile eſt regnum cœlórum hómini: qui ſemináuit bonum ſemen in agro ſuo. Cum autem dormírent hómines: venit inimícus eius, & ſuperſemináuit zizanía in médio trítici, & ábiit. Cum autem creuiſſet herba, & fructum feciſſet: tunc apparuérunt & zizanía. Accedéntes autem ſerui patrisfamílias: dixérũt ei. Dómine: nonne bonum ſemen ſemináſti in agro tuo? Vnde ergo habet zizanía? Et ait illis. Inimícus homo hoc fecit. Serui autem: dixérunt ei. Vis imus, & collígimus ea? Et ait illis. Non. Nè fortè colligéntes zizanía: eradicétis ſimul cum eis & tríticũ. Sínite vtraque créſcere vſque ad meſſem: & in témpore meſſis dicam meſſóribus. Collígite primùm zizanía: & alligáte ea in faſcículos ad comburéndũ. Tríticum autem: congregáte in hórreum meum.

Secreta.

HOſtias tibi Dómine placatiónis offérimus: vt & delícta noſtra miſerátus abſóluas, & nutántia corda tu dírigas. Per Dóminum.

Poſt communio.

QVǽſumus omnípotens Deus: vt illíus ſalutáris capiámus effectum * cuius per hæc myſtéria pignus accépimus. Per Dóminum.

DOMINICA IN LXX.

Statio ad S. Laurentium extra muros.

Introitus.

CIrcundedérunt me gémitꝰ mortis, dolóres inférni circundedérunt me: & in tribulatióne mea inuocáui Dóminum, & exaudíuit de templo ſancto ſuo vocem meam.

Pſalmus. Díligam te Dómine virtus mea: Dóminus firmaméntum meũ, & refúgium meum, & liberátor meus. Glória Patri.

Hic nõ dicitur Glória in excélſis. vſque ad vigiliam Paſchæ. Collecta.

PReces pópuli tui quǽſumꝰ Dómine cleménter exáudi: vt qui iuſtè pro peccátis noſtris afflígimur * pro tui nóminis glória miſericórditer liberémur. Per Dóminũ.

Ad Corínthios. 1. cap. 9. & 10.

FRatres. Neſcítis quod hi qui in ſtádio currũt, omnes quidẽ currunt, ſed vnus áccipit bráuium? Sic cúrrite: vt comprehendátis. Omnis enim qui in agóne cõténdit: ab omnibus ſe ábſtinet. Et illi quidem, vt corruptíbilem corónam accípiãt: nos autem incorrúptam. Ego ígitur ſic curro: non quaſi in incértũ. Sic pugno, non quaſi áërem vérberans: ſed caſtígo corpus meum, & in ſeruitútem rédigo, ne fortè cum áliis prædicáuerim, ipſe réprobus efficiar. Nolo enim vos ignoráre fratres: quóniam patres noſtri omnes ſub nube fuérunt, & omnes mare tranſiérũt, & omnes in Móyſe baptizáti ſunt, in nube, & in mari. Et omnes eándem eſcam ſpiritálem manducauérunt: & omnes eúndem potum ſpiritálem bibérunt. Bibébant autem de ſpiritáli: cõſequénti eos petra. Petra autem: erat Chriſtus.

℟. Adiútor in opportunitatibus in tribulatióne, ſperent in te qui nouérunt te: quóniam non derelínquis quæréntes te, Dómine. ℣. Quóniam non in finem oblíuio erit paúperis, patiéntia paúperum non períbit in ætérnum: exúrge Dómine, non præuáleat homo. Tractus.

DE profúndis clamáui ad te Dómine: Dómine exaúdi vocem meam.

℣. Fiant aures tuæ intendéntes: in oratiónẽ ſerui tui. ℣. Si iniquitátes obſeruáueris Dómine: Dómine quis ſuſtinébit.

℣. Quia apud te propitiátio eſt, & propter legem tuam ſuſtinui te, Dómine.

Secúndum Matthǽum. cap. 20.

IN illo témpore. Dixit Iéſus diſcípulis ſuis parábolam hãc. Símile eſt regnum cælórum hómini patrifamílias: qui éxiit primo mane condúcere operários in víneam ſuam. Conuentióne autem facta cũ operáriis ex denário diúrno: miſit eos in víneam ſuam. Et egréſſus circa horam tértiam: vidit álios ſtantes in foro otióſos, & dixit illis. Ite, & vos in víneam: & quod iuſtum fúerit dabo vobis. Illi autem abiérunt. Iterum autem éxiit circa ſextam & nonam horã: & fecit ſimiliter. Circa vndécimam verò éxiit: & inuénit álios ſtantes, & dicit illis. Quid hic ſtatis tota die otióſi? Dicũt ei. Quia nemo nos condúxit. Dicit illis. Ite, & vos in víneam. Cum ſero autem factum eſſet: dicit Dóminus víneæ, procuratóri ſuo. Voca operários, & redde illis mercédem: incípiens à nouíſſimis vſque ad primos. Cùm veniſſent ergo qui circa vndécimã horam vénerant: accepérunt ſíngulos denários. Veniéntes autẽ & primi arbitráti ſunt, quòd plus eſſent acceptúri. Accepérunt autem & ipſi ſíngulos denários. Et accipiéntes: murmurábãt aduérſus patremfamílias, dicéntes. Hi nouíſſimi vna hora fecérunt: & pares illos nobis feciſti, qui portáuimus pondus diéi & æſtus? At ille reſpóndẽs: vni eórum dixit. Amíce: non fácio tibi iniúriam. Nonne ex denário conueníſti mecum? Tolle quod tuum eſt: & vade. Volo autem & huic nouíſſimo dare: ſicut & tibi. Aut non licet mihi, quod volo fácere? An óculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? Sic erunt nouíſſimi primi: & primi nouíſſimi. Multi enim ſunt vocáti: pauci verò elécti.

Offertoriũ. Bonum eſt confitéri Dómino: & pſállere nómini tuo, Altíſſime. Secreta

MVnéribus noſtris, quǽſumus Dómine, precibúſque ſuſcéptis & cæléſtibus nos mũda myſtériis: & cleménter exáudi. Per Dómi.

Communio. Illúmina fáciem tuã ſuper ſeruum tuum, & ſaluum me fac in tua miſericórdia, Dómine: non confúndar, quóniam inuocáui te. Poſtcommunio.

FIdéles tui, Deus, per tua dona firméntur: vt éadem & percipiéndo requírãt? & quæréndo ſine fine percípiant. Per Dóminum.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

Statio ad S. Paulum.

Introitus.

EXVRGE quare obdórmis Dómine, exúrge, & ne repéllas in finem: quare fáciem tuã auértis, obliuíſceris tribulatiónem noſtram: adhǽſit in terra venter noſter, exúrge Dómine, ádiuua nos, & libera nos.

Pſalmus. Deus aúribus noſtris audíuimus: patres noſtri annuntiauérunt nobis.

Collecta.

DEus qui cónſpicis quia ex nulla noſtra actióne cõfídimus? concéde propítius, vt cõtra aduérſa ómnia Doctóris Géntiũ protectióne muniámur. Per Dóminum.

Ad Corínthios. 2. cap. 11.

FRatres. Libénter ſuffértis inſipiéntes: cum ſitis ipſi ſapiéntes. Suſtinétis enim, ſi quis vos in ſeruitútẽ rédigit: ſi quis déuorat, ſi quis áccipit, ſi quis extóllitur, ſi quis in fáciẽ vos cædit. Secúndum ignobilitátem dico: quaſi nos infirmi fuérimus in hac parte. In quo quis audet (in inſipiẽtia dico) aúdeo & ego. Hebræi ſunt: & ego. Iſraelítæ ſunt: & ego. Semen Abráhæ ſunt: & ego. Miniſtri Chriſti ſũt: & ego. (Vt minus ſápiens dico:) plus ego. In labóribus plúrimis, in carcéribus abundántius: in plagis ſuprà modum, in mórtibus frequẽter. A Iudǽis quínquies quadragénas (vna minus) accépi. Ter virgis cæſus ſum: ſemel lapidátus ſum, ter naufrágiũ feci. Nocte & die: in profúndum maris fui. In itinéribus ſæpe: perículis flúminum, perículis latrónum, perículis ex génere, perículis ex Géntibus, perículis in ciuitáte, perículis in ſolitúdine, perículis in mari, perículis in falſis frátribus. In labóre & ærũna: in vigíliis multis. In fame & ſiti: in ieiúniis multis. In frigore: & nuditáte. Præter illa, quæ extrínſecus ſunt: inſtántia mea quotidiána, ſollicitúdo ómnium Eccleſiárũ. Quis infirmátur & ego non infirmor? Quis ſcãdalizátur, & ego nõ vror? Si gloriári opórtet: quæ infirmitátis meæ ſunt gloriábor. Deus & Pater Dómini noſtri Iéſu Chriſti ſcit (qui eſt benedíct⁹ in ſǽcula:) quòd non méntior. Diuiſio priuatis diebus Damáſci præpóſitus Gentis Arethæ Regis, cuſtodiébat ciuitátẽ Damaſcenórum: vt me cõpræhénderet. Et per feneſtrã in ſporta dimiſſus ſum per murũ: & ſic effúgi manus eius.
c.12. Si gloriári opórtet: non éxpedit quidem. Véniam autem ad viſiónes: & reuelatiónes Dómini. Scio hóminem in Chriſto ante annos quatuórdecim, ſiue in córpore, ſiue extra corpus, néſcio, Deus ſcit: raptum huiúſmodi vſque ad tértium cælum. Et ſcio huiúſmodi hóminẽ, ſiue in córpore, ſiue extra corpus, néſcio, Deus ſcit: quóniam raptus eſt in paradíſum, & audíuit arcána verba, quæ non licet hómini loqui. Pro huiúſmodi gloriábor: pro me autem nihil, niſi in infirmitátibus meis. Nã & ſi volúero gloriári: non ero inſípiens. Veritátem enim dicam. Parco autem, ne quis me exíſtimet ſupra id, quod videt in me: aut audit áliquid ex me. Et ne magnitúdo reuelatiónũ extóllat me: datus eſt mihi ſtímulus carnis meæ Angelus Sáthanæ qui me colaphízet. Propter quod ter Dóminum rogáui, vt diſcéderet à me: & dixit mihi. Súfficit tibi grátia mea. Nam virtus in infirmitáte perfícitur. Libénter ígitur gloriábor in infirmitátibus meis: vt inhábitet in me: virtus Chriſti.

℟. Sciãt Gentes, quóniã nómen tibi Deus: tu ſolus Altíſſimus ſuper omnem terram. ℣. Deus meus pone illos vt rotam: & ſicut ſtípulam ante fáciem venti. Tractus.

COmmouíſti Dómine terram, & conturbáſti eam. ℣ Sana contritiónes eius, quia mota eſt. ℣ Vt fúgiant à fácie arcus: vt liberéntur elécti tui.

Secúndum Lucam. cap. 8.

IN illo témpore. Cum turba plúrima cõueníret, & de ciuitátibus properárent ad Iéſum: dixit per ſimilitúdinem. Exiit, qui ſéminat: ſemináre ſemen ſuũ. Et dum ſéminat: áliud cécidit ſecus viam, & conculcátum eſt, & vólucres cæli comedérunt illud. Et áliud cécidit ſupra petrã: & natum áruit, quia non habébat humórẽ. Et áliud cécidit inter ſpinas: & ſimul exórtę ſpinæ ſuffocauérunt illud. Et áliud cécidit in terram bonam: & ortum fecit fructum céntuplum. Hæc dicens cla-

mábat.

mábat. Qui habet aures audiéndi: aúdiat. Interrogábant autem eum diſcípuli eius: quæ eſſet hæc parábola. Quibus ipſe dixit. Vobis datũ eſt noſſe myſtérium regni Dei: cæteris autem in parábolis, vt vidéntes non vídeant, & audiéntes non intélligant. Eſt autem hæc parábola. Semen: eſt verbum Dei. Qui autem ſecus viam: hi ſunt qui aúdiunt. Deínde venit diábolus, & tollit verbum de corde eórum: ne credéntes ſalui fiant. Nam qui ſupra petram: qui cum audíerint, cum gaúdio ſuſcípiunt verbum. Et hi radíces non habent: quia ad tempus credunt, & in témpore tentatiónis recédunt. Quod autem in ſpinis cécidit: hi ſunt qui audiérunt, & à ſolicitudínibus & diuítiis, & voluptátibus vitæ eúntes ſuffocántur, & non réferunt fructum. Quod autem in terram bonam: hi ſunt qui in corde bono & óptimo audiéntes verbum rétinent. Et fructum áfferunt: in patiéntia.

Offertorium. Pérfice greſſus meos in ſémitis tuis: vt non moueántur veſtígia mea, inclína aurem tuam, & exaúdi verba mea: mirífica miſericórdias tuas, qui ſaluos facis ſperántes in te, Dómine. Secreta.

OBlátum tibi Dómine, ſacrifícium viuíficet nos ſemper, & múniat. Per Dóminum.

Communio. Introíbo ad altáre Dei: ad Deum qui lætíficat iuuentútem meam.

Poſtcommunio.

SVpplices te rogámus omnípotens Deus: vt quos tuis réficis ſacraméntis, tibi étiam plácitis móribus dignánter deſeruíre concédas. Per Dóminum.

DOMINICA IN QVINquageſima.

Statio ad S. Petrum.

Introitus.

ESto mihi in Deũ protectórem, & in locum refúgij, vt ſaluum me fácias: quóniam firmaméntum meum, & refúgium meum es tu, & propter nomen tuum dux mihi eris, & enútries me.

Pſalmus. In te Dómine ſperáui non confúndar in ætérnum: in iuſtítia tua líbera me, & éripe me. Collecta

PReces noſtras, quæſumus Dómine, cleménter exaúdi: atque à peccatorũ vínculis abſolútos, ab omni nos aduerſitáte cuſtódi. Per.

Ad Corínthios. 1. cap. 13.

FRatres. Si línguis hóminũ loquar & Angelórum, charitátem autem nõ hábeam: factus ſum velut æs ſonans, aut cýmbalum tínniens. Et ſi habúero prophetíam, & nóuerim myſtéria ómnia, & omnẽ ſciéntiã, & ſi habúero omnem fidem, ita vt montes tránsferam, charitátem autem non hábeam: nihil ſum. Et ſi diſtribúero in cibos páuperũ, omnes facultátes meas, & ſi tradídero corpus meum ita vt árdeã, charitátem autem non habúero: nihil mihi prodeſt. Cháritas pátiẽs eſt: benígna eſt. Cháritas non æmulátur: non agit pérperam, non inflátur, nõ eſt ambitióſa, non quærit quæ ſua ſunt. Non irritátur: non cógitat malum, non gaudet ſuper iniquitáte, congaúdet autẽ veritáti. Omnia ſuffert: ómnia credit ómnia ſperat, ómnia ſúſtinet. Cháritas nunquam éxcidit. Siue prophetíæ euacuabúntur: ſiue linguæ ceſſábunt, ſiue ſciéntia deſtruétur. Ex parte enim cognóſcimus: & ex parte prophetámus. Cum autem vénerit quod perféctum eſt euacuábitur quod ex parte. eſt Cum eſſem páruulus: loquébar vt

páruulus, ſapiébam vt páruulus, cogitábam vt páruulus. Quando autem factus ſum vir: euacuáui quæ erāt páruuli. Vidémus nunc per ſpéculum in enígmate: tunc autem fácie ad faciē. Nunc cognóſco ex parte: tunc autem cognóſcam ſicut & cógnitus ſum. Nunc autem manent, fides, ſpes, chátitas: tria hæc. Maior autem horum: eſt chátitas.

℟. Tu es Deus qui facis mirabília ſolus, notam feciſti in Géntibus virtútem tuam.

℣. Liberáſti in bráchio ruo pópulum tuum filios Iſráel & Ióſeph. Tractus.

IVbiláte Deo omnis terra, ſerúite Dómino in lætítia. ℣. Inrráte in conſpéctu eius in exultatióne, ſcitóte quòd Dóminus ipſe eſt Deus. ℣. Ipſe fecit nos, & non ipſi nos, nos autē pópulus eius, & oues páſcuæ eius.

Secúndum Lucam. cap. 18.

IN illo témpore. Aſſúmpſit Iéſus duódecim diſcípulos ſuos: & ait illis. Ecce aſcéndimus Ieroſólymā: & conſummabúntur ómnia, quæ ſcripta ſunt per Prophétas de Fílio hóminis. Tradétur enim Géntibus, & illudétur: & flagellábitur, & conſpuétur. Et poſtquam flagelláuerint, occídent eum: & die tértia reſúrget. Et ipſi nihil horum intellexérunt. Et erat verbum iſtud abſcó..ditum ab eis: & non inrelligébant quæ dicebántur. Factum eſt autem, cum appropinquáret Iéricho: cæcus quidam ſedébat ſecus viam, mendícans. Et cum audíret turbam prætereúntem: interrogábat quid hoc eſſet. Dixérunt autem ei: quòd Iéſus Nazarénus transíret. Et clamáuit, dicens. Iéſu fili Dauid: miſerére mei. Et qui præíbāt: increpábant eum, vt tacéret. Ipſe verò multò magis clamábat: Fili Dauid miſerére mei. Stans autē Iéſus: iuſſit illum addúci ad ſe. Et cum appropinquáſſet: interrogáuit illum, dicens. Quid tibi vis fáciā? At ille dixit. Dómine: vt vídeā. Et Iéſus dixit illi. Réſpice: fides tua te ſaluum fecit. Et cōféſtim vidit: & ſequebátur illum magníficans Deum. Et omnis plebs vt vidit: dedit laudem Deo.

Offertorium. Benedíctus es Dómine, doce me iuſtificatiónes tuas: benedíctus es Dómine, doce me iuſtificatiónes tuas: in lábiis meis pronuntiáui ómnia iudícia oris tui.

Secreta.

HÆc hóſtia Dómine quæſumus, mundet noſtra delicta: & ſacrificium celebrándum ſubditórum tibi córpora mentéſque ſanctíficet. Per Dóminum.

Cōmunio. Manducauérunt, & ſaturáti ſunt nimis, & deſidérium eórum áttulit eis Dóminus: non ſunt fraudáti à deſidério ſuo.

Poſtcommunio.

QVæſumus omnípotens Deus: vt qui cæléſtia aliménta percépimus: per hæc contra ómnia aduérſa muniámur. Per Dóminum.

FERIA QVARTA IN capite ieiunij.

Ante benedictionem cinerum. Antiphona

EXúrge Dómine ádiuua nos, & líbera nos propter nomē tuū. Pſalm. Deus áuribus noſtris audíuimus: patres noſtri annuntiauérūt nobis. Glória Pat. Hic inclinatur. Exúrge.

℣. Oſténde nobis Dómine miſericórdiam tuam. Et ſalutáre tuum da nobis.

Kyrie eleíſon. Chriſte eleíſon.

Kyrie eleíſon. Pater noſter. Et ne nos.

Pſalmus. Deus miſereátur noſtri.

℣. Et véniat ſuper nos miſericórdia tua Dómine. Et ſalutáre tuum ſecúndum elóquium tuum. Dóminus vobíſcum.

Orémus.

COncéde nobis Dómine præſídia milítiæ Chriſtiánæ ſanctis inchoáre ieiúniis: vt contra ſpirituáles nequítias pugnatúri, continén-

tiæ

tiæ muniámur auxiliis. Per Dómi.

Benedictio cinerum. Dóminus vobíſcum. Orémus.

DEus, qui non mortem ſed pœniténtiam deſíderas peccatórum: fragilitátem noſtrã benigníſſimè réſpice: & hos cíneres quos cauſa præferéndæ humilitátis, atq; promeréndæ véniæ, capítibus noſtris impóni decérnimus, be ✠ nedícere pro tua pietáte dignéris: vt qui nos cínerem eſſe, & ob prauitátis noſtræ méritum, in púluerem reuerſúros cognóſcimus: peccatórũ ómnium véniam, & prǽmia pœniténtibus repromíſſa miſericórditer cónſequi mereámur. Per Dóminũ.

Dum ſacerdos capitibus cineres imponit, ſic dicat. Meménto quia cinis es, & in cínerem reuertéris.

EXaúdi nos Dómine quóniã benígna eſt miſericórdia tua: ſecúndum multitúdinem miſeratiónum tuárum réſpice nos Dómine.

Pſalmus. Saluum me fac Deus: quóniam intrauérunt aquæ vſque ad ánimã meam. Glória Patri. Hîc non inclinatur. Antiph. Iuxta veſtíbulum & altáre plorábũt Sacerdótes & Leuítæ miníſtri Dómini, & dicent: parce Dómine, parce pópulo tuo: & ne díſſipes ora clamántium ad te Dómine.

Antiphona. Immutémur hábitu in cínere & cilício: ieiunémus & plorémus ante Dóminum, quia multum miséricors eſt dimíttere peccáta noſtra Deus noſter.

Statio ad ſanctam Sabinam.

Introitus.

MIſeréris ómniũ Dómine, & nihil odíſti eórum quæ fecíſti: diſſimulans peccáta hóminũ propter pœniténtiam: & parcens illis, quia tu es Dóminus Deus noſter.

Pſalmus. Miſerére mei Deus miſerére mei: quóniam in te confídit ánima mea.

Glória Patri. Orémus. Flectámus génua: Leuáte. Oratio

PRæſta Dómine fidélibus tuis: vt ieiuniórum veneránda ſolémnia, & cóngrua pietáte ſuſcípiant: & ſecúra deuotióne percúrrãt. Per.

Léctio Ioélis Prophétæ. cap. 2.

HÆc dicit Dóminus Deus. Cõuertímini ad me in toto corde veſtro, in ieiúnio, & fletu, & plãctu: & ſcíndite corda veſtra, & non veſtiménta veſtra. Et conuertímini ad Dóminum Deum noſtrũ: quia benígnus & miséricors eſt, pátiens & multæ miſericórdiæ, & præſtábilis ſuper malítia. Quis ſcit ſi conuertátur & ignóſcat Deus & relínquat poſt ſe benedictiónẽ: Sacrifícium & libámẽ: Dómino Deo noſtro. Cánite tuba in Sion: ſanctificáte ieiúnium, vocáte cœtum, cõgregáte pópulum, ſanctificáte eccléſiam, coadunáte ſenes, congregáte páruulos, & ſugéntes vbera. Egrediátur ſponſus de cubíli ſuo: & ſponſa de thálamo ſuo. Inter veſtíbulum & altáre: plorábunt Sacerdótes miníſtri Dómini & dicẽt. Parce Dómine parce pópulo tuo: & ne des hæreditátem tuam in oppróbrium, vt dominéntur eis natiónes. Quare dicunt in pópulis vbi eſt Deus eórum? Zelátus eſt Dóminus terram ſuam: & pepércit pópulo ſuo. Et reſpóndit Dóminus: & dixit pópulo ſuo. Ecce ego mittam vobis fruméntum, & vinum, & óleum, & replebímini in eis: & non dabo vos vltra oppróbriũ in Géntibus. Dicit Dóminus: omnípotens.

℟. Miſerére mei Deus, miſerére mei: quóniam in te confídit ánima mea.

℣. Miſit de cælo & liberáuit me: dedit in oppróbrium conculcántes me.

Tractus.

DOmine nõ ſecúndum peccáta noſtra fácias nobis: neque ſecúndum ini-

quitátes noſtras retríbuas nobis. ℣. Dómine, ne memíneris iniquitátũ noſtrárum antiquárum: cito antícipẽt nos miſericórdiæ tuæ, quia paúperes facti ſumus nimis.
℣. Adiuua nos Deus ſalutáris noſter, & propter glóriam nóminis tui Dómine líbera nos: & propítius eſto peccátis noſtris propter nomen tuum.

Secúndum Matthæum. cap. 6.

IN illo témpore. Dixit Ieſus diſcípulis ſuis. Cũ ieiunátis: nolite fieri ſicut hypócritæ triſtes. Extérminãt enim fácies ſuas: vt páreãt homínibꝰ ieiunántes. Amẽ dico vobis: quia recepérunt mercédem ſuam. Tu autem cũ ieiúnas: vnge caput tuũ, & fáciem tuam laua, ne videáris homínibus ieiúnans, ſed Patri tuo, qui eſt in abſcóndito. Et Pater tuus, qui videt in abſcóndito: reddet tibi. Nolíte theſaurizáre vobis theſaúros in terra: vbi ærúgo & tínea demolítur, & vbi fures effódiunt, & furántur. Theſaurizáte autem vobis theſaúros in cælo: vbi neque ærúgo, neq; tínea demolítur, & vbi fures non effódiunt, nec furántur. Vbi enim eſt theſaúrus tuus: ibi eſt & cor tuum.

Offertoriũ. Exaltábo te Dómine, quóniã ſuſcepíſti me, nec delectáſti inimícos meos ſuper me: Dómine clamáui ad te, & ſanáſti me. Secreta

FAc nos quæſumus Dómine, his munéribus offeréndis conueniénter aptári: quibus ipſíus venerábilis ſacraménti celebrámus exórdium. Per Dóminum.

Præfatio Qui corporáli ieiúnio, &c. quæ ſingulis diebus vſque ad Cœnam Domini, exceptis Dominicis diebus, dicatur.

Communio. Qui meditábitur in lege Dómini die ac nocte, dabit fructum ſuum in témpore ſuo. Poſtcommunio

PErcépta nobis Dómine prębeãt ſacraménta ſubsídium: vt & tibi grata ſint noſtra ieiúnia ⁊ & nobis profíciant ad medélam. Per Dómi.

Super populum. Orémus.
Humiliáte cápita veſtra: Deo.

INclinántes ſe Dómine maieſtáti tuæ propitiátus inténde: vt qui diuíno múnere ſunt reféćti ⁊ cœléſtibus ſẽper nutriántur auxíliis. Per.

FERIA QVINTA.

Statio ad S. Georgium.

Introitus.

DVm clamárem ad Dóminum exaudíuit vocem meã, ab his, qui appropínquãt mihi: & humiliáuit eos, qui eſt ante ſæcula, & manet in ætérnum: iacta cogitátum tuum in Dómino, & ipſe te enútriet.

Pſalmus. Exaúdi Deus oratiónem meam, & ne deſpéxeris deprecatiónem meam: inténde mihi, & exaúdi me. Collecta

DEus qui culpa offénderis, pœniténtia placáris: preces pópuli tui ſupplicãtis propítius réſpice ⁊ & flagélla tuę iracúndiæ, quę pro peccátis noſtris merémur, auerte. Per Dóminum noſtrum.

Léctio Iſaíæ Prophétæ. cap. 38.

IN diebus illis. Ægrotáuit Ezechías vſq; ad mortem: & introíuit ad eum Iſaías filius Amos prophéta, & dixit ei. Hæc dicit Dóminus. Diſpóne dómui tuæ: quia moriéris tu, & non viues. Et conuértit Ezechías fáciem ſuã ad paríetem: & oráuit ad Dóminũ, & dixit. Obſecro Dómine: memẽto quęſo quómodo ambuláuerim corã te in veritáte, & in corde perfécto, & quod bonum eſt in óculis tuis fécerim. Et fleuit Ezechías fletu magno. Et factum eſt verbum Dómini ad Iſaíã, dicẽs. Vade: & dic Ezechíæ. Hæc dicit Dóminus Deus Dauid patris tui. Audíui oratiónem tuam: & vidi lá-

chrymam

chrymam tuam. Ecce ego adiíciam ſuper dies tuos quíndecim annos:& de manu Regis Aſſyriórum éruam te, & ciuitátem iſtam & prótegam eam. Dicit Dóminus: omnípotens.

℟. Iacta cogitátum ruum in Dómino: & ipſe te enútriet. ℣. Dum clamarē ad Dóminum exaudíuit vocem meam, ab his qui appropínquant mihi.

Secúndum Ioánnem. cap. 8.

IN illo témpore. dicébat Iéſus ad eos, qui crediderunt ei Iudǽos. Si vos manſéritis in ſermóne meo: verè diſcípuli mei éritis. Et cognoſcétis veritátem: & véritas liberábit vos. Reſpondérūt ei. Semen Abráhæ ſumus: & némini ſeruíuimus vnquam. Quómodo tu dicis, líberi éritis? Reſpóndit eis Iéſus. Amen amen dico vobis: quia omnis qui facit peccátum, ſeruus eſt peccáti Seruus autem: non manet in domo in ætérnū. Si ergo Fílius vos liberáuerit: verè líberi éritis. Scio quia filij Abráhæ eſtis: ſed quǽritis me interfícere, quia ſermo meus non capit in vobis. Ego quod vidi apud Patrē meum loquor: & vos quæ vidíſtis apud patrem veſtrū fácitis. Reſpondérunt: & dixérunt ei. Pater noſter Abráham eſt. Dicit eis Iéſus. Si filij Abráhæ eſtis: ópera Abráhæ fácite. Nunc autem quǽritis me interfícere: hóminem qui veritátem locútus ſum vobis, quam audíui à Deo. Hoc Abráham non fecit. Vos fácitis ópera patris veſtri. Dixérunt ítaque ei. Nos ex fornicatióne non ſumus nati: vnum Patrem habémus Deum. Dixit ergo eis Iéſus. Si Deus Pater veſter eſſet: diligerétis vtique me. Ego enim ex Deo proceſſi: & veni. Neque enim à meipſo veni: ſed ille me miſit. Quare loquélam meam non cognóſcitis? Quia non potéſtis audíre ſermónem meum. Vos ex patre Diábolo eſtis: & deſidéria patris veſtri vultis fácere. Ille homicída erat ab inítio & in veritáte non ſtetit: quia non eſt véritas in eo. Cum lóquitur mendácium, ex própriis lóquitur: quia mendax eſt, & pater eius. Ego autem quia veritátem dico: non créditis mihi.

Offertorium. Ad te Dómine leuáui ánimam meam: Deus meus in te confido, non erubéſcam, neque irrídeant me inimíci mei: étenim vniuérſi, qui te expéctant, non confundéntur. Secreta.

SAcrificiis præſéntibus Dómine quǽſumus inténde placátus: vt & deuotiónis noſtræ proficiant, & ſalúti. Per Dóminum.

Communio. Acceptábis ſacrifícium iuſtítiæ, oblatiónes, & holocaúſta ſuper altáre tuum Dómine. Poſtcommunio.

CÆléſtis doni benedictióne percépta, ſúpplices te Deus omnípotēs deprecámur: vt hoc idem nobis & ſacraménti cauſa ſit, & ſalútis. Per Dóminum. Super populum

PArce Dómine, parce pópulo tuo: vt dignis flagellatiónibus caſtigátus: in tua miſeratióne reſpíret Per.

FERIA SEXTA.

Statio ad ſanctos Ioannem & Paulum.

Introitus.

AVdíuit Dóminus, & miſértus eſt mihi, Dóminus factus eſt adiútor meus. Pſalmus. Exaltábo te Dómine, quóniā ſuſcepíſti me: nec delectáſti inimícos meos ſuper me.

Collecta.

INchoáta ieiúnia quǽſumus Dómine benígno fauóre proſéquere: vt obſeruántiam quam corporáliter exhibémus: méntibus étiam ſyncéris exercére valeámus. Per Dóminum.

Lectio Iſaiæ Prophetæ. cap. 58.

HÆc dicit Dóminus Deus. Clama, ne ceſſes: quaſi tuba exálta vocem tuam, & annúntia pópulo meo ſcélera eórum: & dómui Iacob peccáta eórum. Me étenim de die in diem quærunt, & ſcire vias meas volunt: quaſi gens quæ iuſtítiam fécerit, & quæ iudícium Dei ſui non derelíquerit. Rogant me iudícia iuſtítiæ: & appropinquáre Deo volunt. Quare ieiunáuimus, & non aſpexíſti, humiliáuimus ánimas noſtras, & neſciſti? Ecce in die ieiúnij veſtri inueniúntur voluntátes veſtræ: & omnes debitóres veſtros repétitis. Ecce ad lites & contentiónes ieiunátis: & percútitis pugno impiè. Nolite ieiunáre ſicut vſque ad hanc diem: vt audiátur in excélſo clamor veſter. Nunquid tale eſt ieiúnium quod elégi, per diem afflígere hóminem ánimam ſuam? Nunquid contorquére quaſi círculum caput ſuum, & ſaccum & cínerē ſtérnere? Nunquid iſtud vocáui ieiúnium & diem acceptábilem Dómino? Nonne hoc eſt magis ieiúnium quod elégi? Diſſólue colligatiónes impietátis: ſolue faſcículos depriméntes. Dimítte eos qui confrácti ſunt líberos: & omne onus dirúmpe. Frange eſuriénti panē tuum: & egénos vagóſque induc in domum tuam. Cum víderis nudum óperi eum: & carnē tuam ne deſpéxeris. Tunc erúmpet quaſi mane lumen tuum: & ſánitas tua cítius oriétur. Et anteíbit fáciem tuam iuſtítia tua: & glória Dómini cólliget te. Tunc inuocábis, & Dóminus exáudiet: clamábis, & dicet, ecce adſum. Quia miſéricors ſum: Dóminus Deus tuus.

℟. Vnam pétij à Dómino, hanc requíram, vt inhábitē in domo Dómini. ℣. Vt vídeam voluntátem Dómini, & prótegar à templo ſancto eius.

Tractus. Dómine non ſecúndum, &c.

Secúndum Matthæum. c. 5. & 6.

IN illo témpore. Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Audíſtis quia dictū eſt: díliges próximum tuū, & ódio habébis inimícum tuum. Ego autem dico vobis. Dilígite inimícos veſtros: benefácite his qui odérūt vos. Et oráte pro perſequéntibus, & calumniántibus vos: vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cœlis eſt, qui ſolem ſuū oríri fácit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniúſtos. Si enim dilígitis eos, qui vos díligunt: quam mercédem habébitis? Nonne & Publicáni hoc fáciunt? Et ſi ſalutauéritis fratres veſtros tātum: quid ámplius fácitis? Nonne & éthnici hoc fáciunt? Eſtóte ergo vos perfécti: ſicut & Pater veſter cœléſtis perféctus eſt. Atténdite ne iuſtítiam veſtram faciátis coram homínibus: vt videámini ab eis. Alióquin: mercédem non habébitis apud Patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Cum ergo facis eleemóſynam: noli tuba cánere ante te, ſicut hypócritę fáciunt in ſynagógis, & in vicis, vt honorificéntur ab homínibus. Amen dico vobis: recepérunt mercédem ſuam. Te autem faciénte eleemóſynam: néſciat ſiniſtra tua quid fáciat déxtera tua, vt ſit eleemóſyna tua in abſcóndito. Et Pater tuus qui videt in abſcóndito: reddet tibi. Et cum orátis: non éritis ſicut hypócritæ, qui amāt in ſynagógis & in ángulis plateárū ſtantes oráre, vt videántur ab homínibus. Amen dico vobis: recepérunt mercédē ſuam. Tu autem cum orábis: intra in cubículū tuum, & clauſo óſtio ora Patrem tuum in abſcóndito. Et Pater tuus qui videt in abſcóndito: reddet tibi.

Offertorium Dómine viuífica me ſecúndū elóquium tuum: vt ſciam teſtimónia tua.

Secreta.

SAcrifícium Dómine obſeruántiæ Paſchális offérimus, præſta

quæſumus:

quæſumus: vt tibi & mẽtes noſtras reddat accéptas⁊ & cõtinéntiæ promptióris nobis tríbuat facultátẽ. Per Dóminum noſtrum.

Communio. Seruíte Dómino in timóre, & exultáte ei cum tremóre, apprehéndite diſciplínã, ne pereátis de via iuſta. Poſtcom.

SPíritum nobis Dñe, tuæ charitátis infúnde: vt quos vno cæléſti pane ſatiáſti⁊ tua fácias pietáte concórdes. Per eiúſdẽ. Super populũ

TVére Dómine pópulũ tuum⁊ & ab ómnibus peccátis clemẽter emúnda: quia nulla ei nocébit aduérſitas⁊ ſi nulla dominétur iníquitas. Per Dóminum.

SABBATO.

Statio ad ſanctum Tryphonem.

Introitus. &c. vt in Miſſa præcedenti, præter Epiſtolam & Euangelium, quæ ſequuntur

Léctio Iſaíæ Prophétæ. cap. 58.

HÆc dicit Dóminus. Si abſtúleris de médio tui caténam, & desíeris digitũ exténdere, & loqui quod non prodeſt⁊ cum effúderis eſuriénti ánimam tuã, & ánimam afflíctam repléueris: oriétur in ténebris lux tua, & ténebræ tuæ erũt ſicut merídies. Et réquiem dabit tibi Dóminus Deus tuus ſemper: & implébit ſplendóribus ánimam tuam & oſſa tua liberábit. Et eris quaſi hortus irríguus: & ſicut fons aquárum, cuius non deficient aquæ. Et ædificabúntur in te deſérta ſæculórum: fundaménta generatiónis & generatiónis ſuſcitábis. Et vocáberis ædificátor ſépium: auértẽs ſémitas in quiétẽ. Si auérteris à Sábbato pedem tuum, fácere volũtátem tuam in die ſancto meo: & vocáueris Sabbátum delicátũ & ſanctum Dómini glorióſum: & glorificáueris eum, dum non facis vias tuas & non inuenítur volúntas tua vt loquáris ſermónem: tũc delectáberis ſuper Dómino & ſuſtóllam te ſuper altitúdines terræ & cibábo te hæreditáte Iacob patris tui. Os enim Dómini: locútum eſt hæc.

Secúndum Marcum. cap. 6.

IN illo témpore. Cum ſero eſſet factum: erat nauis in médio mari, & Iéſus ſolus in terra. Et videns eos laborántes in remigándo: erat enim ventus contrárius eis. Et circa quartam vigíliã noctis, venit ad eos ámbulans ſuper mare: & volébat præteríre eos. At illi, vt vidérunt eũ ambulántem ſuper mare: reputauérũt fantáſma eſſe. Et exclamauérunt. Omnes enim eum vidérunt: & conturbáti ſunt. Et ſtatim locútus eſt cum eis: & dixit illis. Confídite. Ego ſum: nolíte timére. Et aſcéndit ad illos in nauim: & ceſſáuit ventus. Et plus magis intra ſe ſtupébant. Non enim intelléxerant de pánibus: erat enim cor illórum obcæcátum. Et cum transfretáſſent: peruenérũt in terram Genéſareth, & applicuérunt. Cúmque egréſſi eſſent de naui: contínuò cognouérunt eum. Et percurréntes vniuérſam regiónem illam: cœpérunt in grabátis eos, qui ſe malè habébãt, circũférre, vbi audiébant eum eſſe. Et quocúnque introíbat in vicos, vel in villas, aut ciuitátes: in platéis ponébant infírmos, & deprecabántur eum, vt vel fimbriam veſtiménti eius tángerent. Et quotquot tangébant eum: ſalui fiébant.

DOMINICA PRIMA in Quadrageſima.

Statio ad S. Ioan. in Laterano. Introitus.

INuocáuit me, & ego exaúdiã eũ: erípiã eũ, & glorificábo eũ: longitúdine diérũ adimplébo eũ. Pſalm. Qui hábitat in adiutório Altiſſimi: in protectióne Dei

cæli commorábitur. Colleɛta.

DEus, qui Eccléſiā tuam ánnua quadragéſimæ obſeruatióne puríficas: preſta famíliæ tuæ: vt quod à te obtinére abſtinẽdo nítitur: hoc bonis opéribus exequátur. Per Dó.

Ad Corínthios. 2. cap. 6.

FRatres. Hortámur vos: ne in vácuum grátiā Dei recipiátis. Ait enim. Témpore accépto exaudíui te: & in die ſalútis adiúui te. Ecce nunc tempus acceptábile: ecce nũc dies ſalútis. Némini dãtes vllam offenſiónem: vt non vituperétur miniſtérium noſtrũ. Sed in ómnibus exhibeámus noſmetípſos ſicut Dei miníſtros: in multa patiéntia, in tribulatiónibus, in neceſſitátibus, in angúſtiis, in plagis, in carcéribus, in ſeditiónibus, in labóribus, in vigíliis, in ieiúniis, in caſtitáte, in ſciéntia, in lõganimitáte, in ſuauitáte, in Spíritu Sancto. In charitáte non fícta: in verbo veritátis, in virtúte Dei. Per arma iuſtítiæ: à dextris & à ſiníſtris. Per glóriam, & ignobilitátem: per infámiam, & bonã famã. Vt ſeductóres: & veráces. Sicut qui ignóti: & cógniti. Quaſi moriéntes: & ecce víuimus. Vt caſtigáti: & non mortificáti. Quaſi triſtes: ſemper autem gaudéntes. Sicut egéntes: multos autem locupletántes. Tanquam nihil habéntes: & ómnia poſſidéntes.

℟. Angelis ſuis mandáuit de te: vt cuſtódiant te in ómnibus viis tuis. ℣. In mánibus portábunt te: ne vnquam offéndas ad lápidem pedem tuum. Tractus

QVi hábitat in adiutório Altíſſimi: in protectióne Dei cæli cõmorábitur. ℣ Dicet Dómino ſuſcéptor meus es, & refúgium meum Deus meus, ſperábo in eum. ℣. Quóniā ipſe liberábit me de láqueo venántium, & à verbo áſpero. ℣. Scápulis ſuis obũbrábit tibi, & ſub pennis eius ſperábis. ℣. Scuto circũdabit te véritas eius: nõ timebis à timóre noctúrno. ℣. A ſagítta volánte per diem, à negotio perambulánte in ténebris: ab ruína, & dæmónio meridiáno. ℣. Cadent à látere tuo mille, & decem míllia à dextris tuis: tibi autem non appropinquábit. ℣. Quóniam Angelis ſuis mandáuit de te: vt cuſtódiant te in ómnibus viis tuis. ℣. In mánibus portábũt te: ne vnquam offéndas ad lápidem pedẽ tuum. ℣. Super áſpidẽ, & baſilíſcum ambulábis, & conculcábis leónem & dracónẽ. ℣. Quóniam in me ſperáuit, liberábo eum: prótegam eum, quóniam cognóuit nomẽ meum. ℣. Inuocábit me, & ego exaúdiam eum: cum ipſo ſum in tribulatióne. ℣. Erípiam eũ, & glorificábo eum: longitúdine dierũ adimplébo eum: & oſténdam illi ſalutáre meum.

Secúndum Matthæum. cap. 4.

IN illo témpore. Ductus eſt Iéſus in deſértum à Spíritu: vt tentarétur à diábolo. Et cũ ieiunáſſet quadragínta diébus & quadragínta nóctibus: póſtea eſúriit. Et accédens tentátor: dixit ei. Si Filius Dei es: dic vt lápides iſti panes fiant. Qui reſpóndẽs: dixit. Scriptum eſt. Non in ſolo pane viuit homo: ſed in omni verbo quod procédit de ore Dei. Tunc aſsúmpſit eum diábolus in ſanctam ciuitátem: & ſtátuit eum ſupra pinnáculum tẽpli, & dixit ei. Si Fílius Dei es: mitte te deórſum. Scriptũ eſt enim: quia Angelis ſuis mandáuit de te, & in mánibus tollent te, ne fortè offéndas ad lápidẽ pedem tuum. Ait illi Iéſus rurſum. Scriptum eſt. Non tentábis Dóminum Deum tuũ. Iterum aſſúmpſit eum diábolus in mõtem excélſum valde: & oſténdit ei ómnia regna mundi, & glóriam eórum, & dixit illi Hæc ómnia tibi dabo: ſi cadens adoráueris me. Tunc dixit ei Iéſus. Vade Sáthana. Scriptum eſt enim. Dóminum Deum tuum adorábis: & illi ſoli ſéruies. Tũc relíquit eum diábolus. Et ecce Angeli acceſſérunt: & miniſtrábant ei.

Offertorium. Scápulis ſuis obũbrábit tibi

Dóminus: & ſub pennis eius ſperábis: ſcuto circúndabit te véritas eius. Secreta.

SAcrificium quadrageſimális inítij ſolémniter immolámus, te, Dómine, deprecántes: vt cum epulárum reſtrictióne carnálium, à nóxiis quoque voluptátibus temperémur. Per Dóminum.

Communio. Scápulis ſuis obumbrábit tibi Dóminus & ſub pennis eius ſperábis: ſcuto circúndabit te véritas eius.

Poſtcommunio

TVi nos, Dómine, ſacraménti libátio ſancta reſtáuret: & à vetuſtáte purgátos in myſtérij ſalutáris fáciat transíre consórtium. Per.

FERIA SECVNDA.

Statio ad S. Petrum ad Vincula.

Introitus.

SIcut óculi ſeruórum in mánibus dominórū ſuórū: ita óculi noſtri ad Dóminū Deum noſtrum, donec miſereátur noſtri: miſerére nobis Domine, miſerére nobis.

Pſalmus. Ad te leuáui óculos meos: qui hábitas in cælis. Collecta

COnuérte nos, Deus ſalutáris noſter: & vt nobis ieiúnium quadrageſimále profíciat: mentes noſtras cæléſtibus ínſtrue diſciplínis. Per Dóminum.

Lectio Ezechiélis Prophétæ cap. 34.

HÆc dicit Dóminus Deus. Ecce ego ipſe requíram oues meas: & viſitábo illas, ſicut víſitat paſtor gregem ſuum: in die quando fúerit in médio óuium ſuárum diſſipatárum. Sic viſitábo oues meas: & liberábo eás de ómnib9 locis in quibus diſpérſæ fúerant: in die nubis, & calíginis. Et edúcam eas de pópulis: & cōgregábo eas de terris. Et indúcā eas in terram ſuam: & paſcam eas in móntibus Iſrael, in riuis, & in cunctis ſédibus terræ. In páſcuis vberrimis paſcam eas: & in móntibus excélſis Iſrael erunt páſcuę eárum. Ibi requiéſcent in herbis viréntibus: & in páſcuis pínguibus paſcéntur ſuper montes Iſrael. Ego paſcam oues meas: & ego eas accubáre fáciā, dicit Dóminus Deus. Quod períerat, requíram, & quod abiéctum fúerat, redúcam, & quod confráctum fúerat, alligábo: & quod infírmum fuérat, conſolidábo, & quod pingue, & forte, cuſtódiam. Et paſcam illas in iudício, & iuſtítia: dicit Dóminus: omnípotens.

℟. Protéctor noſter áſpice Deus, & réſpice ſuper ſeruos tuos. ℣. Dómine Deus virtútum exaúdi preces ſeruórum tuórum.

Tractus. Dómine non ſecúndum, &c.

Secúndum Matthæum. cap. 25.

IN illo témpore. Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Cum vénerit fílius hóminis in maieſtáte ſua, & omnes Angeli cum eo: tūc ſedébit ſuper ſedē maieſtátis ſuæ. Et cōgregabúntur ante eum omnes Gentes: & ſeparábit eos ab ínuicem, ſicut paſtor ſégregat oues ab hædis. Et ſtátuet oues quidē à dextris ſuis: hædos autem à ſiniſtris. Tunc dicet Rex his: qui à dextris eius erunt. Veníte benedícti, Patris mei: poſſidéte parátū vobis regnū à cōſtitutióne mundi. Eſuríui enim: & dedíſtis mihi mādúcáre. Sitíui: & dedíſtis mihi bíbere. Hoſpes erā: & collegíſtis me. Nudus: & operuíſtis me. Infírmus: & viſitáſtis me. In cárcere eram: & veníſtis ad me. Tunc reſpondébunt ei iuſti: dicéntes. Dómine: quándo te vídimus eſuriētem, & páuimus te, ſitiéntem, & dédimus tibi potum? Quādo autē te vídimus hóſpitem, & collégimus te? Aut nudū, & coperúimus te? Aut quando te vídimus infírmum, aut in cárcere, &

vénimus ad te? Et reſpóndens Rex: dicet illis. Amen dico vobis: quándiu fecíſtis vni de his frátribus meis mínimis mihi fecíſtis. Tunc dicet & his: qui à ſiniſtris eius erunt. Diſcédite à me maledícti in ignem ætérnũ: qui parátus eſt diábolo, & Angelis eius. Eſuriui enim: & non dediſtis mihi manducáre. Sitiui: & non dediſtis mihi potum. Hoſpes eram: & non collegiſtis me. Nudus: & non operuíſtis me. Infirmus, & in cárcere: & non viſitáſtis me. Tunc reſpondébunt ei & ipſi: dicéntes. Dómine: quando te vídimus eſuriéntem aut ſitiéntem aut hóſpitem, aut nudum, aut infirmum, vel in cárcere, & non miniſtráuimus tibi? Tunc reſpondébit illis: dicens. Amen dico vobis: quándiu non fecíſtis vni de minóribus his: nec mihi fecíſtis. Et ibunt hi in ſupplícium ætérnum: iuſti autem: in vitam ætérnam.

Offertorium. Leuábo óculos meos, & conſiderábo mirabília tua Dómine, vt dóceas me iuſtítiam tuam: da mihi intelléctum, vt diſcam mandáta tua. Secreta.

Munera, Dómine, obláta ſanctífica: nóſque à peccatórum noſtrórum máculis emúnda. Per.

Communio. Voce mea ad Dóminum clamáui, & exaudíuit me, de mõte ſancto ſuo: non timébo míllia pópuli circundántis me.

Poſtcommunio.

Salutáris tui, Dómine, múnere ſatiáti ſúpplices exorámus: vt cuius lætámur guſtu? renouémur effectu. Per Dóminum noſtrum.

Super populum.

Abſólue, quǽſumus Dómine, noſtrórum víncula peccatórum? & quicquid pro eis merémur, propitiátus auérte. Per Dóminũ.

FERIA TERTIA.

Statio ad ſanctam Anaſtaſiam.

Introitus.

Dómine, refúgium factus es nobis à generatióne, & progénie: à ſǽculo, & in ſǽculum tu es. Pſalm. Priúſquã montes fierent: aut formarétur terra & orbis. Glória Patri. Collecta

Reſpice, Dómine famíliã tuam: & præſta, vt apud te mens noſtra tuo deſidério fúlgeat? quæ ſe carnis maceratióne caſtígat. Per.

Lectio Iſaíæ Prophétæ. cap. 55.

In diébus illis. Locútus eſt Iſaías Prophéta dicens. Quǽrite Dóminũ, dum inueníri poteſt: inuocáte eum dũ propè eſt. Derelínquat ímpius viam ſuã, & vir iníquus cogitatiónes ſuas: & reuertátur ad Dóminũ, & miſerébitur eius, & ad Deum noſtrum, quóniam multus eſt ad ignoſcéndũ. Nõ enim cogitatiónes meæ, cogitatiónes veſtræ: neque viæ meæ, viæ veſtræ, dicit Dóminus: quia ſicut exaltántur cæli à terra? ſic exaltátæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitatiónes meæ à cogitatiónibus veſtris. Et quómodo deſcéndit imber, & nix de cœlo, & illuc vltra nõ reuértitur, ſed infúndit terram, & inébriat eam, & germináre eam facit & dat ſemen ſerénti, & panem comedénti: ſic erit verbum meum, quod egrediétur de ore meo. Non reuertétur ad me vácuũ: ſed fáciet quæcúnque vólui & proſperábitur in his, ad quæ miſi illud. Ait Dóminus: omnípotens.

℟. Dirigátur orátio mea ſicut incénſum in conſpéctu tuo, Domine. ℣. Eleuátio mánuum meárum ſacrifícium veſpertínum.

Secúndum Matthǽum. cap. 21

In illo témpore. Cum intraſſet Ieſus Ieroſólymam: cõmóta eſt vniuérſa ciuitas, dicens. Quis eſt hic?

Pópuli autẽ dicébant. Hic eſt Iéſus Prophéta à Názareth Galilǽæ. Et intráuit Iéſus in templum Dei: & eiiciébat omnes vẽdéntes, & eméntes in tẽplo, & mẽſas nummulariórum, & cáthedras vendéntium colúmbas euértit. Et dicit eis. Scriptum eſt. Domus mea: domus oratiónis vocábitur. Vos autem: fecíſtis illam ſpelúncam latrónum. Et acceſſérunt ad eum cæci, & claudi in templo: & ſanáuit eos. Vidéntes autem Príncipes Sacerdótum, & Scribæ mirabília, quæ fecit? & púeros clamántes in templo, & dicéntes hoſánna fílio Dauid: indignáti ſunt, & dixérunt ei. Audis, quid iſti dicunt? Iéſus autem: dixit eis. Vtique. Nunquam legíſtis, quia ex ore infántium, & lacténtium perfecíſti laudem? Et relíctis illis: ábiit foras extra ciuitátem in Bethániam. Ibíque docébat eos: de regno Dei.

Offertorium. In te ſperáui Dómine, dixi tu es Deus meus, in mánibus tuis témpora mea.

Secreta.

OBlátis, quæſumus Dómine, placáre munéribus: & à cunctis nos defénde perículis. Per Dó.

Communio. Cum inuocárem te, exaudíſti me Deus iuſtítiæ meæ: in tribulatióne dilatáſti me, miſerére mihi Dómine & exaúdi oratiónem meam.

Poſtcommunio.

QVæſumus, omnípotens Deus: vt illíus ſalutáris capiámus efféctum? cuius, per hæc myſtéria, pignus accépimus. Per Dóminum.

Super populum.

AScéndant ad te Dómine, preces noſtræ? & ab Eccléſia tua cunctam repélle nequítiam. Per Dóminum noſtrum.

FERIA QVARTA.

Statio ad S. Mariam maiorem.

Introitus.

REminíſcere miſeratiónũ tuárum Dómine: & miſericórdiæ tuæ, quæ à ſǽculo ſunt, ne vnquam dominěntur nobis inimíci noſtri líbera nos Deus Iſráel ex ómnibus angúſtiis noſtris.

Pſalm. Ad te Dómine leuáui ánimã meam: Deus meus in te confído, non erubéſcam.

Hic dicitur Dóminus vobíſcum.

Orémus. Flectámus génua: Leuáte.

PReces noſtras, quæſumus, Dómine, cleménter exaúdi? & contra cũcta nobis aduerſántia déxteram tuæ maieſtátis exténde. Per.

Léctio libri Exodi. cap. 24.

IN diébus illis. Dixit Dóminus ad Móyſen. Aſcénde ad me in mõtem, & eſto ibi: dabóque tibi duas tábulas lapídeas? & legem, ac mandáta, quæ ſcripſi: vt dóceas filios Iſráel. Surrexerúntque Móyſes, & Ióſue miníſter eius: aſcẽdénſque Móyſes in montẽ Dei, ſenióribus ait. Expectáte hîc: donec reuertámur ad vos. Habétis Aarõ, & Hur vobíſcũ: ſi quid natum fúerit quæſtiónis, referétis ad eos. Cumque aſcendíſſet Móyſes, opéruit nubes montẽ? & habitáuit glória Dómini ſuper Sýnai: tegẽs illum nube ſex diébus. Séptimo autẽ die: vocáuit eum de médio calíginis. Erat autẽ ſpécies glóriæ Dómini, quaſi ignis ardẽs ſuper vérticẽ montis: in conſpéctu filiórũ Iſráel. Ingreſſúſque Móyſes médium nébulæ? aſcéndit in montem: & fuit ibi quadragínta diébus, & quadragínta nóctibus.

℟. Tribulatiónes cordis mei dilatátæ ſunt, de neceſſitátibus meis éripe me Dómine.

℣. Vide humilitátem meam, & labórem meum: & dimítte ómnia peccáta mea.

Hic non repetatur, Dóminus vobíſcum.

ſed Orémus. Flectámus génua: Leuáte. Collecta

DEuotiónem pópuli tui, quǽſumus, Dómine, benígnus inténde: vt qui per abſtinéntiā macerántur in córpore ⁊ per fructū boni óperis reficiántur in mente. Per.

Léctio libri Regum. 3. cap. 19.

IN diébus illis. Vénit Elías in Berſabée Iúdę: & dimíſit ibi púerum ſuum, & perréxit in deſértum viam vnius diéi. Cumque veníſſet, & ſedéret ſubter vnam iuníperum: petíuit ánimæ ſuæ, vt morerétur, & ait. Súfficit mihi, Dómine: tolle ánimam meā: Neque enim mélior ſum, quàm patres mei. Proiecítque ſe: & obdormíuit in vmbra iuníperi. Et ecce Angelus Dómini tétigit eum: dixítque ei. Surge, cómede. Reſpéxit: & ecce ad caput ſuum ſubcinerítius panis, & vas aquæ. Comédit ergo, & bibit: & & rurſum obdormíuit. Reuerſúſque eſt Angelus Dómini ſecúndò, & tétigit eum: dixítque ei. Surge cómede: grandis enim tibi reſtat via. Qui cum ſurrexíſſet: comédit, & bibit. Et ambuláuit in fortitúdine cibi illíus: quadragínta diébus, & quadragínta nóctibus: vſque ad Montem Dei Horeb. Tractus.

DE neceſſitátibus meis éripe me, Dómine: vide humilitátem meam, & labórē meum: & dimítte ómnia peccáta mea. ℣. Ad te, Dómine, leuáui ánimam meam; Deus meus in te confido, non erubéſcam: neque irrídeant me inimíci mei. ℣. Etenim vniuérſi, qui te expéctant, non confundéntur: confundántur omnes faciéntes vana.

Secúndum Matthǽum. cap. 12.

IN illo témpore. Acceſſérūt ad Iéſum Scribæ & Phariſǽi: dicéntes. Magíſter: vólumus à te ſignum vidére. Qui reſpóndens: ait illis Generátio mala & adúltera ſignum quærit: & ſignum non dábitur ei, niſi ſignum Iónæ Prophétæ. Sicut enim fuit Iónas in ventre ceti tribus diébus, & tribus nóctibus: ſic erit Fílius hóminis in corde terræ tribus diébus, & tribus nóctibus. Viri Niniuítæ ſurgent in iudício cum generatióne iſta, & condemnábunt eam: quia pœniténtiam egérunt in prædicatióne Iónæ. Et ecce pluſquam Iónas hîc. Regína Auſtri ſurget in iudício cum generatióne iſta, & condemnábit eam: quia venit à fínibus terræ audíre ſapiéntiam Salomónis. Et ecce pluſquàm Sálomō hîc. Cum autem immúndus ſpíritus exíerit ab hómine: ámbulat per loca árida, quærens réquiem, & non inuénit. Tunc dicit. Reuértar in domum meam: vnde exíui. Et véniens, inuénit eā vacántem: ſcopis mundátam & ornátam. Tunc vadit, & aſſúmit ſeptem álios ſpíritus ſecum nequióres ſe: & intrántes hábitant ibi. Et fiunt nouíſſima hóminis illíus: peióra prióribus. Sic erit & generatióni huic péſſimæ. Adhuc eo loquénte ad turbas: ecce mater eius & fratres ſtabant foris, quæréntes loqui ei. Dixit autem ei quidam. Ecce mater tua & fratres tui foris ſtant: quæréntes te. At ipſe reſpóndēs: dicénti ſibi ait. Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? Et exténdens manum in diſcípulos ſuos: dixit. Ecce mater mea: & fratres mei. Quicúnque enim féceris volūtátem Patris mei qui in cœlis eſt: ipſe meus frater: & ſoror & mater eſt.

Offertorium. **Meditábor in mandátis tuis, quæ diléxi valde: & leuábo manus meas ad mandáta tua quæ diléxi.** Secreta.

HOſtias tibi, Dómine, placatiónis offérimus: vt & delícta noſtra miſerátus abſóluas, & nutántia corda tu dírigas. Per Dóminum.

Communio. **Intéllige clamórem meū: inténde voci oratiónis meę Rex meus, & Deus meus, quóniam ad te orábo Dómine.**

Poſtcom-

Poſtcommunio.

TVi, Dómine, perceptióne ſacraménti, & à noſtris mundémur occúltis; & ab hóſtium liberémur inſídiis. Per Dóminum.

Super populum.

MEntes noſtras, quæſumus, Dómine, lúmine tuæ claritátis illúſtra; vt vidére poſsímus quæ agénda ſunt, & quæ recta ſunt ágere valeámus. Per Dóminum.

FERIA QVINTA.

Statio ad S Laurẽtium foris murum.

Introitus.

COnféſſio, & pulchritúdo in cõpéctu eius: ſánctitas & magnificéntia in ſáctificatióne eius. Pſalmus. Cantáte Dómino cánticum nouum: cantáte Dómino omnis terra.

Collecta.

DEuotiónem pópuli tui, quæſumus, Dómine, benígnus inténde: vt qui per abſtinéntiã macerántur in córpore; per fructũ boni óperis reficiántur in mẽte. Per Dó.

Léctio libri Eſdræ. 2. cap. 1.

IN diébus illis. Oráuit Neemías, dicens. Quæſo, Dómine, fortis magne, atque terríbilis; qui cuſtódis pactum his qui díligunt mãdáta tua: fiat auris tua auſcúltans, & óculi apérti ad oratiónem ſerui tui, quam ego oro coram te hódie, nocte ac die pro ſeruis tuis, & cõfiteor pro peccátis eórum qui peccauérũt tibi. Meménto verbi tui: quod mandáſti Móyſi fámulo tuo, dicẽs. Si reuérſi fuéritis ad me, vt cuſtodiátis mandáta mea, & faciátis ea: étiam ſi adducti fuéritis ad extréma cæli, inde congregábo vos, & indúcam vos in locum quem elégi, vt hábitet nomẽ meum ibi. Et ipſi ſerui tui, & pópulus tuus, quos redemíſti in fortitúdine tua magna: & in manu tua válida. Et nũc, Dómine, ſit auris tua inténdẽs ad oratiónẽ fámuli tui, & ſeruórum tuórum qui volunt timére nomen tuũ: & dírige eos hódie. Et da miſericórdiam pópulo tuo: Dómine Deus noſter.

℟. **Cuſtódi me Dómine vt pupíllam óculi: ſub vmbra alárum tuárum prótege me.**

℣. **De vultu tuo iudícium meum pródeat, óculi tui vídeant æquitátes.**

Secúndum Ioánnem. cap. 5.

IN illo témpore. Dicébat Iéſus turbis Iudæórum. Non poſſum ego à meipſo fácere quicquam. Sicut aúdio iúdico; & iudíciũ meum iuſtum eſt: quia non quæro voluntátem meam, ſed voluntátem eius qui miſit me. Si ego teſtimónium perhíbeo de me: teſtimóniũ meum non eſt verum. Alius eſt qui teſtimónium pérhibet de me: & ſcio quia verum eſt teſtimónium, quod pérhibet de me. Vos miſíſtis ad Ioánnem: & teſtimónium perhíbuit veritáti. Ego autem nõ ab hómine teſtimónium accípio: ſed hęc dico, vt vos ſalui ſitis. Ille erat lucérna ardens, & lucens: vos autem voluíſtis exultáre ad horã in luce eius. Ego autem: hábeo teſtimónium maius Ioánne. Opera enim quæ dedit mihi Pater, vt perfíciã ea: ipſa ópera, quæ ego fácio, teſtimónium péthibent de me, quia Pater me miſit. Et qui miſit me Pater: ipſe teſtimóniũ perhíbuit de me. Neque vocẽ eius vnquam audíſtis: neque ſpéciem eius vidíſtis. Et verbum eius non habétis in vobis manẽs: quia quem miſit ille, huic vos non créditis. Scrutámini ſcrípturas: quia vos putátis in ipſis vitam ætérnam habére, & illæ ſunt quæ teſtimónium pérhibent de me. Et non vultis veníre ad me: vt vitam habeátis. Claritátem ab homínibus non accípio: ſed

Google

videant poténtiā tuam. Sicut enim in conſpéctu eórū ſanctificátus es in nobis: ſic in cōſpéctu noſtro magnificáberis in illis: vt cognóſcant te, ſicut & nos cognóuimus: quia non eſt Deus præter te Dómine. Innoua ſigna: & immúta mirabília. Glorífica manum: & bráchium dextrum. Excita furórem: & effúnde iram. Extólle aduerſárium: & afflíge inimícum. Feſtína tempus & meménto finis: vt enárrent magnália tua Dómine Deus noſter. ℟. Conuértere Dómine aliquántulum: & deprecáre ſuper ſeruos tuos. ℣. Dómine, refúgium factus es nobis, à generatióne & progénie. Orémus.

F lectámus génua: Leuáte.

ACtiónes noſtras, quǽſum' Dómine, & aſpirándo præueni, & adiuuándo proſéquere: vt cuncta noſtra operátio, & à te ſemper incípiat: & per te cœpta finiátur. Per.

5. Léctio Daniélis Prophétæ.

IN diébus illis. Angelus Dómini deſcéndit cum Azaría, & ſóciis eius. Require ſuperiùs in Sabbato quatuor temporum Aduentus Dómini. pag. 7.

Hymnus. B enedíctus es Dómine. Require ſimiliter ibidem. D óminus vobíſcum. non tamen F lectámus génua: Leuáte. ſed tantum. O rémus.

DEus, qui tribus púeris mitigáſti flammas ígnium: cōcéde propítius, vt nos fámulos tuos non exúrat flamma vitiórum. Per Dó.

Sequitur collecta de feſto, ſi occurrerit, vel pro præſenti, defuncto, deinde C oncéde nos fámulos. & nulla ampliùs.

Ad Theſſalonicénſes. 1. cap. 5.

FRatres. Rogámus vos, corrípite inquiétos: conſolámini puſillánimes, ſuſcípite infírmos, patiéntes eſtóte ad omnes. Vidéte ne quis malum pro malo alícui reddat: ſed ſemper quod bonum eſt ſectámini in ínuicem, & in omnes. Semper autem gaudéte: ſine intermiſſióne oráte, in ómnibus grátias ágite. Hæc eſt enim volúntas Dei in Chriſto Iéſu: in ómnibus vobis. Spíritū nolíte extínguere: prophetías nolíte ſpérnere. Omnia autē probáte: quod bonum eſt tenéte. Ab omni ſpécie mala: abſtinéte vos. Ipſe autem Deus pacis ſanctíficet vos per ómnia: vt integer ſpíritus veſter, & ánima, & corpus ſine queréla in diem aduéntus Dómini noſtri Iéſu Chriſti: ſeruétur. Tractus

LAudáte Dóminum omnes gentes: & collaudáte eum omnes pópuli. ℣. Quóniam confirmata eſt ſuper nos miſericórdia eius: & véritas Dómini manet in ætérnum.

Secúndum Matthæum. cap. 17.

IN illo témpore. Aſſúmpſit Iéſus Petrum, & Iacóbum, & Ioánnem fratrem eius: & duxit illos in montem excélſum ſeórſum, & trāſfigurátus eſt ante eos. Et reſplénduit fácies eius ſicut ſol: veſtiménta autem eius facta ſunt alba ſicut nix. Et ecce apparuérunt eis Móyſes, & Elías: cum eo loquéntes. Reſpóndens autem Petrus: dixit ad Iéſum. Dómine: bonum eſt nos hîc eſſe. Si vis: faciámus hîc tria tabernácula. Tibi vnum: & Móyſi vnum: & Elíæ vnum. Adhuc eo loquénte: ecce nubes lúcida obumbráuit eos. Et ecce vox de nube: dicens. Hic eſt Fílius meus diléctus: in quo mihi benè complácui. Ipſum audíte. Et audiéntes diſcípuli cecidérunt in fáciem ſuam: & timuérunt valde. Et accéſſit Iéſus, & tétigit eos: dixítque eis. Súrgite: nolíte timére. Leuántes autem óculos ſuos: néminem vidérunt, niſi ſolum Iéſum. Et deſcendéntibus illis de monte: præcépit eis Iéſus, dicens. Némini dixéritis viſiónem: donec Fílius hóminis: à mórtuis reſúrgat.

Offertorium. D ómine Deus ſalútis meæ, in die clamáui, & nócte coram te: intret orá

tio mea in cõſpéctu tuo, Dómine. Secreta.

PRæſéntibus ſacrificiis, Dómine, ieiúnia noſtra ſãctífica, vt quod obſeruántia noſtra profitétur extrínſecus, intériùs operétur. Per.

Communio. Dómine, Deus meus in te ſperáui: líbera me ab ómnibus perſequéntime, & éripe me. Poſtcommunio

SAnctificatiónibus tuis, omnípotens Deus, & vítia noſtra curéntur: & remédia nobis ætérna prouéniant. Per Dóminum.

DOMINICA SECVNDA in quadrageſima.

Statio ad S. Mariam.

Introitus.

REminíſcere miſeratiónum tuárum Dómine: & miſericórdiæ tuæ, quæ à ſæculo ſunt: ne vnquã domenéntur nobis inimíci noſtri: líbera nos, Deus Iſráel, ex ómnibus angúſtiis noſtris.

Pſalmus. Ad te Dómine leuáui ánimam meam: Deus meus in te confído, non erubéſcam. Collecta.

DEus, qui cónſpicis omnì nos virtúte deſtitui: intériùs, exteriúſque cuſtódi: vt & ab ómnibus aduerſitátibus muniámur in córpore: & à prauis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dómi.

Ad Theſſalonicénſes. 1. cap. 4.

FRatres. Rogámus vos, & obſecrámus in Dómino Ieſu: vt quẽádmodũ accepíſtis à nobis quómodo vos opórteat ambuláre, & placére Deo, ſicut & ambulátis, vt abũdétis magis. Scitis enim quæ præcépta déderim vobis: per Dóminũ Ieſum. Hæc eſt enim volúntas Dei, ſanctificátio veſtra: vt abſtineátis vos à fornicatióne, vt ſciat vnuſquíſque veſtrum ſuũ vas poſſidére in ſanctificatióne, & honóre, non in paſſióne deſidérij, ſicut & Gẽtes, quæ ignórant Deum. Et ne quis ſupergrediátur, neque circumueniat in negótio fratrẽ ſuum: quóniam vindex eſt Dóminus de his ómnibus, ſicut prędíximus vobis, & teſtificáti ſumus. Non enim vocáuit nos Deus in immundítiam: ſed in ſanctificatiónem. In Chriſto Ieſu: Dómino noſtro.

℟. Tribulatiónes cordis mei dilatátæ ſunt: de neceſſitátibus meis éripe me, Dómine. ℣. Vide humilitátẽ meam, & labórẽ meum: & dimítte ómnia peccáta mea. Tractus.

COnfitémini Dómino, quóniã bonus: quóniã in ſæculũ miſericórdia eius. ℣. Quis loquétur poténtias Dómini: audítas fáciet omnes laudes eius. ℣. Beáti qui cuſtódiunt iudícium: & fáciunt iuſtítiam in omni témpore. ℣ Meménto noſtri, Dómine, in beneplácito pópuli tui: víſita nos in ſalutári tuo.

Secúndum Matthæum. cap. 15.

IN illo témpore. Egréſſus Ieſus: ſeceſſit in partes Tyri & Sidónis. Et ecce múlier Chananǽa à fínibus illis egréſſa: clamáuit, dicens ei. Miſerére mei, fili Dauid: fília mea malè à dæmónio vexátur. Qui non reſpóndit ei verbum. Et accedéntes diſcípuli eius: rogábãt eum, dicẽtes. Dimitte eam: quia clamat poſt nos. Ipſe autem reſpóndens: ait. Non ſum miſſus: niſi ad oues quæ periérunt domus Iſráel. At illa venit: & adoráuit eum, dicens. Dómine: ádiuua me. Qui reſpóndit ei. Non eſt bonum ſúmere panem filiórum: & míttere cánibus. At illa dixit. Etiam Dómine. Nam & catélli edunt de micis: quæ cadunt de menſa dominórum ſuórum. Tunc reſpóndens Ieſus: ait illi. O múlier: magna eſt fides tua. Fiat tibi, ſicut vis. Et ſanáta eſt fília ei⁹: ex illa hora.

Offertorium. Meditábor in mandátis tuis, quæ diléxi valde: & leuábo manus meas ad man-

℞. Saluum fac ſeruum tuum, Deus meus, ſperántem in te. ℣. Aúribus pércipe Dómine oratiónem meam.

Tractus. Dómine non ſecúndum, &c.

Secúndum Ioánnem. cap. 5.

IN illo témpore. Erat dies, feſtus Iudæórum: & aſcéndit Iéſus Ieroſólymā. Eſt autem Ieroſólymis Probática piſcína, quæ cognominátur Hebráicè Bethſáida: quinque pórticus habēs. In his iacébat multitúdo magna languéntium: cæcórum, claudórum, & aridórum, expectántium aquę motum. Angelus autem Dómini ſecúndum tempus deſcendébat in piſcínam: & mouebátur aqua. Et qui prior deſcendébat in piſcínam, poſt motiónem aquæ: ſanus fiébat, à quacúnque tenebátur infirmitáte. Erat autē quidam homo ibi: trigínta & octo annos habens in infirmitáte ſua. Hūc cum vidíſſet Iéſus iacéntem, & cognouíſſet quia multū iam tempus habéret: dicit ei. Vis ſanus fieri? Reſpóndit ei lánguidus. Dómine: hóminem non hábeo: vt cum turbáta fúerit aqua, mittat me in piſcínam: Dum vénio enim ego: álius ante me deſcéndit. Dicit ei Iéſus. Surge tolle grabátum tuum: & ámbula. Et ſtatim ſanus factus eſt homo. & ſúſtulit grabátum ſuum, & ambulábat. Erat autem Sábbatum in illo die. Dicébāt Iudǽi illi qui ſanus fúerat. Sábbatum eſt: non lícet tibi tóllere grabátum tuū. Reſpóndit eis. Qui me fecit ſanū: ille mihi dixit, tolle grabátum tuum, & ámbula. Interrogauérunt ergo eum. Quis eſt ille homo, qui dixit tibi, tolle grabátum tuū, & ámbula? Is autē, qui ſanus fúerat effectus: neſciébat quis eſſet. Iéſus autem: declináuit à turba conſtitúta in loco. Póſtea inuénit eum Iéſus in tēplo: & dixit illi. Ecce ſanus factus es: iam noli peccáre, ne detérius, tibi áliquid contíngat. Abiit ille homo, & nuntiáuit Iudǽis: quia Iéſus eſſet: qui fecit eum ſanum.

Offertorium. Bénedic ánima mea Dómino: & noli obliuíſci omnes retributiónes eius, & renouábitur ſicut áquilæ iuuéntus tua. Secreta

SVſcipe, quǽſumus, Dn̄e, múnera noſtris obláta ſeruítiis, & tua propítius dona ſanctífica. Per Dó.

Communio. Erubéſcant, & conturbéntur omnes inimíci mei: auertántur retrórſum, & erubéſcant valde velóciter. Poſtcōmu.

PEr huius, Dómine, operatiónem myſtérij, & vítia noſtra purgéntur: & iuſta deſidéria impleántur. Per Dóminum.

Super populum.

EXaúdi nos miſéricors Deus: & méntibus noſtris grátiæ tuæ lumen oſténde. Per Dóminum.

SABBATO IN XII. LECT.

Statio ad S. Petrum.

Introitus.

INTRET orátio mea in conſpéctu tuo: inclina aurem tuam ad precem meam, Dómine. Pſalmus. Dómine Deus ſalútis meæ: in die clamáui, & nocte coram te. Hîc non dicitur, Dóminus vobíſcum. vſque poſt Hymnum, Benedíctus. ſed Orémus. Flectámus génua: Leuáte.

POpulum tuū, quǽſumus, Dómine, propítius réſpice: atque ab eo flagélla tuæ iracúndiæ clementer auérte. Per Dóminum.

1. Lectio libri Deuteronómij. c. 26.

IN diébus illis. Locútus eſt Móyſes ad Dóminum, dicēs. Réſpice Dómine de ſanctuário tuo: & de excélſo cælórum habitáculo: & bénedic pópulo tuo Iſráel, & terre, quam dediſti nobis: ſicut iuráſti

mandáta tua, quæ diléxi. Secreta.

SAcrificiis præſéntibus, Dómine, quǽſumus, inténde placátus: vt & deuotióni noſtræ proficiant & ſalúti. Per Dóminum.

Communio. Intéllige clamórē meum: inténde voci oratiónis meæ: Rex meus, & Deus meus: quóniam ad te orábo Dómine.

Poſtcommunio.

SVpplices te rogámus, omnípotens Deus: vt quos tuis réficis ſacraméntis, tibi étiam plácitis móribus deſeruíre concédas. Per Dómi.

FERIA SECVNDA.

Statio ad S. Clementem.

Introitus.

REdime me Dómine, & miſerére mei: pes enim meus ſtetit in via recta: in Eccléſiis benedícam Dóminum.

Pſalm. Iúdica me Dómine, quóniam ego in innocéntia mea ingréſſus ſum: & in Dómino ſperās non infirmábor. Glória patri.

Collecta.

PRæſta, quǽſumus, omnípotens Deus: vt família tua, quæ, ſe affligéndo carne, ab aliméntis ábſtinet, ſectándo iuſtítiam à culpa ieiúnet. Per Dóminum.

Léctio Daniélis Prophétæ. cap. 9.

IN diébus illis. Oráuit Dániel, dicens. Dómine Deus noſter, qui eduxíſti pópulum tuum de terra Ægypti in manu forti, & fecíſti tibi nomen ſecúndum diem hanc: peccáuimus, iniquitátem fécimus, Dómine, in omnem iuſtítiam tuam. Auertátur, óbſecro, ira tua & furor tuus à ciuitáte tua Ierúſalem: & à mōte ſancto tuo. Propter peccáta enim noſtra, & iniquitátes patrum noſtrórum: Ierúſalem & pópulus tuus in oppróbrium ſunt ómnibus per circúitum noſtrum. Nunc ergo exaúdi Deus noſter oratiónem ſerui tui & preces eius, & oſténde fáciem tuam ſuper ſanctuárium tuum: quod deſértum eſt. Propter temetípſum inclína Deus meus aurem tuam, & audi, áperi óculos tuos, & vide deſolatiónem noſtram: & ciuitátem ſuper quam inuocátum eſt nomen tuum. Neque enim in iuſtificatiónibus noſtris proſtérnimus preces ante fáciem tuam: ſed in miſeratiónibus tuis multis. Exaúdi Dómine: placáre Dómine: atténde, & fac. Ne moréris propter temetípſum Deus meus: quia nomen tuum inuocátum eſt ſuper ciuitátem, & ſuper pópulum tuum: Dómine Deus noſter.

℟. Adiútor meus, & liberátor meus eſto Dómine: ne tardáueris. ℣. Confundántur, & reuereántur inimíci mei, qui quærunt ánimam meam.

Tractus. Dómine non ſecúndum, &c.

Secúndum Ioánnem. cap. 8.

IN illo témpore. Dixit Ieſus turbis Iudæórū. Ego vado & quærétis me: & in peccáto veſtro moriémini. Quò ego vado: vos non potéſtis veníre. Dicébant ergo Iudǽi. Nūquid interfíciet ſemetipſum, quia dicit quò ego vado, vos non potéſtis veníre? Et dicébat eis. Vos de deórſū eſtis: ego de ſupérnis ſum. Vos de mūdo hoc eſtis: ego non ſū de hoc mundo. Dixi ergo vobis: quia moriémini in peccátis veſtris. Si enim nō credidéritis, quia ego ſum: moriémini in peccáto veſtro. Dicébant ergo ei. Tu quis es? Dixit eis Ieſus. Princípiū: qui & loquor vobis. Multa hábeo de vobis loqui, & iudicáre: ſed qui miſit me verax eſt. Et ego, quæ audíui ab eo: hæc loquor in mundo. Et non cognouérunt: quia de Patre eis dicébat. Dixit ergo eis Ieſus. Cū exaltauéritis Filiū hóminis: unc cognoſcétis quia ego ſum,

Digitized by Google

& à meipſo fácio nihil, ſed ſicut dócuit me Pater hæc loquor. Et qui me miſit mecum eſt: & non relinquit me ſolum, quia ego, quæ, plácita ſunt ei: fácio ſemper.

Offertorium. Benedícam Dóminum, qui mihi tríbuit intelléctum: prouidébā Deum in conſpéctu meo ſemper: quóniam à dextris eſt mihi ne commóuear. Secreta.

HÆc hóſtia, Dómine, placatiónis, & laudis, tua nos propitiatióne dignos efficiat. Per Dómi.

Cōmunio. Dómine, Dóminus noſter, quā admirábile eſt nomen tuum in vniuérſa terra. Poſtcommunio.

HÆc nos commúnio, Dómine, purget à crímine: & cœléſtis remédij fáciat eſſe conſórtes. Per.

Super populum. Oratio.

ADéſto ſupplicatiónibus noſtris omnípotens Deus: & quibus fidúciam ſperándæ pietátis indúlges: conſuétæ miſericórdiæ tríbue benígnus effectum. Per Dómi.

FERIA TERTIA.

Statio ad S. Balbinam.

Introitus.

TIbi dixit cor meum, quæſíui vultum tuum: vultum tuum Dómine, requíram: ne auértas fáciē tuam à me.

Pſalmus. Dóminus illuminátio mea, & ſalus mea: quem timébo? Collecta

PErfice, quæſumus, Dómine, benígnus in nobis obſeruántiæ ſanctæ ſubſídium: vt quæ, te authóre, faciénda cognóuimus: te operánte, impleámus. Per Dómi.

Léctio libri Regum. 3. cap. 17.

IN diébus illis. Factum eſt verbum Dómini ad Elíam Thesbítem, dicens. Surge & vade in Saréptam Sydoniórum: & manébis ibi. Præcépi enim ibi mulíeri víduæ: vt paſcat te. Surréxit: & ábiit in Saréptam. Cumque veníſſet ad portam ciuitátis: appáruit ei múlier vídua cólligens ligna. Et vocáuit eam: dixítque ei. Da mihi paúlulùm aquæ in vaſe: vt bibam. Cumque illa pérgeret vt afférret: clamáuit poſt tergum eius, dicens. Affer mihi, óbſecro: & buccéllam panis in manu tua. Quæ reſpóndit. Viuit Dóminus Deus tuus: quia non hábeo panem, niſi quantum pugíllus cápere poteſt farínæ in hýdria, & paúlulum ólei in lécytho. En cólligo duo ligna: vt ingrédiar, & fáciam illud mihi, & fílio meo, vt comedámus, & moriámur. Ad quam Elías ait. Noli timére: ſed vade, & fac ſicut dixíſti. Verúntamen mihi fac primùm de ipſa farínula ſubcinerítium panem páruulum: & affer ad me. Tibi autem, & fílio tuo: fácies póſtea. Hæc autem dicit Dóminus Deus Iſráel, Hýdria farínæ non defíciet, nec lécythus ólei minuétur: vſque ad diem in qua datúrus eſt Dóminus plúuiam ſuper fáciem terræ. Quæ ábiit: & fecit iuxta verbū Elíæ. Et comédit ipſe, & illa: & domus eius. Et ex illa die hýdria farínæ non defécit, & lécythus ólei non eſt imminútus: iuxta verbum Dómini: quod locútus fúerat in manu Elíæ.

℟ Iacta cogitátum tuum in Dómino, & ipſe te enútriet. ℣. Dum clamárem ad Dóminum exaudíuit vocem meam ab his, qui appropínquant mihi.

Secúndum Matthæum. cap. 23.

IN illo témpore. Locútus eſt Iéſus ad turbas, & ad diſcípulos ſuos: dicens. Super cáthedram Móyſi: ſedérunt Scribæ, & Phariſæi. Omnia ergo quæcúnque díxerint vobis: ſeruáte, & fácite. Secúndum verò ópera eórū: nolíte fácere. Dicunt enim: & non fáciunt. Alligant autē ónera gráuia, & importabília: & impó

nunt

nunt in húmeros hóminum: dígito autem ſuo nolũt ea mouére. Omnia verò ópera ſua fáciũt: vt videántur ab homínibus. Dilátant enim phylactéria ſua: & magníficãt fímbrias. Amant autem primos recúbitus in cœnis, & primas cáthedras in Synagógis: & ſalutatiónes in foro, & vocári ab homínibus Rabbi. Vos autem: nolíte vocári Rabbi. Vnus eſt enim Magíſter veſter. Omnes autem vos: fratres eſtis. Et Patrem nolíte vocáre vobis ſuper terram. Vnus eſt enim Pater veſter: qui in cœlis eſt. Nec vocémini Magíſtri: quia Magíſter veſter vnus eſt Chriſtus. Qui maior eſt veſtrum: erit miníſter veſter. Qui autem ſe exaltáuerit, humiliábitur: & qui ſe humiliáuerit: exaltábitur.

Offertorium. **Miſerére mihi Dómine: ſecúndum magnam miſericórdiam tuã dele Dómine, iniquitátem meam.**

Secreta.

SAnctificatiónem tuam nobis, Dómine, his myſtériis placátus operáre: quæ nos, & à terrénis purget vítiis, & ad cœléſtia dona perdúcat. Per Dóminum.

Cõmunio **Narrábo ómnia mirabília tua, lætábor, & exultábo in te pſallam nómini tuo Altíſſime.**

Poſtcommunio.

VT ſacris, Dómine, reddámur digni munéribus: fac nos tuis, quæſumus, obedíre mandátis. Per Dóminum noſtrum.

Super populum. Oratio.

PRopitiáre, Dómine, ſupplicatiónibus noſtris: & animárum noſtrárum medére languóribus: vt remiſſióne percépta: de tua ſemper benedictióne lætémur. Per Dóminum noſtrum Iéſum Chriſtum Filium tuum. Qui.

FERIA QVARTA.

Statio ad ſanctam Cæciliam.

Introitus.

NE derelínquas me, Dómine Deus meus, ne diſcédas à me: inténde in adiutóriũ meum, Dómine virtus ſalútis meæ.

Pſalmus. **Dómine ne in furóre tuo árguas me: neq; in ira tua corrípias me.** Collecta.

POpulum tuum Dómine, propítius réſpice: & quos ab eſcis carnálibus præcipis abſtinére: à nóxiis quoque vítiis ceſsáre concéde. Per Dóminum noſtrum.

Léctio libri Eſter, cap. 13.

IN diébus illis. Oráuit Mardochæus ad Dóminum, dicens. Dómine Deus, Rex omnípotens, in ditióne tua cuncta ſunt póſita: & nõ eſt, qui poſſit tuæ reſíſtere voluntáti. Si decréueris ſaluáre nos: cõtinuò liberábimur. Tu enim Dómine, feciſti cœlum, & terrã: & quicquid cœli ámbitu cõtinétur. Tu es Deus ómnium: & non eſt, qui reſíſtat maieſtáti tuæ. Et nũc Dómine, Rex Regum, Deus Abráham miſerére pópulo tuo: quia volunt nos inimíci noſtri pérdere, & hæreditátem tuam delére. Ne deſpícias partem tuam, quam redemíſti tibi: ſed exáudi deprecatiónem meam: & propítius eſto ſorti, & funículo hæreditátis tuæ. Et conuérte luctum noſtrum in gáudium: vt viuéntes laudémus nomen tuum. Et non claudas ora canéntium te: Dómine Deus noſter.

℟. **Saluum fac pópulum tuum Dómine: & & bénedic hæreditáti tuæ.** ℣. **Ad te, Dómine, clamáui, Deus meus ne ſíleas à me, & ero ſímilis deſcendéntibus in lacum.**

Tractus **Dómine non ſecúndum,** &c.

Secúndum Matthæum, cap. 20.

IN illo témpore. Aſcéndens Iéſus Ieroſólymam: aſſúmpſit duóde-

cim diſcípulos ſuos ſecrétò, & ait illis. Ecce aſcéndimus Ieroſólymã: & Fílius hóminis tradéturPrincípibus Sacerdótum & Scribis, & condemnábũt eum morte. Et tradent eumGéntibus ad deludéndũ:& flagellándum, & crucifigéndũ.Et tértia die reſúrget.Tunc accéſſit ad eũ mater filiórum Zebedǽi cum fíliis ſuis:adórans,& petẽs aliquid ab eo. Qui dixit ei.Quid vis?Ait illi.Dic,vt ſédeãt hi duo fílij mei vnus ad déxteram tuam, & vnus ad ſiníſtram: in regno tuo. Reſpóndens autẽ Iéſus dixit.Neſcítis quid petátis.Poteſtis bíbere cálicem,quem ego bibitúrus ſum?Dicunt ei.Póſſumus.Ait illis. Cálicem quidẽ meum bibétis: ſedére autem ad déxteram meam, & ad ſiníſtram,non eſt meum dare vobis, ſed quibus parátũ eſt à Patre meo. Et audiéntes decẽ: indignáti ſunt de duóbus frátribus. Iéſus autem vocáuit eos ad ſe: & ait. Scitis quia príncipes Géntium dominántur eórum, & qui maióres ſunt poteſtátẽ exércent in eos?Non ita erit inter vos. Sed quicúnque volúerit inter vos maior fíeri:ſit veſter miníſter. Et qui volúerit inter vos primus eſſe:erit veſter ſeruus.Sicut Fílius hóminis non venit miniſtrári, ſed miniſtráre:& dare ánimã ſuam: in redemptiónem pro multis.

Offertorium. Ad te Dómine leuáui ánimã meam, Deus meus in te confido non erubéſcam: neque irrídeant me inimíci mei, étenim vniuérſi,qui te expéctant,non confundéntur. Secreta

HOſtias, Dñe, quas tibi offérimus propítius réſpice: & per hæc ſancta cõmercia, víncula peccatórum noſtrórum abſólue.Per.

Communio. Iuſtus Dóminus, & iuſtítias diléxit: æquitátem vidit vultus eius.

Poſtcommunio.

SVmptis,Dómine,ſacraméntis ad redemptiónis ætérnæ, quǽſumus, proficiámus augméntum. Per Dóminum noſtrum.

Super populum.

DEus innocéntiæ reſtitútor & amátor dírige ad te tuórum corda ſeruórum: vt Spíritus tui feruóre concépto,& in fide inueniántur ſtábiles & in ópere efficáces. Per. eiúſdem.

FERIA QVINTA.

Statio ad S. Mariam trans Tiberim.

Introitus.

DEus in adiutórium meũ inténde: Dómine ad adiuuãdum me feſtína: cõfundántur, & reuereántur inimíci mei, qui quærũt ánimam meam. Pſalmus. Auertántur retrórſum,& erubéſcant: qui cógitant mihi mala. Collecta.

PRæſta nobis, Dómine, quǽſumus,auxílium grátiæ tuæ:vt ieiúniis,& oratiónibus conueniénter inténti liberémur ab hóſtibus mẽtis, & córporis.Per Dóminum.

Léctio Ieremíæ Prophétæ.

Tren. Cap. 3.

IN diébus illis. Locútus eſt Ieremías Prophéta, dicens. Miſericórdiæ Dómini multæ: quia non ſumus conſúmpti, quia non defecérunt miſeratiónes eius. Pars mea Dóminus, dixit ánima mea: proptérea expectábo eum. Bonus eſt Dóminus ſperántibus in eum: ánimæ quærénti illum.Bonum eſt præſtolári cum ſiléntio ſalutáre Dei: quia non repéllet in ſempitérnum Dóminus, ſed miſerébitur ſecúndum multitúdinem miſericordiárum ſuárum. Scrutémur vias noſtras, & quærámus, & reuertámur ad Dóminum: leuémus corda noſtra cum mánibus ad Dóminum in cælo.

cœlo. Ne auértas Dómine aurem tuã à ſingúltu meo: & clamóribus. Appropinquáſti enim in die quãdo inuocáui te: dicens. Ne tímeas: quia ego ſum Dóminus Deus tuus.

℟. Propítius eſto Dómine peccátis noſtris: nequándo dicant gentes, vbi eſt Deus eórũ? ℣. Adiuua nos Deus ſalutáris noſter: & propter honórem nóminis tui Dñe líbera nos.

Secúndum Ioánnem. cap. 6.

IN illo témpore. Dixit Iéſus turbis. Operámini non cibum qui perit; ſed qui pérmanet in vitam ętérnam: quem Fílius hóminis vobis dabit. Hunc enim Pater ſignáuit Deus. Dixérunt ergo ad eum. Quid faciémus vt operémur ópera Dei? Reſpóndit Iéſus: & dixit eis. Hoc eſt opus Dei: vt credátis in eum, quem miſit ille. Dixérũt ergo ei. Quod ergo tu facis ſignum, vt videámus, & credámus tibi? Quid operáris? Patres noſtri manna manducauérunt in deſérto: ſicut ſcriptum eſt. Panẽ de cœlo dedit eis manducáre. Dixit ergo eis Iéſus. Amen amẽ dico vobis: nõ Móyſes dedit vobis panem de cœlo, ſed Pater meus dat vobis panẽ de cœlo verũ. Panis enim Dei eſt: qui deſcéndit de cœlo, & dat vitã mundo. Dixérunt ergo ad eum. Dómine: ſemper da nobis panem hũc. Dixit autẽ eis Iéſus. Ego ſum panis vitę. Qui venit ad me non eſúriet: & qui credit in me: non ſitiet vnquam.

Offertorium. Precátus eſt Móyſes in conſpéctu Dómini Dei ſui, & dixit, quare Dómine iráſceris in pópulo tuo? parce iræ ánimi tui: meménto Abráham Iſaac, & Iacob, quibus iuráſti dare terram fluéntem lac, & mel, & placátus factus eſt Dóminus de malignitáte, quam dixit fácere pópulo ſuo. Secreta

PRæſénti ſacrifício nómini tuo nos, Dómine, ieiúnia dicáta ſanctíficent: vt quod obſeruántia noſtra profitétur extérius, intérius, operétur effectu. Per Dóminum.

Cómunio. Qui mandúcat carnem meam, & bibit ſánguinem meum, in me manet, & ego in eo, dicit Dóminus. Poſtcommunio.

GRátia tua nos, quæſumus, Dómine, nõ derelínquat; quæ nobis opem ſemper acquírat. Per Dó.

Super populum. Oratio.

ADéſto, Dómine, fámulis tuis; & perpétuam benignitátẽ largíre poſcéntibus: vt his, qui te auctóre, & gubernatóre gloriántur, & congregáta reſtáures; & reſtauráta conſérues. Per Dóminum.

FERIA SEXTA.

Statio ad S. Vitalem.

Introitus.

EGo autẽ cum iuſtítia apparébo in cõſpéctu tuo: ſatiábor dũ manifeſtábitur glória tua. Pſalm. Exaúdi Dómine iuſtítiã meam: inténde deprecatiónem meam. Collecta

DA, quæſumus, omnípotẽs De⁹, vt ſacro nos purificánte ieiúnio; ſincéris méntibus ad ſancta vẽtúra fácias peruenire. Per Dóminũ.

Lectio libri Géneſis. cap. 37.

IN diébus illis. Dixit Ióſeph frátribus ſuis. Audíte ſómniũ meum, quod vidi. Putábam nos ligáre manípulos in agro: & quaſi conſúrgere manípulũ meum, & ſtare, veſtróſque manípulos circunſtántes adoráre manípulum meum. Reſpondérunt fratres eius. Nunquid Rex noſter eris, aut ſubiiciémur ditióni tuę? Hæc ergo cauſa ſomniórum atque ſermónũ: inuídiæ, & ódij fómitem miniſtrábat. Aliud quoq; vidit ſómnium: quod narrans frátribus, ait. Vidi per ſómnium: quaſi Solem, & Lunam, & ſtellas vndecim, adoráre me. Quod cum patri ſuo, & frátribus retuliſſet: increpáuit eum pater,

Digitized by Google

& dixit. Quid ſibi vult hoc ſómniũ quod vidiſti? Num ego, & mater tua, & fratres tui adorábimus te ſuper terram? Inuidébant ergo ei fratres ſui: pater verò rem tácitus conſiderábat. Cúmque fratres illíus in paſcéndis grégibus patris moraréntur in Sichem: dixit ad eum Iſráel. Fratres tui paſcunt oues in Síchimis: veni, mittam te ad eos. Quo reſpondénte, præſto ſum: ait. Vade, & vide ſi cuncta próſpera ſint erga fratres tuos, & pécora: & renúntia mihi, quid agátur. Miſſus de valle Hebrõ: venit in Sichem. Inuenítque eum vir errántẽ in agro: & interrogáuit, quid quæreret. At ille reſpóndit. Fratres meos quæro: índica mihi vbi paſcant greges. Dixítque ei vir. Receſſérunt de loco iſto: audíui autẽ eos dicéntes, eámus in Dóthaim. Perréxit ergo Ióſeph poſt fratres ſuos: & inuénit eos in Dóthaim. Qui cũ vidiſſent eum procul ántequam accéderet ad eos: cogitauérunt illum occídere, & mútuò loquebántur. Ecce ſomniátor venit: veníte, occidámus eum, & mittámus in ciſtérnam véterem: dicemúſque fera péſſima deuoráuit eũ. Et tunc apparébit: quid illi proſint ſómnia ſua. Aúdiens hoc Ruben, nitebátur liberáre eum de mánibus eórum: & dicébat. Non interficiámus ánimam eius, nec effundámus ſánguinem: ſed proiícite eũ in ciſtérnam véterem hanc, quæ eſt in ſolitúdine, manúſque veſtras ſeruáte innóxias. Hoc autem dicébat: volens erípere eum de mánibus eórum: & réddere patri ſuo.

℟. Ad Dóminum, cum tribulárer clamáui, & exaudíuit me. ℣. Dómine libera ánimam meam à lábiis iníquis: & à lingua dolóſa.

Tractus. Dómine non ſecúndum, &c.

Secúndum Matthǽum. cap. 21.

IN illo témpore. Dicébat Ieſus turbis Iudæórum. Homo erat paterfamílias, qui plantáuit víneam: & ſepem circúndedit ei, & fodit in ea tórcular, & ædificáuit turrem, & locáuit eam agrícolis, & péregrè profectus eſt. Cum autem tempus frúctuum appropinquáſſet: miſit ſeruos ſuos ad agrícolas, vt accíperent fructus eius. Et agrícolæ apprehénſis ſeruis eius: álium cæcidérunt, álium occidérunt, álium verò lapidauérunt. Iterum miſit álios ſeruos plures prióribus: & fecérunt illis ſimíliter. Nouiſſimè autem miſit ad eos Filium ſuum: dicens. Verebúntur Filium meum. Agrícolæ autem vidéntes Fílium: dixérunt intra ſe. Hic eſt hæres. Veníte, occidámus eum: & habébimus hæreditátem eius. Et apprehénſum eum eiecérunt extra víneam: & occidérunt. Cum ergo vénerit Dóminus víneæ, quid fáciet agrícolis illis? Aiunt illi. Malos male perdet: & víneam ſuam locábit áliis agrícolis, qui reddant ei fructum tempóribus ſuis. Dicit illis Ieſus. Nunquam legíſtis in ſcriptúris, lápidem, quem reprobauérunt ædificántes, hic factus eſt in caput ánguli, à Dómino factum eſt iſtud, & eſt mirábile in óculis noſtris? Ideo dico vobis: quia auferétur à vobis regnũ Dei, & dábitur Genti faciénti fructus eius. Et qui cecíderit ſuper lápidem iſtum: confringétur. Super quem verò cecíderit: cónteret eum. Et cum audiſſent Príncipes Sacerdótum, & Phariſǽi parábolas eius: cognouérunt quòd de ipſis díceret. Et quæréntes eum tenére timuérũt turbas: quóniam ſicut Prophétam eum habébant.

Offertorium. Dómine in auxílium meũ réſpice: confundántur, & reuereántur, qui quærunt ánimam meam, vt aúferant eam.

Secreta.

HÆc in nobis ſacrifícia, Deus, & actióne permáneant: & operatióne firméntur. Per Dóminum.

Communio. Tu Dómine ſeruábis nos: &

cuſtódies

cuſtódies nos à generatióne hac in ætérnū.

Poſtcommunio.

FAc nos, Dómine, quǽſumus, accépto pignore ſalútis ætérnæ, ſic téndere cōgruénter; vt ad eam perueníre poſsímus. Per Dóminum.

Super populum.

DA, quǽſumus, Dómine, pópulo tuo ſalútem mentis, & córporis: vt bonis opéribus inhæréndo; tuæ ſempervirtútis mereátur protectióne defendi. Per Dóminum.

SABBATO.

Statio ad SS. Marcellinum & Petrum.

Introitus.

LEx Dómini irrepræhensíbilis conuértens ánimas: teſtimóniū Dei fidéle ſapiētiā præſtans párvulis.

Pſalmus. Cœli enárrant glóriam Dei: & ópera mánuum eius annúntiat firmaméntum.

Collecta

DA, quǽſumus, Dómine, noſtris effectum ieiúniis ſalutárem: vt caſtigátio carnis aſsúmpta; ad noſtrárum vegetatiónem tránſeat animárum. Per Dóminum.

Léctio libri Généſis. cap. 27.

IN diébus illis. Dixit Rebécca fílio ſuo Icob. Audíui patrem tuum loquéntem cum Eſáu fratre tuo: & dicéntē ei. Affer mihi de venatióne tua: & fac cibos vt cómedam, & benedícam tibi coram Dómino ántequàm móriar. Nunc ergo, fili mi, acquiéſce consíliis meis: & pergens ad gregē, affer mihi duos hœdos óptimos, vt fáciam ex eis eſcas patri tuo, quibus libénter véſcitur. Quas cum intúleris, & coméderit: benedícat tibi priúſquā moriátur. Cui ille reſpōdit. Noſti quòd Eſáu frater meus homo pilóſus ſit, & ego lenis? Si attrectáuerit me pater meus, & ſénſerit; tímeo ne putet me ſibi voluíſſe illúdere: & indúcat ſuper me maledictiónē, pro benedictióne. Ad quē mater. In me ſit, ait, iſta maledíctio, fili mi: tantum audi vocem meam, & pergens affer quæ dixi. Abiit, & áttulit: dedítque matri. Paráuit illa cibos, ſicut nóuerat velle patrē illíus: & véſtibus Eſáu valde bonis, quas apud ſe habébat domi, índuit eum Pelliculáſque hœdórum circúndedit mánibus: & colli nuda protéxit Dedit pulméntum: & panes, quos cóxerat, trádidit. Quibus illátis: dixit. Pater mi. At ille reſpóndit. Aúdio. Quis es tu, fili mi? Dixítque Iacob. Ego ſum Eſáu primogénitus tuus: feci ſicut præcepíſti mihi. Surge, ſede, & cómede de venatióne mea: vt benedícat mihi ánima tua. Rurſum Iſaac ad filium ſuum. Quómodo inquit tam citò inueníre potuíſti, fili mi? Qui reſpóndit. Volúntas Dei fuit: vt citò mihi occúrreret, quod volébam. Dixítque illi Iſaac. Accéde huc, vt tangam te, fili mi: & probem vtrum, tu ſis fílius meus Eſáu, an non. Accéſſit ille ad patrē: & palpáto eo, dixit Iſaac. Vox quidem vox Iacob eſt: ſed manus manus ſūt Eſáu. Et non cognóuit eum: quia pilóſæ manus ſimilitúdinē maióris expréſſerant. Benedícēs ergo illi: ait. Tu es fílius meus Eſáu? Reſpóndit, Ego ſum. At ille. Affer, inquit, mihi cibos de venatióne tua, fili mi: vt benedícat tibi ánima mea. Quos cū oblátos comedíſſet: óbtulit ei étiam vinum. Quo hauſto: dixit ad eum. Accéde ad me: & da mihi óſculum, fili mi. Accéſſit: & oſculátus eſt eum. Statímque vt ſenſit veſtimentórum illíus fragrántiam: benedícens, ait. Ecce odor fílij mei ſicut odor agri pleni: cui benedíxit Dóminus. Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguédine terræ abundántiam fruménti,

& vini:& ſeruiāt tibi pópuli, & adórent te Tribus. Eſto dóminus fratrū tuórum: & incuruéntur antè te filij matris tuæ. Qui maledíxerit tibi, ſit ille maledíctus:& qui benedíxerit tibi, benedictiónibus repleátur. Vix Iſaac ſermónē impléuerat, & egréſſo Iacob foras: venit Eſáu. Coctóſque de venatióne cibos: íntulit patri dicēs. Surge, pater mi, & cómede de venatióne filij tui: vt benedícat mihi ánima tua. Dixítque illi Iſaac. Quis enim es tu? Qui reſpóndit. Ego ſum filius tuus primogénitus Eſáu. Expáuit Iſaac ſtupóre vehementi:& vltra quàm credi poteſt, admirátus, ait. Quis ígitur ille eſt, qui dudū captam venatiónem áttulit mihi, & comédi ex ómnibus priúſquā tu venires? Benedixíque ei: & erit benedíctus. Audítis Eſáu ſermónibus patris, irrúgiit clamóre magno:& conſternátus, ait. Bénedic étiam & mihi, pater mi. Qui ait. Venit germánus tuus fraudulénter: & accépit benedictiónem tuam. At ille ſubiúnxit. Iuſtè vocátum eſt nomē eius Iacob: ſupplātáuit enim me en áltera vice. Primogénita mea ante tulit:& nunc ſecúndò ſubrípuit benedictiónem meam. Rurſúmque ad patrē. Nunquid non reſeruáſti (ait) & mihi benedictiónem? Reſpóndit Iſaac. Dóminum tuum illū conſtítui, & omnes fratres illíus ſeruitúti eius ſubiugáui? frumento & vino ſtabiliui eū: & tibi poſt hæc, fili mi, vltrà quid fáciam? Cui Eſáu. Num vnam benedictiónem, inquit, tantum habes pater? Mihi quoque, óbſecro, vt benedícas. Cumque eiulátu magno fleret: motus Iſaac, dixit ad eum. In pinguédine terræ, & in rore cœli déſuper: erit benedíctio tua.

℟. **Bonum eſt confitéri Dómino, & pſállere nómini tuo, Altíſſime.** ℣. **Ad annuntiándum manè miſericórdiam tuā, & veritátem tuam per noctem.**

Secúndum Lucam. cap. 15.

IN illo témpore. Dicébat Ieſus turbis Iudæórum. Homo quidā hábuit duos filios: & dixit adoleſcéntior ex illis patri. Pater: da mihi portiónem ſubſtántiæ, quę me contíngit. Et diuiſit illis ſubſtántiā. Et non poſt multos dies: congregátis ómnibus, adoleſcéntior filius péregrè profèctus eſt in regiónem lōgínquā, & ibi diſſipáuit ſubſtántiam ſuam, viuéndo luxurióſè. Et poſtquā ómnia conſummáſſet: facta eſt fames válida in regióne illa, & ipſe cœpit egére. Et ábiit, & adhæſit vni ciuiū regiónis illíus: & miſit illū in villam ſuam, vt páſceret porcos. Et cupiébat implére ventrē ſuum de ſíliquis, quas porci manducábant: & nemo illi dabat. In ſe autem reuérſus: dixit. Quanti mercenárij in domo patris mei abúndant pánibus, ego autem hic fame péreo? Surgam, & ibo ad patrem meum: & dicam illi. Pater: peccáui in cœlum & coram te: iam non ſum dignus vocári filius tuus, fac me ſicut vnum de mercenáriis tuis. Et ſurgēs: venit ad patrem ſuū. Cum autem adhuc longè eſſet: vidit illū pater ipſíus, & miſericórdia motus eſt. Et accúrrēs cécidit ſuper collum eius: & oſculátus eſt eū. Dixítque ei filius. Pater: peccáui in cœlum, & coram te: iam non ſum dignus vocári filius tuus. Dixit autem pater ad ſeruos ſuos. Citò proférte ſtolam primam, & indúite illum: & date ánnulū in manū eius, & calceaménta in pedes. Et addúcite vitulū ſaginátū, & occídite? & manducémus, & epulémur: quia hic filius meus mórtuus erat, & reuíxit, períetat, & inuéntus eſt. Et cœpérūt epulári. Erat autem filius eius ſénior in agro. Et cum veníret, & appropinquáret dómui: audíuit ſymphóniā & chorum. Et vocáuit vnum de ſeruis: & interrogáuit, quæ hæc eſſent

Iſque-

Iſque dixit illi. Frater tuus venit, & occídit pater tuus vítulũ ſaginátũ: quia ſaluum illum recépit. Indignátus eſt autẽ: & nolébat introíre. Pater ergo illíus egréſſus: cœpit rogáre illũ. At ille reſpõdẽs: dixit patri ſuo. Ecce tot annis ſéruio tibi, & nunquã mandátum tuum præteríui: & nunquam dediſti mihi hœdum, vt cum amícis meis epulárer. Sed poſtquam fílius tuus hic, qui deuorãuit ſubſtãtiam ſuam cum meretrícibus, venit: occidiſti illi vítulum ſaginátum. At ipſe dixit illi. Fili: tu ſemper mecum es: & ómnia mea tua ſunt. Epulári autẽ, & gaudére oportébat: quia frater tuus hic, mórtuus erat, & reuíxit. Períerat: & inuéntus eſt.

Offertor. **Illúmina óculos meos, nequándo obdórmiã in morte: nequándo dicat inimícus meus, præuálui aduérſus eum.** Secreta

His ſacrificiis, Dómine, concéde placátus, vt qui própriis orámus abſólui delíctis: non grauémur extérnis. Per Dóminum.

Communio. **O pórtet te, fili, gaudére, quia frater tuus mórtuus fúerat, & reuíxit: períerat, & inuéntus eſt.** Poſtcommunio.

Sacraménti tui, Dómine, diuína libátio, penetrália noſtri cordis infúndat ⁊ & ſui partícipes poténter effíciat. Per Dómi. Super populum.

Famíliam tuam, quæſumus Dómine, contínua pietáte cuſtódi: vt quæ in ſola ſpe grátiæ cœléſtis innítitur ⁊ cœléſti étiam protectióne muniátur. Per Dóminum.

DOMINICA TERTIA.

Statio ad S. Laurentium foris muros.

Introitus.

Oculi mei ſemper ad Dóminũ, quia ipſe euéllet de láqueo pedes meos: réſpice in me, & miſerére mei: quóniã vnícus, & pauper ſum ego.

Pſalmus. **Ad te, Dómine, leuáui ánimam meam: Deus meus in te confído, non erubéſcam.** Collecta

Quæſumus, omnípotens Deus, vota humílium réſpice ⁊ atque ad defenſiónem noſtram déxteram tuæ maieſtátis exténde. Per Dómi.

Ad Epheſios. cap. 5.

Fratres. Eſtóte imitatóres Dei, ſicut filij chariſſimi: & ambuláte in dilectióne, ſicut & Chriſtus diléxit nos, & trádidit ſemetípſum pro nobis oblatiónem, & hóſtiam Deo, in odórem ſuauitátis. Fornicátio autem, & omnis immundítia, aut auarítia nec nominétur in vobis, ſicut decet ſanctos: aut turpitúdo, aut ſtultilóquium, aut ſcurrílitas, quæ ad rem non pértinet, ſed magis gratiárum áctio. Hoc autem ſcitóte intelligéntes: quòd omnis fornicátor, aut immúndus, aut auárus (quod eſt idolórum ſéruitus) non habet hæreditátem in regno Chriſti & Dei. Nemo vos ſedúcat inánibus verbis. Propter hæc enim: venit ira Dei in filios diffidéntiæ. Nolíte ergo éffici partícipes eórum. Erátis enim aliquándo ténebræ: nunc autem lux in Dómino. Vt filij lucis ambuláte. Fructus enim lucis eſt in omni bonitáte: & iuſtítia, & veritáte.

℟. **Exúrge Dómine, non præuáleat homo, iudicéntur gentes in conſpéctu tuo.**

℣. **In cõuerténdo inimícum meum retrórſum: infirmabúntur, & períent à fácie tua.**

Tractus.

Ad te leuáui óculos meos: qui hábitas in cœlis. Ecce ſicut óculi ſeruórum in mánibus dominórum ſuórum.

℣. **Et ſicut óculi ancíllæ in mánibus dóminæ ſuæ.** ℣. **Ita óculi noſtri ad Dóminum Deum noſtrum, donec miſereátur noſtri.**

℣. **Miſeréte nobis Dómine, miſerére nobis.**

Secúndum Lucam. cap. 11.

In illo témpore. Erat Ieſus eiiciẽs demónium: & illud erat mutum.

Et cum eiecíſſet dæmónium: locútus eſt mutus, & admirátę ſunt turbæ. Quidam autem ex eis dixérunt. In Beélzebub príncipe dæmoniórũ: éiicit dæmónia. Et álij tentántes: ſignum de cœlo quærébãt ab eo. Ipſe autẽ, vt vidit cogitatiónes eórum: dixit eis. Omne regnũ in ſeipſum diuíſum deſolábitur: & domus ſupra domum cadet. Si autem & Sáthanas in ſeipſum diuíſus eſt: quómodò ſtabit regnum ipſius, quia dícitis in Beélzebub eiícere me dæmónia? Si autem ego in Beélzebub eiício dæmónia: filij veſtri in quo eiíciunt? Ideo ipſi iúdices veſtri erunt. Porrò, ſi in dígito Dei eiício dęmónia: profécto peruénit in vos regnũ Dei. Cùm fortis armátus cuſtódit átriũ ſuum: in pace ſunt ea, quæ póſſidet. Si autem fórtior illo ſuperuéniens vícerit eũ: vniuérſa arma eius auferet, in quibus confidébat, & ſpólia eius diſtribuet. Qui non eſt mecum: aduérſum me eſt. Et qui non cólligit mecum: diſpérgit. Cùm immúndꝰ ſpíritus exíerit ab hómine: perámbulat per loca inaquóſa, quærens réquiem, & non inuéniẽs, dicit. Reuértar in domum meam: vndè exíui. Et cùm vénerit: inuénit eam ſcopis mundátam. Et tunc vadit, & aſsúmit ſeptem álios ſpíritus ſecum nequióres ſe: & ingréſſi hábitant ibi. Et fiunt nouíſſima hóminis illíus: peióra prióribus. Factum eſt autem cùm hæc díceret: extóllẽs vocem quędã múlier de turba, dixit illi. Beátus venter qui te portáuit: & vbera quæ ſuxíſti. At ille dixit. Quinímmo: beáti qui aúdiunt verbũ Dei: & cuſtódiũt illud.

Offertorium. Iuſtítiæ Dómini rectæ lætificántes corda, & iudícia eius dulcióra ſuper mel & fauum: nam & ſeruus tuus cuſtódiet ea.

Secreta.

HÆc hóſtia, Dómine, quæſumus, emúndet noſtra delícta, & ſacrifícium celebrándum ſubditórum tibi córpora, mentéſque ſanctíficet. Per Dóminum.

Communio. Paſſer inuénit ſibi domum, & turtur nidum vbi repónat pullos ſuos: altária tua Dómine virtútũ, Rex meus, & Deus meus. beáti qui hábitant in domo tua, in ſæculum ſæculi laudábunt te.

Poſtcommunio.

A Cunctis nos Dómine, reátibus & perículis propitiátus abſólue: quos tanti myſtérij tribuis eſſe partícipes. Per Dóminum.

FERIA SECVNDA.
Statio ad S. Marcum.

Introitus.

IN Deo laudábo verbum, in Dómino laudábo ſermónẽ: in Deo ſperáui, non timébo quid fáciat mihi homo.

Pſalmus. Miſerére mei Deus, quóniã conculcáuit me homo: tota die impúgnans tribuláuit me.

Collecta.

COrdibus noſtris, quæſumus, Dómine, grátiam tuam benígnus infúnde: vt ſicut ab eſcis corporálibus abſtinémus: ita ſenſus quoque noſtros à nóxiis retrahámus excéſſibus. Per Dóminum.

Léctio libri Regum. 4. cap. 5.

IN diébus illis. Naáman Princeps milítiæ Regis Sýriæ: erat vir magnus apud Dóminum ſuum & honorátus. Per illum enim: dedit Dóminus ſalútem Sýriæ. Erat autẽ vir fortis, & diues: ſed leprósus. Porrò de Sýria egréſſi fúerãt latrúnculi: & captíuam dúxerant de terra Iſráel puéllam páruulam, quæ erat in obſéquio vxóris Naáman. Quæ ait ad dóminam ſuam. Vtinam fuíſſet dóminus meus ad Prophétam, qui eſt in Samária: profécto curáſſet eum à lepra, quam habet. Ingréſſus eſt itaque Naáman ad dóminum ſuum:

dixítque

dixítque ei. Sic, & ſic locúta eſt puélla de terra Iſráel. Dixítque ei Rex Sýriæ. Vade: & mittam literas ad Regem Iſráel. Qui cum profećtus eſſet, & tuliſſet ſecum decem talénta argénti, & ſex míllia aúreos, & decem mutatória veſtimentórum: détulit líteras ad Regem Iſráel, in hæc verba. Cum accéperis epiſtolam hanc: ſcito, quòd míſerim ad te Naáman ſeruum meum, vt cures eum à lepra ſua. Cumque legiſſet Rex Iſráel literas: ſcidit veſtiménta ſua, & ait. Nũquid Deus ſum ego, vt occídere poſſim, & viuificáre, quia iſte miſit ad me, vt curem hóminem à lepra ſua? Animaduértite, & vidéte quòd occaſiónes quærat aduérſũ me. Quod cum audiſſet Eliſǽus vir Dei, ſcidiſſe vidélicet Regẽ Iſráel veſtiménta ſua: miſit ad eum, dicens. Cur ſcidiſti veſtiménta tua? Véniat ad me: & ſciat Prophétam eſſe in Iſráel. Venit ergò Naáman cum equis, & cúrribus: & ſtetit ad óſtium domus Eliſǽi. Miſitque ad eum Eliſǽus, núntium, dicens. Vade, & lauáre ſépties in Iordáne: & recipiet ſanitátem caro tua, atque mũdáberis. Irátus autem Naáman: recedébat, dicens. Putábam quòd egrederétur ad me, & ſtans inuocáret nomen Dómini Dei ſui: & tángeret manu ſua locum lepræ, & curáret me. Nunquid non melióres ſunt Abana, & Pharphar flúuij Damáſci, ómnibus aquis Iſráel, vt lauer in eis, & munder? Cum ergo vertíſſet ſe, & abíret indignans: acceſſérunt ad eum ſerui ſui, & locúti ſunt ei. Pater: & ſi rem grándem dixíſſet tibi Prophéta: certè fácere debúeras. Quandò magis quia nunc dixit tibi, lauáre, & mundáberis? Deſcéndit ergo, & lauit ſépties in Iordáne iuxta ſermónem viri Dei: & reſtitúta eſt caro eius ſicut caro púeri páruuli, & mundátus eſt à lepra. Reuerſúſque ad virum Dei, cum vniuérſo comitátu ſuo: venit, & ſtetit coram eo, & ait. Verè ſcio, quòd non ſit álius Deus in vniuérſa terra: niſi tantum Dóminus Deus Iſráel.

℟. Deus vitam meam annuntiáui tibi, poſuiſti láchrymas meas in conſpéctu tuo.

℣. Miſerére mihi Dómine, quóniam conculcáuit me homo, tota die bellãs tribuláuit me. Tractus D ómine non ſecúndum, &c.

Secúndum Lucam. cap. 4.

IN illo témpore: Dixérunt Phariſǽi ad Iéſum. Quanta audíuimus facta in Caphárnaum: Fac & hîc in pátria tua. Ait autem. Amen dico vobis: quia nemo Prophéta accéptus eſt in pátria ſua. In veritáte dico vobis: multæ víduæ erant in diébus Elíæ in Iſráel, quando clauſum eſt cœlũ annis tribus, & ménſibus ſex, cum facta eſſet fames magna in omni terra & ad nullam illárum miſſus eſt Elías niſi in Sarépheta Sidóniæ, ad mulíerem víduam. Et multi leproſi erant in Iſráel. ſub Eliſǽo Prophéta: & nemo eórum mundátus eſt niſi Naáman Syrus. Et repléti ſunt omnes in Synagóga ira: hæc audiéntes. Et ſurrexérunt, & eiecérunt illũ extra ciuitátem: & duxérunt illum vſque ad ſupercílium montis, ſuper quem ciuitas illórum erat ædificáta, vt præcipitárent eum. Ipſe autem tránſiens: per médium illórum ibat.

Offertorium E xaúdi Deus oratiõẽ meam, ne deſpéxeris deprecatiónem meam, inténde in me, & exaúdi me. Secreta

MVnus, quod tibi Dómine, noſtræ ſeruitútis offérimus, tu ſalutáre nobis pérfice ſacramẽtũ. Per Dóminum.

Communio. Q uis dabit ex Sion ſalutáre Iſráel? cùm auérterit Dóminus captiuitátẽ plebis ſuæ, exultábit Iácob, & lætábitur Iſráel. Poſtcommunio.

PRæſta, quæſumus, omnipotens & miſericors Deus: vt quæ ore contíngimus ꝑ pura mente capiámus. Per Dóminum.

Super populum.

SVbuéniat nobis, Dómine, miſeticórdia tua: vt ab imminéntibus peccatórum noſtrótum perículis, te meteámur protegénte éripi: te libetánte ſaluáti. Per Dóminum.

FERIA TERTIA.

Statio ad S. Potentianam.

Introitus.

EGo clamáui, quóniã exaudíſti me, Deus: inclina aurem tuã, & exáudi verba mea: cuſtódi me, Dómine, vt pupillam óculi, ſub vmbra alárum tuárum prótege me.

Pſalmus. Exáudi, Dómine, iuſtitiam meam: inténde deprecatiónem meam. Collecta

EXaúdi nos, omnípotens & miſéticors Deus: & continéntiæ ſalutátis propítius nobis dona concéde. Per Dóminum.

Léctio libri Regum. 4. cap. 4.

IN diébus illis. Múlier quædã clamábat ad Eliſæum Prophétam, dicens. Seruus tu⁹ vir meus mórtuus eſt: & tu noſti, quia ſeruus tuus fuit timens Deum. Et ecce créditor venit: vt tollat duos filios meos ad ſeruiéndũ ſibi. Cui dixit Eliſæus. Quid vis, vt fáciam tibi? Dic mihi, quid habes in domo tua. At illa reſpóndit. Non hábeo ancílla tua quicquã in domo mea: niſi parum ólei, quo vngat. Cui ait. Vade, pete mútuò ab ómnibus vicinis tuis vaſa vácua non pauca: & ingrédere, & claude óſtiũ, cum intrinſecùs fúeris tu, & filij tui. Et mitte inde in ómnia vaſa hæc: & cum plena fúerint, tolles. Iuit ítaque múlier: & clauſit óſtium ſuper ſe, & ſuper filios ſuos. Illi offerébant vaſa: & illa infundébat. Cumque plena fuiſſent vaſa: dixit ad filium ſuum. Affer mihi adhuc vas. Et ille reſpóndit. Non hábeo. Stetítque óleum. Venit autem illa: & indicáuit hómini Dei. Et ille. Vade, inquit, vende óleum: & redde creditóri tuo. Tu autem, & filij tui: víuite de téliquo.

℟. Ab occúltis meis munda me Dómine, & ab aliénis parce ſeruo tuo. ℣. Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero, & emundábor à delícto máximo

Secúndum Matthæum. cap. 18.

IN illo témpore. Reſpíciens Iéſus diſcípulos ſuos: dixit. Si peccáuerit in te frater tuus: vade, córripe eũ inter te & ipſum ſolum. Si te audíerit: lucrátus eris fratrem tuum. Si autem non te audíerit: ádhibe tecum adhuc vnũ, vel duos, vt in ore duótum, vel trium téſtium, ſtet omne verbum. Quòd ſi non audíerit eos: dic Eccléſiæ. Si autem Eccléſiã non audíerit: ſit tibi ſicut éthnicus & publicánus. Amẽ dico vobis: quæcúnque alligauéritis ſuper terram, erũt ligáta & in cœlo. Et quæcúnque ſoluéritis ſuper terram: erunt ſolúta & in cœlo. Iterum dico vobis: quia ſi duo ex vobis cõſénſerint ſuper terram de omni re, quamcúmque petíerint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis eſt. Vbi enim ſunt duo, vel tres congregáti in nómine meo: ibi ſum, in médio eórum. Tunc accédens Petrus ad eum: dixit. Dómine: quótiẽs peccábit in me frater meus, & dimíttam ei vſque ſépties? Dixit illi Iéſus. Non dico tibi vſque ſépties: ſed vſque ſeptuágies ſépties.

Offertorium. Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltáuit me: non móriar, ſed viuam, & narrábo ópera Dómini.

Secreta.

PEr hæc véniat, quæſumus, Dómine, ſacraménta noſtræ redemptiónis effĕctus: qui nos & ab humánis rétrahat ſemper exceſſibus, & ad ſalutária cuncta perdúcat. Per Dó.

Communio. Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo, aut quis requiéſcet in monte

ſancto

ſancto tuo : qui ingréditur ſine mácula, & operátur iuſtítiam. Poſtcommnio.

SAcris, Dómine, myſtériis expiáti: & véniam conſequámur, & grátiam. Per Dómi. Super populum.

TVa nos, Dómine, protectióne defénde: & ab omni ſemper iniquitáte cuſtódi. Per Dóminum.

FERIA QVARTA.

Statio ad S. Sixtum.

Introitus.

EGo autē in Dómino ſperáui: exultábo, & lætábor in tua miſericórdia: quia reſpexíſti humilitátem meam

Pſalmus. In te, Dómine, ſperáui non confúndar in ætérnum: in iuſtítia tua libera me.

Collecta.

PRæſta nobis, quæſumus, Dómine vt ſalutáribus ieiúniis erudíti: à nóxiis quoque vítiis abſtinéntes, propitiatiónem tuam facíliùs impetrémus. Per Dóminum.

Lectio libri Exodi. cap. 20.

HÆc dicit Dóminus Deus. Honóra patrem tuum, & matrem tuam: vt ſis longæuus ſuper terram, quam Dóminus Deus tuus dabit tibi. Non occídes: non mœcháberis, non furtū fácies, non loquéris contra próximum tuū falſum teſtimónium. Non concupíſces domū próximi tui: nec deſiderábis vxórē eius, non ſeruum, non ancíllam, non bouem, non áſinum, nec ómnia, quæ illíus ſunt. Cunctus autem pópulus vidébat voces, & lámpades, & ſónitum búccinæ: montémque fumántem. Et pertérriti ac pauóre cōcúſſi: ſtetérunt procul, dicéntes Móyſi. Lóquere tu nobis: & audiémus. Nō loquátur nobis Dóminus: ne fortè moriámur Et ait Móyſes ad pópulum. Nolíte timére. Vt enim probáret vos, venit Deus, & vt terror illíus eſſet in vobis: & non peccaréris, Stetítque pópulus de longè: Móyſes autem accéſſit ad calíginem, in qua erat Deus. Dixítque prætérea Dóminus ad Móyſen. Hæc dices filiis Iſráel. Vos vidíſtis: quòd de cœlo locútus ſim vobis. Non faciétis Deos argénteos: nec Deos aúreos faciétis vobis. Altáre de terra faciétis mihi: & offerétis ſuper eo holocaúſta, & pacífica veſtra, oues veſtras, & boues, in omni loco, in quo memória fúerit: nóminis mei.

℟. Miſerére mihi, Dómine, quóniam infírmus ſum, ſana me Dómine. ℣. Conturbáta ſunt ómnia oſſa mea: & ánima mea turbáta eſt valdè. Tractus. Dómine non ſecúndum

Secúndum Matthæum. cap. 15.

IN illo témpore. Acceſſérunt ad Ieſum ab Ieroſólymis Scribæ, & Phariſǽi: dicéntes. Quare diſcípuli tui tranſgrediúntur traditiónes Seniórum? Non enim lauant manus ſuas: cum panem mandúcant. Ipſe autem reſpóndens: ait illis. Quare & vos trāſgredímini mandátum Dei, propter traditiónē veſtram? Nam Deus dixit. Honóra patrem tuum, & matrem: & qui maledíxerit patri, vel matri, morte moriátur. Vos autem dícitis, quicúnque díxerit patri, vel matri, munus quodcúnque eſt ex me, tibi próderit: & non honorificábit patrē ſuum, aut matrē ſuam: & írritum fecíſtis mandátū Dei propter traditiónē veſtram. Hypócritæ: benè prophetáuit de vobis Iſaías, dicens. Pópulus hic lábiis me honórat: cor autem eórum lōgè eſt à me. Sine cauſa autem colunt me: docéntes doctrínas, & mādáta hóminum. Et conuocátis ad ſe turbis: dixit eis. Audíte & intellígite. Non quod intrat in os coínquinat hóminē: ſed quod procédit ex ore, hoc coínquinat hóminem. Tunc accedéntes diſcípuli eius: dixérunt ei. Scis quia Phariſǽi

audíto hoc verbo, ſcādalizáti ſunt? At ille reſpóndens: ait. Omnis plantátio, quā non plantáuit Pater meus cœléſtis: eradicábitur. Sínite illos. Cæci ſunt: & duces cæcorū. Cæcus autem ſi cæco ducátum præſtet: ambo in fóueam cadunt. Reſpóndens autem Petrus: dixit ei. Ediſſere nobis parábolā iſtam. At ille dixit. Adhuc & vos ſine intelléctu eſtis? Non intellígitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emíttitur? Quæ autem procédunt de ore, de corde éxeunt: & ea coínquinant hóminem. De corde enim éxeunt cogitatiónes malæ: homicídia, adultéria, fornicatiónes, furta, falſa teſtimónia, blaſphémiæ, Hæc ſunt: quæ coínquinant hóminem. Non lotis autē mánibus manducáre: non coínquinat hóminem.

Offertorium. Dómine, fac mecum miſericórdiam tuam, propter nomen tuum: quia ſuáuis eſt miſericórdia tua. Secreta.

SVſcipe, quæſum⁹, Dómine: preces pópuli tui cum oblatiónibus hoſtiárum: & tua myſtéria celebrántes, ab ómnibus nos defénde perículis. Per Dóminum noſtrum.

Communio. Notas mihi fecíſti vias vitæ: adimplébis me lætítia cum vultu tuo, Dómine. Poſtcommunio.

SAnctíficet nos, Dómine, qua paſti ſumus mēſa cœléſtis: & à cunctis erróribꝰ expiátos? ſupérnis promiſſiónibus reddat accéptos. Per.

Super populum. Oratio.

COncéde, quæſumus, omnípotens Deus: vt, qui protectiónis tuæ grátiam quærimus? liberáti à malis ómnibus ſecúra tibi mente ſeruiámus. Per Dóminum.

FERIA QVINTA.

Statio ad SS. Coſmam & Damianum.

Introitus.

SAlus pópuli ego ſum, dicit Dóminus: de quacúnque tribulatióne clamáuerint ad me, exaúdiam eos: & ero illórū Dóminus in perpétuum.

Pſalmus. Atténdite, pópule meus, legem meam: inclináte aurem veſtram in verba oris mei. Collecta

MAgníficet te, Dómine, ſanctórum tuórum Coſmæ, & Damiáni beáta ſolémnitas: quia & illis glóriam ſempitérnam? & opem nobis ineffábili prouidéntia contuliſti. Per Dóminum noſtrum.

Léctio Ieremíæ Prophétæ. cap. 7.

IN diébus illis. Factum eſt verbum Dómini ad me, dicēs. Sta in porta domus Dómini: & prǽdica ibi verbum iſtud, & dic. Audíte verbū Dómini omnis Iúda: qui ingredímini per portas has, vt adorétis Dóminū. Hæc dicit Dóminus exercítuū, Deus Iſráel. Bonas fácite vias veſtras, & ſtúdia veſtra: & habitábo vobíſcum in loco iſto. Nolíte confídere in verbis mendácij, dicéntes, templum Dómini, templum Dómini, templum Dómini eſt: quóniam ſi benedixéritis vias veſtras, & ſtúdia veſtra, ſi fecéritis iudícium inter virum & próximum eius, áduenæ & pupíllo, & víduæ non fecéritis calúmniam nec ſánguinem innocéntem effudéritis in loco hoc, & poſt Deos aliénos non ambulauéritis in malum vobiſmetípſis, habitábo vobíſcum in loco iſto, in terra, quam dedi pátribus veſtris à ſǽculo, & vſque in ſǽculum. Dicit Dóminus: omnípotens.

℟. Oculi ómnium in te ſperant, Dómine: & tu das illis eſcam in témpore opportúno.

℣. Aperis tu manum tuam, & imples omne ánimal benedictióne.

Secúndum Ioánnem.

IN illo témpore. Dicébat Iéſus turbis Iudæórum. Pater meus vſque modò operátur: & ego óperor. Proptérea ergo magis quærébant eum Iudǽi interfícere: quia non ſolum ſoluébat Sábbatum, ſed & patrem ſuum dicébat Deum, æquálem ſe fáciens Deo. Reſpóndit ítaque Iéſus, & dixit eis. Amen amen dico vobis: nō poteſt Fílius à ſe fácere quicquā, niſi quod víderit Patrem faciéntem. Quæcúnque enim ille fécerit: hæc & Fílius ſimíliter facit. Pater enim díligit Fílium: & ómnia demónſtrat ei, quæ ipſe facit Et maióra his demonſtrábit ei ópera: vt vos mirémini. Sicut enim Pater ſúſcitat mórtuos, & viuíficat: ſic & Fílius, quos vult, viuíficat. Neque enim Pater iúdicat quemquam: ſed omne iudícium dedit Fílio, vt omnes honoríficent Fílium, ſicut honoríficant Patrē. Qui non honoríficat Fílium: non honoríficat Patrem, qui miſit illum. Amē amen dico vobis: quia qui verbum meum audit, & credit ei, qui miſit me, habet vitam ætérnam. Et in iudícium nō venit: ſed tránſiet à morte in vitam. Amen amen dico vobis: quia venit hora, & nunc eſt, quando mórtui áudient vocem Fílij Dei, & qui audíerint, viuēt. Sicut enim Pater habet vitam in ſemetípſo: ſic dedit & Fílio vitam habére in ſemetípſo. Et poteſtátem dedit ei iudícium fácere. quia Fílius hóminis eſt. Nolíte mirári hoc: quia venit hora in qua omnes, qui in monuméntis ſūt, áudient vocem eius. Et procédent, qui bona fecérunt, in reſurrectiónē vitæ: qui verò mala egérunt: in reſurrectiónem iudícij.

Offertorium. Si ambuláuero in médio tribulatiónis viuificábis me, Dómine: & ſuper iram inimicórum meórum extēndes manū tuam, & ſaluum me fecit déxtera tua.

Secreta

IN tuórum, Dómine, pretióſa morte iuſtórum, ſacrifícium illud offérimus: de quo martýrium ſumpſit omne princípium. Per Dóminū.

Communio. Tu mandáſti mandáta tua cuſtodíri nimis, vtinam dirigántur viæ meæ ad cuſtodiéndas iuſtificatiónes tuas.

Poſtcommunio.

SIc nobis, Dómine, ſacraménti tui percéptio certa ſaluátio ſit: quæ cum beatórum tuórum Coſmæ, & Damiáni méritis implorátur. Per.

Super populum. Oratio.

SVbiéctum tibi pópulum, quǽſumus, Dómine, propitiátio cœléſtis amplíficet: & tuis ſemper fáciat ſeruíre mandátis. Per Dóminū.

FERIA SEXTA.

Statio ad S. Laurentium in Lucina.

Introitus.

FAc mecum, Dómine, ſignum in bono, vt vídeant, qui me odérunt, & confundántur: quóniam tu Dómine, adiuuiſti me, & conſolátus es me.

Pſalmus. Inclína, Dómine, aurem tuam, & exáudi me: quóniam inops & pauper ſum ego.

Collecta.

IEiúnia noſtra, quǽſumus Dómine, benígno fauóre proſéquere: vt ſicut ab aliméntis in córpore, ita à vítiis ieiunémus in mente.

Léctio libri Númeri. cap. 20.

IN diébus illis. Conuenérunt fílij Iſráel aduérſum Móyſen & Aárō: & verſi in ſeditiónem, dixérunt Da nobis aquam: vt bibámus. Ingreſſíque Móyſes, & Aáron, dimiſſa multitúdine, tabernáculū fœ́deris, corruérunt proni in terram: clamauerúntque ad Dóminum, atque dixérunt. Dómine Deus audi clamórem pópuli huius, & áperi eis theſaúrum

tuum fontem aquæ viuæ: vt ſatiáti, ceſſet murmurátio eórum. Et appáruit glória Dómini ſuper eos. Locutúſque eſt Dóminus ad Móyſen: dicens. Tolle virgam, & cóngrega pópulum tu, & Aáron frater tuus: & loquímini ad petram coram eis, & illa dabit aquas. Cumque edúxeris aquā de petra: bibet omnis multitúdo, & iuménta eius. Tulit ígitur Móyſes virgam, quæ erat in conſpéctu Dómini, ſicut præcéperat ei, cōgregáta multitúdine ante petrā: dixítque eis. Audíte rebélles: & incréduli. Num de petra hac potérim⁹ vobis aquam eiícere? Cúmque eleuáſſet Móyſes manum, percútiēs virga bis ſílicem: egréſſæ ſunt aquæ largíſſimæ, ita vt pópulus bíberet, & iuménta. Dixítque Dóminus ad Móyſen & Aáron. Quia non credidíſtis mihi, vt ſanctificarétis me coram filiis Iſráel: non introducétis hos pópulos in terram, quam dabo eis. Hæc eſt aqua contradictiónis: vbi iurgáti ſunt filij Iſráel contra Dóminum: & ſanctificátus eſt in illis.

℟. In Deo ſperáuit cor meū, & adiútus ſum: & reflóruit caro mea, & ex voluntáte mea confitébor illi. ℣. Ad te Dómine, clamáui: Deus meus ne ſíleas, ne diſcédas à me. Tractus. Dómine non ſecúndum, &c.

Secúndum Ioánnem. cap. 4.

IN illo témpore. Venit Iéſus in ciuitátem Samáriæ, quæ dícitur Sichar: iuxta prædium, quod dedit Iacob Ióſeph fílio ſuo. Erat autem ibi fons Iacob. Iéſus ergo fatigátus ex itínere: ſedébat ſic ſuper fontē. Hora autem erat: quaſi ſexta. Venit múlier de Samária: hauríre aquam. Dicit ei Iéſus. Da mihi bíbere. Diſcípuli autem eius abíerant in ciuitátem: vt cibos émerent. Dicit ergo ei múlier illa Samaritána. Quómodo tu Iudǽus cum ſis, bíbere à me poſcis, quæ ſum múlier Samaritána? Non enim coūtúntur Iudǽi Samaritánis. Reſpóndit Iéſus: & dixit ei. Si ſcires donū Dei & quis eſt, qui dicit tibi, da mihi bíbere: tu fórſitā petíſſes ab eo, & dedíſſet tibi aquam viuam. Dicit ei múlier. Dómine: neque in quo haúrias, habes: & púteus altus eſt. Vnde ergo habes aquam viuam? Nunquid tu maior es patre noſtro Iacob, qui dedit nobis púteū, & ipſe ex eo bibit, & filij ei⁹, & pécora eius? Reſpóndit Iéſus: & dixit ei. Omnis, qui bibit ex aqua hac: sítiet íterum. Qui autem bíberit ex aqua, quā ego dabo ei, non sítiet in ætérnum: ſed aqua, quam dabo ei fiet in eo fons aquæ ſaliéntis in vitam ætérnam. Dicit ad eum múlier. Dómine da mihi hanc aquam: vt non sítiam, neque véniam huc haurire. Dicit ei Iéſus. Vade voca virum tuum: & veni huc. Reſpóndit múlier: & dixit. Non hábeo virū. Dicit ei Iéſus. Benè dixíſti: quia non hábeo virū. Quinque enim viros habuíſti: & nunc, quem habes, non eſt tuus vir. Hoc verè dixíſti. Dicit ei múlier. Dómine: vídeo, quia Prophéta es tu. Patres noſtri in monte hoc adorauérunt: & vos dícitis, quia Ieroſólymis eſt locus, vbi, adoráre opórtet. Dicit ei Iéſus. Múlier crede mihi, quia venit hora: quando neque in monte hoc, neque in Ieroſólymis adorábitis Patrem. Vos adorátis, quod neſcítis: nos adorámus, quod ſcim⁹, quia ſalus ex Iudǽis eſt. Sed venit hora, & nunc eſt: quando veri adoratóres adorabunt Patrem in ſpíritu, & veritáte. Nam & Pater tales quærit: qui adórent eum. Spíritus eſt Deus: & eos, qui adórant eum, in ſpíritu, & veritáte opórtet adoráre. Dicit ei múlier. Scio, quia Meſsías venit: qui dícitur Chriſtus. Cum ergo vénerit: ille nobis annuntiábit ómnia. Dicit ei Iéſus. Ego ſum: qui loquor tecum. Et continuò venérunt diſcípuli eius: & mirabántur, quia cum mulíere loquebátur. Ne-

mo tamen dixit, quid quæris: aut quid lóqueris cum ea. Relíquit ergo hýdriam ſuam múlier: & ábiit in ciuitátem, & dicit illis homínibus. Veníte, & vidéte hóminem: qui dixit mihi ómnia, quæcúnque feci. Nunquid ipſe eſt Chriſtus? Exiérunt de ciuitáte: & veniébant ad eum. Intérea rogábāt eum diſcípuli: dicéntes. Rabbi: mādúca. Ille autem dixit eis. Ego cibum hábeo māducáre: quem vos neſcítis. Dicébant ergo diſcípuli ad ínuicem. Nunquid áliquis áttulit ei manducáre? Dicit eis Ieſus. Meus cibus eſt, vt fáciam volūtátem eius, qui miſit me: vt perfíciam opus eius. Nonne vos dícitis quòd adhuc quátuor menſes ſunt, & meſſis venit? Ecce dico vobis. Leuáte óculos veſtros: & vidéte regiónes, quia albæ ſunt iā ad meſſem. Et qui metit, mercédē áccipit, & cóngregat fructum in vitam ætérnam: vt, & qui ſéminat, ſimul gáudeat, & qui metit. In hoc enim eſt verbum verum: quia álius eſt qui ſéminat, & álius eſt qui metit. Ego miſi vos métere: quod vos non laboráſtis. Alij laborauérūt: & vos in labóres eórum introíſtis. Ex ciuitáte autem illa multi credidérunt in eum Samaritanórū: propter verbum mulíeris teſtimónium perhibéntis, quia dixit mihi ómnia, quæcúnque feci. Cùm veníſſent ergo ad illum Samaritáni: rogauérūt eum, vt ibi manéret. Et manſit ibi duos dies. Et multò plures credidérunt propter ſermónem eius: & mulíeri dicébant, quia iam nō propter tuam loquélam crédimus. Ipſi enim audíuimus, & ſcimus: quia hic eſt verè Saluátor mundi.

Offertorium. **Inténde voci oratiónis meæ Rex meus, & Deus meus: quóniā ad te orábo, Dómine.** Secreta.

RESpice Dómine propítius ad múnera, quæ ſacrámus: vt & tibi ſint grata: & nobis ſalutária ſemper exíſtant. Per Dóminum.

Communio. **Qui bíberit aquam, quam ego dabo ei, dicit Dóminus, fiet in eo fons aquæ ſaliéntis in vitam ætérnā.** Poſtcommunio.

HVius nos, Dómine, percéptio ſacraménti mundet à crímine: & ad cœléſtia regna perdúcat. Per.

Super populum. Oratio.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus: vt, qui in tua protectióne confídimus, cuncta nobis aduerſántia, te adiuuánte, vincámus. Per Dó.

SABBATO.

Statio ad ſanctam Suſannam

Introitus.

VErba mea áuribus pércipe Dómine, intéllige clamórē meum: inténde voci oratiónis meæ. Pſalmus. **Quóniam ad te orábo, Dómine: manè exaúdies vocem meam.** Collecta

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus: vt, qui, ſe affligéndo carne, ab aliméntis ábſtinent, ſectándo iuſtítiam, à culpa ieiúnent. Per Dó.

Léctio Daniélis Prophétæ. cap. 13.

IN diébus illis: Erat vir in Babylóne: & nomen eius Ióachim. Et accépit vxórem nómine Suſánnam fíliam Helchíæ: pulchram nimis, & timéntem Deum. Parētes enim illíus, cum eſſent iuſti: erudiérunt fíliam ſuam ſecúndum legem Móyſi. Erat autem Ióachim díues valdè: & erat ei pomérium vicínum domus ſuæ. Et ad ipſum confluébant Iudǽi: eo quòd eſſet honorabílior ómniū. Et conſtitúti ſunt duo Senes Iúdices in anno illo: de quibus locútus eſt Dóminus, quia egréſſa eſt iníquitas de Babylóne, à Senióribus Iudícibus, qui videbántur régere pópulum. Iſti frequentábant domum Ióachim: & veniébant ad eos omnes, qui habé-

bant iudícia. Cum autem pópulus reuertiſſet per merídiem: ingrediebátur Suſánna, & deambulábat in pomério viri ſui. Et vidébant eam Senes quotídiè ingrediéntem,& deambulántem: & exarſéruntin concupiſcéntiam eius. Et euertérũt ſenſum ſuum: & declinauérunt óculos ſuos, vt non vidérent cœlum, neque recordaréntur iudiciórum iuſtórũ. Factum eſt autem cùm obſeruárẽt diem aptum, quãdo eam poſſent inuenire ſolam: ingréſſa eſt aliquándo ſicut heri & nudiuſtértius, cum duábus ſolis puéllis, voluítque lauári in pomério. Æſtus quippe erat. Et non erat ibi quiſquã: præter duos Senes abſcónditos. Dixit ergo puéllis. Afférte mihi óleum, & ſmígmata: & óſtia pomérij claúdite, vt lauer. Cũ autem egréſſæ eſſent puéllæ: ſurrexérunt duo Senes, & accurrérunt ad eam, & dixérunt. Ecce óſtia pomérij clauſa ſunt, & nemo nos videt: & in cõcupiſcéntia tui ſum⁹. Quámobrẽ aſſentíre nobis: & commiſcére nobíſcum. Quòd ſi nolúeris: dicémus teſtimónium contra te, quòd fúerit tecum iúuenis, & ob hanc cauſam emíſeris puéllas à te. Ingémuit Suſánna: & ait. Angúſtiæ mihi ſunt vndique. Si enim hoc égero mors mihi eſt: ſi autem nõ égero, non effúgiam manus veſtras. Sed mélius mihi eſt abſque ópere, incídere in manus veſtras: quàm peccáre in cõſpéctu Dómini. Et exclamáuit voce magna Suſánna: exclamauérunt autem & Senes aduérſus eam. Cùm autẽ audíſſent clamórẽ in pomério fámuli domus: irruérunt per póſticum, vt vidérẽt quidnam eſſet. Poſtquam autem ſenes locúti ſunt, erubuérunt ſerui vehementer: quia nũquàm dictus fúerat ſermo huiuſcémodi de Suſánna. Et facta eſt dies cráſtina. Cúmque veniſſet pópulus ad virum eius Ióachim: venérunt & duo Senióres pleni iníqua cogitatióne, aduérſus Suſánnam, vt interfícerent eam. Et dixérunt corã pópulo. Míttite ad Suſánnam filiã Helchíæ: vxórem Ióachim. Et ſtatim miſérunt. Et venit cum paréntibus, & fíliis: & vniuérſis cognátis ſuis. Flebãt ergo ſui: & omnes qui nóuerãt eam. Conſurgéntes autẽ duo Senióres in médio pópuli: poſuérunt manus ſuas ſuper caput eius. Quæ flens: ſuſpéxit ad cœlum. Erat enim cor eius fidúciam habens in Dómino. Et dixérunt Senióres. Cùm deambularémus in pomério ſoli: ingréſſa eſt hæc cũ duábus ſolis puéllis, & clauſit óſtia pomérij, & dimíſit puéllas. Venítque ad eam adoléſcens, qui erat abſcónditus: & concúbuit cum ea. Porrò nos cum eſſém⁹ in ángulo pomérij: vidéntes iniquitátem, cucúrrimus ad eos: & vídimus eos páriter commiſcéri. Et illum quidem non quíuimus comprehéndere, quia fórtior nobis erat: & apérto óſtio exilíuit. Hanc autẽ cum apprehendiſſémus, interrogáuimus quiſnam eſſet iúuenis: & nóluit indicáre nobis. Huius rei teſtes ſumus. Crédidit eis multitúdo, quaſi Senióribus pópuli, & Iudícibus: & condemnauérũt eam ad mortẽ. Exclamáuit autem voce magna Suſánna: & dixit. Deus ætérne, qui abſcõditórum es cógnitor, qui noſti ómnia, ántequàm fiãt: tu ſcis, quóniam falſum contra me tulérũt teſtimónium. Et ecce mórior: cum nihil horum fécerim, quæ iſti malitióſè compoſuérunt aduérſum me. Exaudíuit autem Dóminus vocem eius. Cúmque ducerétur ad mortẽ: ſuſcitáuit Dóminus ſpíritum púeri iunióris, cui nomẽ Dániel. Et exclamáuit voce magna. Mundus ego ſum: à ſánguine huius. Et conuérſus omnis pópulus ad eum dixit. Quis eſt ſermo iſte, quem locútus es? Qui cum ſtaret in médio eórum: dixit.

Sic fatui filij Iſráel, non iudicántes, neque, quod verum eſt, cognoſcéntes: condemnáſtis filiam Iſráel. Reuertímini ad iudícium: quia falſum teſtimónium locúti ſunt aduérſum eam. Reuerſúſque eſt ergò pópulus cum feſtinatióne: & dixit ad eos Dániel. Separáte eos ab ínuicē procul: & diiudicábo eos. Cùm ergo diuíſi eſſent alter ab áltero: vocáuit vnum de eis, & dixit ad eū. Inueteráte diérum malórum, nunc venérunt peccáta tua, quæ operabáris priùs, iúdicans iudícia iniúſta: innocéntes ópprimens, & dimíttēs nóxios, dicénte Dómino, innocéntem, & iuſtum non interfícies. Nunc ergo ſi vidíſti eam: dic ſub qua árbore víderis eos colloquéntes ſibi. Qui ait. Sub ſchino. Dixit autem Dániel. Rectè mentítus es in caput tuū. Ecce enim Angelus Dómini accépta senténtia ab eo: ſcindet te médium. Et amóto eo: iuſſit veníre álium. Et dixit ei. Semen Chánaan, & non Iúda: ſpécies decépit te, & cōcupiſcéntia ſubuértit cor tuum. Sic faciebátis filiábus Iſráel: & illæ timéntes loquebántur vobis. Sed non filia Iúda: ſuſtínuit iniquitátem veſtram. Nūc ergo: dic mihi, ſub qua árbore compræhénderis eos loquéntes ſibi. Qui ait. Sub prino. Dixit autem ei Dániel. Rectè mentítus es & tu in caput tuū. Manet enim Angelus Dómini gládium hábens, vt ſecet te médium: & interfíciat vos. Exclamáuit itaque omnis cœtus voce magna: & benedixérūt Deo, qui ſaluat ſperántes in ſe. Et cōſurrexérunt aduérſus duos Senióres: (conuícerat enim eos Dániel ex ore ſuo falſum dixíſſe teſtimóniū.) Fecerúntque eis ſicut male égerant aduérſus próximum: & interfecérūt eos. Et ſaluátus eſt ſanguis innóxius: in die illa.

℟. Si ámbulem in médio vmbræ mortis, non timébo mala, quóniam tu mecum es Dómine. ℣. Virga tua, & báculus tuus, ipſa me conſoláta ſunt.

Secúndum Ioánnem. cap. 8.

IN illo témpore. Perréxit Iéſus in Montem Oliuéti: & dilúculò íterum venit in templum. Et omnis pópulus venit ad eum: & ſedens docébat eos. Addúcunt autem Scribæ & Phariſǽi mulíerem in adultério deprehénſam: & ſtatuérūt eam in médio, & dixérūt ei. Magíſter: hæc múlier modò deprehénſa eſt in adultério. In lege autem: Móyſes mandáuit nobis huiúſmodi lapidáre. Tu ergo quid dicis? Hoc autē dicébant, tentántes eum: vt poſſent accuſáre eum. Iéſus autem inclínans ſe deórſum: dígito ſcribébat in terra. Cùm autem perſeuerárent interrogántes eum: eréxit ſe, & dixit eis. Qui ſine peccato eſt veſtrum: primus in illam lápidem mittat. Et íterū ſe inclinās: ſcribébat in terra. Audiéntes autem vnus poſt vnum exíbant: incipiéntes à ſenióribus. Et remánſit ſolus: & múlier in médio ſtans. Erigens autē ſe Iéſus: dixit ei. Múlier: vbi ſunt, qui te accuſábant? Nemo te condemnáuit? Quæ dixit. Nemo, Dómine. Dixit autem Iéſus. Nec ego te condemnábo. Vade: & ámpliùs iam noli peccáre.

Offertoriū. Greſſus meos dírige ſecúndum elóquium tuum: vt nō dominétur mei omnis iniuſtítia, Dómine. Secreta

COncéde, quǽſumus, omnípotens Deus: vt huius ſacrifícij munus oblátum fragilitátem noſtram ab omni malo purget ſemper, & múniat. Per Dóminum.

Communio. Nemo te condemnáuit múlier? nemo, Dómine: nec ego te condemnábo: iam ámpliùs noli peccáre.

Poſtcommunio.

QVǽſumus, omnípotens Deus: vt inter eius membra numerémur, cuius córpori cōmunicámus, & ſánguini. Qui tecum viuit.

Super populum. Oratio.

PRætende Dómine fidélibus tuis déxteram cœléſtis auxílij: vt & te toto corde perquírant: & quæ dignè póſtulant cónſequi mereántur. Per Dóminum.

DOMINICA QVARTA.

Statio ad S. Crucem in Ieruſalem.

Introitus.

LÆtáre Ierúſalē, & cōuéntum fácite omnes, qui diligitis eā: gaudéte cum lętitia, qui in triſtitia fuíſtis: vt exultétis, & ſatiémini ab vbéribus conſolatiónis veſtræ.

Pſalmus. Lætátus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi: in domum Dómini íbimus. Collecta

COncéde, quæſumus, omnípotēs Deus: vt, qui ex mérito noſtræ actiónis afflígimur: tuæ grátiæ conſolatióne, reſpirémus. Per Dó.

Ad Galatas. cap. 4.

FRatres. Scriptum eſt quóniam Abrahā duos filios hábuit: vnū de ancílla, & vnū de líbera. Sed qui de ancílla: ſecúndum carnem natus eſt. Qui autem de líbera: per repromiſſiónē. Quæ ſunt per allegoríam dicta. Hæc enim ſunt duo teſtaménta. Vnum quidem in monte Sina in ſeruitútem génerans: quæ eſt Agar. (Sina enim mons eſt in Arábia: qui coniúnctus eſt ei, quæ nunc eſt Ierúſalēm) & ſeruit cum filiis ſuis. Illa autem, quæ ſurſum eſt Ierúſalem, líbera eſt: quæ eſt mater noſtra. Scriptum eſt enim. Lætáre ſtérilis, quæ nō paris: erúmpe, & clama, quæ non párturis, quia multi filij deſértæ magis quàm eius, quæ habet virū. Nos autem fratres: ſecúndum Iſaac promiſſiónis filij ſumus. Sed quómodò tunc is, qui ſecúndum carnē natus fúerat, perſequebátur eum, qui ſecúndum ſpíritum: ita & nunc. Sed quid dicit ſcriptúra? Eiice ancillam: & filium eius. Non enim erit hæres filius ancíllæ: cū filio liberæ. Itaque fratres, non ſumus ancíllæ filij: ſed líberæ. Qua libertáte: Chriſtus nos liberáuit.

℟. Lætátus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi: in domum Dómini íbimus. ℣. Fiat pax in virtúte tua, & abundántia in túrribus tuis.

Tractus.

QVi confidunt in Dómino ſicut mons Sion: non commouébitur in ætérnū, qui hábitat in Ierúſalem. ℣. Montes in circúitu eius, & Dóminus in circúitu pópuli ſui: ex hoc nunc, & vſque in ſæculum.

Secúndum Ioánnem. cap. 6.

IN illo témpore. Abiit Iéſus trans mare Galilææ, quod eſt Tiberíadis: & ſequebátur eum multitúdo magna: quia vidébāt ſigna, quæ faciébat ſuper his, qui infirmabántur. Súbiit ergo in montē Iéſus: & ibi ſedébat cū diſcípulis ſuis. Erat autem próximum Paſcha: dies feſtus Iudæórū. Cum ſubleuáſſet ergo óculos Iéſus, & vidíſſet, quia multitúdo máxima venit ad eum: dicit ad Philíppū. Vnde emémus panes, vt mandúcent hi? Hoc autem dicébat: tentans eum. Ipſe enim ſciébat quid eſſet factúrus. Reſpóndit ei Philíppus. Ducentórum denariórum panes nō ſufficiunt eis: vt vnuſquíſque módicū quid accípiat. Dicit ei vnus ex diſcípulis eius: Andréas frater Simónis Petri. Eſt puer vnus hic: qui habet quinque panes hordeáceos, & duos piſces. Sed hęc quid ſunt inter tātos? Dixit ergo Iéſus. Fácite hómines diſcúmbere. Erat autē fœnum multū in loco. Diſcubuérunt ergo viri: número quaſi quinque míllia. Accépit ergo Iéſus panes: & cum grátias egíſſet, diſtríbuit diſcumbéntibus. Símiliter & ex píſcibus: quantum volébant. Vt autem impléti ſunt: dixit diſcípulis ſuis. Collígite, quę ſupera-

uérunt,

uérunt, fragménta: ne péreant. Collegérunt ergo: & impleuérunt duódecim cóphinos fragmentórum ex quinque pánibus hordeáceis, quæ ſuperfuérunt his, qui manducáuerant. Illi ergo hómines cùm vidíſſent, quod fécerat, ſignum: dicebãt. Quia hic eſt verè Prophéta: qui ventúrus eſt in mundum.

Offertorium. Laudáte Dóminum, quia benígnus eſt, pſállite nómini eius, quóniã ſuáuis eſt, ómnia, quæcúnque vóluit, fecit in cœlo, & in terra. Secreta.

SAcrificiis præſéntibus, Dómine, quæſumus, inténde placátus: vt & deuotióni noſtræ proficiant, & ſalúti. Per Dóminum.

Communio. Ieruſalem, quæ ædificátur vt ciuitas, cuius participátio eius in idipſum: illuc enim aſcendérunt Tribus Tribus Dómini, ad confiténdum nómini tuo, Dómine.

Poſtcommunio.

DA nobis, miſéricors Deus: vt ſancta tua, quibus inceſſánter explémur, ſincéris tractémus obſéquiis: & ſemper fidéli mente ſumámus. Per Dóminum.

FERIA SECVNDA.

Statio ad ſanctos quatuor Coronatos.

Introitus.



Deus in nómine tuo ſaluum me fac, & in virtúte tua iúdica me: Deus exáudi oratiónem meam. Pſalmus. Quóniam alieni inſurrexérũt in me: & fortes quæſiérunt ánimam meam.

Collecta.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus: vt obſeruatiónes ſacras ánnua deuotióne recoléntes: & córpore tibi placeámus, & mente. Per.

Lectio libri Regum. 3. cap. 3.

IN diébus illis. Venérunt duæ mulíeres meretríces ad Regem Salomónem: ſteterúntque corã eo. Quarum vna ait. Obſecro, mi Dómine: ego & múlier hæc habitabámus in domo vna, & péperi apud eã in cubículo. Tértia verò die poſtquã ego péperi: péperit & hæc. Et erámus ſimul: nullúſque álius in domo nobíſcum, excéptis nobis duábus. Mórtuus eſt autem filius mulíeris huius nocte: (dórmiens quippe oppréſſit eum.) Et cõſúrgens intempéſtæ noctis ſiléntio: tulit filium meum de látere meo ancíllæ tuæ dormiéntis, & collocáuit in ſinu ſuo. Suũ autem filium, qui erat mórtuus: póſuit in ſinu meo. Cumque ſurrexíſſem manè, vt darem lac filio meo: appáruit mórtuus. Quem diligéntiùs intuẽs clara luce: deprehéndi nõ eſſe meũ, quẽ genúeram. Reſpondítq; áltera múlier. Non eſt ita, ſed filius tuus mórtuus eſt: meus autẽ viuit. Econtráriò illa dicébat. Mentíris. Filius quippe meus viuit: & filius tuus mórtuus eſt. Atque in hunc modũ contendébant corã Rege. Tunc Rex ait. Hæc dicit, filius meus viuit, & filius tuus mórtuus eſt: & iſta reſpóndit, non, ſed filius tuus mórtuus eſt, & filius meus viuit. Dixit ergo Rex. Afférte mihi gládium. Cúmque attuliſſent gládium corã Rege: ait. Diuídite infántẽ viuum in duas partes: & date dimídiã partem vni, & dimídiam partem álteri. Dixit autẽ múlier, cuius filius erat viuus, ad Regẽ: (commóta ſunt quippe viſcera eius, ſuper filio ſuo.) Obſecro, mi Dómine: date illi infántem viuum, & nolíte interfícere eum. Econtráriò illa dicébat. Nec mihi, nec tibi ſit: ſed diuidátur. Reſpóndit Rex: & ait. Date huic infántem viuũ, & non occidátur: hæc eſt enim mater eius. Audíuit ítaque omnis Iſráel iudícium, quod iudicáſſet Rex: & timuérunt Regẽ, vidéntes ſapiéntiam Dei eſſe in eo: ad faciéndum iudícium.

℟. Eſto mihi in Deum protectórem, & in locum refúgij: vt ſaluum me fácias.

℣. Deus in te ſperáui, Dómine, non confúndar in ætérnum.

Tractus. Dómine non ſecúndum, &c.

Secúndum Ioánnem. cap.2.

IN illo témpore. Propè erat Paſcha Iudæórũ: & aſcéndit Ieroſólymam Ieſus. Et inuénit in templo vendéntes boues, & oues, & colúmbas: & nummulários ſedéntes. Et cũ feciſſet quaſi flagéllum de funículis: omnes eiécit de templo. Oues quoque & boues: & nummulariórũ effúdit æs, & menſas ſubuértit. Et his, qui colúmbas vendébant: dixit. Auférte iſta hinc: & nolíte fácere domũ Patris mei, domũ negotiatiónis. Recordáti verò ſunt diſcípuli eius: quia ſcriptum eſt. Zelus domus tuæ comédit me. Reſpondérũt ergo Iudǽi: & dixérunt ei. Quod ſignum oſténdis nobis, quia hæc facis? Reſpóndit Ieſus: & dixit eis. Sóluite templum hoc: & in tribus diébus excitábo illud. Dixérunt ergo Iudǽi. Quadragínta & ſex annis ædificátũ eſt templũ hoc: & tu tribus diébus excitábis illud? Ille autem dicébat de templo córporis ſui. Cum ergo reſurrexíſſet à mórtuis: recordáti ſunt diſcípuli eius, quia hoc dicébat. Et credidérunt ſcriptúræ: & ſermóni, quem dixit Ieſus. Cum autem eſſet Ieroſólymis in Paſcha in die feſto: multi credidérũt in nómine eius, vidéntes ſigna eius, quæ faciébat. Ipſe autem Ieſus non credébat ſemetipſum eis, eo quòd ipſe noſſet omnes: & quia opus ei non erat, vt quis teſtimóniũ perhibéret de hómine. Ipſe enim ſciébat: quid eſſet in hómine.

Offertorium Iubiláte Deo omnis terra, ſeruíte Dómino in lætítia: intráte in conſpéctu eius in exultatióne, quia Dóminus ipſe eſt Deus.

Secreta

OBlátum tibi, Dómine, ſacrifícium viuíficet nos ſemper, & múniat. Per Dóminum.

Communio. Ab ocúltis meis munda me, Dómine: & ab aliénis parce ſeruo tuo.

Poſtcommunio.

SVmptis, Dómine, ſalutáribus ſacraméntis: ad redemptiónis ætérnæ, quǽſumus, proficiámus augméntum. Per Dómi.

Super populum.

DEprecatiónem noſtram, quǽſumus, Dómine, benígnus exaúdi: & quibus ſupplicándi præſtas affóctum: tríbue defenſiónis auxílium. Per Dóminum.

FERIA TERTIA.

Statio ad S. Laurentium in Damaſo.

Introitus.

EXaúdi Deus oratiónẽ meam, & ne deſpéxeris deprecatiónẽ meã: inténde in me, & exaúdi me. Pſalmus. Contriſtátus ſum in exercitatióne mea: & conturbátus ſum à voce inimíci, & à tribulatióne peccatóris.

Collecta

SAcræ nobis, quǽſumus, Dómine, obſeruatiónis ieiúnia & piæ conuerſatiónis augméntum: & tuæ propitiatiónis contínuum præſtent auxílium. Per Dóminum.

Léctio libri Exodi. cap.32.

IN diébus illis: Locútus eſt Dóminus ad Móyſen, dicens. Deſcénde de monte: peccáuit pópulus tuus, quem eduxíſti de terra Ægýpti. Receſſérunt citò de via, quam oſténdiſti eis: fecerúntque ſibi vítulum cõflátilem, & adorauérunt, atque immolántes ei hóſtias, dixérunt. Iſti ſunt dij tui Iſráel: qui te eduxérunt de terra Ægýpti. Rurſúmq; ait Dóminus ad Móyſen. Cerno quòd pópulus iſte duræ ceruícis ſit: dimítte me vt iraſcátur furor meus contra eos, & déleam eos, faciámque te in gentem magnam. Móyſes autem:

orábat Dóminum Deum ſuum, dicens. Cur, Dómine, iráſcitur furor tuus contra pópulū tuum, quem eduxíſti de terra Ægýpti in fortitúdine magna, & in manu robúſta? Ne, quæſo, dicant Ægýptij, cállidè edúxit eos, vt interfíceret in móntibus: & delére de terra. Quiéſcat ira tua: & eſto placábilis ſuper nequítiam pópuli tui. Recordáre Abrahā, Iſaac, & Iſráel ſeruórum tuórum: quibus iuráſti per temetipſum, dicens. Multiplicábo ſemen veſtrum ſicut ſtellas cœli: & vniuérſam terram hanc, de qua locútus ſum, dabo ſémini veſtro: & poſſidébitis eā ſemper. Placatúſque eſt Dóminus, ne fáceret malum, quod locútus fúerat: aduérſus pópulum ſuum. Et miſértus eſt pópulo ſuo: Dóminus Deus noſter.

℟. **Exúrge Dómine, fer opem nobis, & líbera nos propter nomen tuum.** ℣. **Deus aúribus noſtris audíuimus: patres noſtri annuntiauérunt nobis opus, quod operátus es in diébus eórum & in diébus antíquis.**

Secúndum Ioánnem. cap. 7.

IN illo témpore: Iam die feſto mediánte: aſcéndit Ieſus in templum, & docébat. Et mirabántur Iudæi, dicéntes. Quómodò hic líteras ſcit, cū non didícerit? Reſpóndit eis Ieſus: & dixit. Mea doctrína non eſt mea: ſed eius, qui miſit me. Si quis volúerit voluntátem eius fácere: cognóſcet de doctrína mea, vtrum ex Deo ſit, an ego à meípſo loquar. Qui à ſemetípſo lóquitur: glóriā própriam quærit. Qui autem quærit glóriam, eius, qui miſit illum: hic verax eſt & iniuſtítia in illo non eſt. Nonne Móyſes dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem? Quid me quæritis interfícere? Reſpóndit turba: & dixit. Dæmónium habes. Quis te quærit interfícere? Reſpóndit Ieſus: & dixit eis. Vnum opus feci: & omnes mirámini. Proptérea Móyſes dedit vobis circunciſiónem: (non quia ex Móyſe eſt, ſed ex pátribus,) & in Sábbato circuncíditis hóminem. Si circūciſiónem áccipit homo in Sábbato vt non ſoluátur lex Móyſi: mihi indignámini quia totum hóminem ſanum feci in Sábbato? Nolíte iudicáre ſecúndū fáciem: ſed iuſtum iudícium iudicáte. Dicébant ergo quidam ex Ieroſólymis. Nonne hic eſt, quem quærunt interfícere? Ecce palam lóquitur: & nihil ei dicunt. Nunquid verè cognouérunt Príncipes, quia hic eſt Chriſtus? Sed hunc ſcimus, vnde ſit: Chriſtus autē cum vénerit, nemo ſcit, vnde ſit. Clamábat ergo Ieſus docens in templo: & dicens. Et me ſcitis, & vnde ſim ſcitis: & à meípſo non veni, ſed eſt verus, qui miſit me, quem vos neſcítis. Ego ſcio eum: quia ab ipſo ſum, & ipſe me miſit. Quærébant ergo eum apprehéndere: & nemo miſit in illū manus, quia nondum vénerat hora eius. De turba autem: multi crediérunt in eum.

Offertorium. **Expéctans expectáui Dóminum, & reſpéxit me, & exaudíuit deprecatiónem meam: & immíſit in os meum cánticum nouum, hymnum Deo noſtro.**

Secreta.

HÆc hóſtia, Dómine, quæſum°, emúndet noſtra delícta: & ſacrifícium celebrándum ſubditórū tibi córpora, mentéſque ſanctíficet. Per Dóminum noſtrum.

Communio **Lætábimur in Salutári tuo, & in nómine Dómini Dei noſtri magnificábimur.**

Poſtcommunio.

HVius nos, Dómine, percéptio ſacraménti mundet à crímine: & ad cœléſtia regna perdúcat. Per.

Súper populum. Oratio.

MIſerére, Dómine, pópulo tuo: & contínuis tribulatiónibus laborántem propítius reſpiráre concéde. Per Dóminum.

FERIA QVARTA.

Statio ad S. Paulum.

Introitus.

DVm ſanctificátus fúero in vobis, cógregábo vos de vniuérſis terris, & effúndam ſuper vos aquã mundam: & mundabímini ab ómnibus inquinaméntis veſtris: & dabo vobis ſpíritum nouum. Pſalmus. **Benedícam Dóminum in omni témpore: ſemper laus eius in ore meo.** Hic dicitur. **Dóminus vobíſcum.**

Orémus. **Flectámus génua: Leuáte.**

DEus, qui & iuſtis prǽmia meritórum, & peccatóribus per ieiúnium véniam præbes: miſerére ſupplícibus tuis: vt reátus noſtri cófeſſio, indulgéntiam váleat percípere delictórum. Per Dóminum.

Lectio Ezechiélis Prophétæ. cap. 36.

HÆc dicit Dóminus Deus. Sanctificábo nomen meum magnũ: vt ſciant Gentes, quia ego Dóminus, cũ ſanctificátus fúero in vobis coram eis. Tollam quippe vos de Géntibus: & cógregábo vos de vniuérſis terris: & addúcam vos in terram veſtram. Et effúndam ſuper vos aquam mundam: & mundabímini ab ómnibus inquinaméntis veſtris: & ab vniuérſis idólis véſtris mandábo vos. Et dabo vobis cor nouum: & ſpíritum nouum ponã in médio veſtri. Et aúferam cor lapídeum de carne veſtra: & dabo vobis cor cárneum: & Spíritum meum ponam in médio veſtri. Et fáciam, vt in præcéptis meis ambulétis: & iudícia mea cuſtodiátis, & operémini. Et habitábitis in terram, quam dedi pátribus veſtris, & éritis mihi in pópulum: & ego ero vobis in Deum. Dicit Dóminus omnípotens.

℟. Veníte filij, audíte me, timórem Dómini docébo vos. ℣. Accédite ad eum, & illuminámini: & fácies veſtræ non confundéntur. Hic non repetatur. **Dóminus vobíſcum.**

ſed. Orémus. **Flectámus génua: Leuáte.**

PRæſta, quǽſumus, omnípotens Deus: vt quos ieiúnia votiua caſtígant: ipſa quoque deuótio ſancta lætíficet: vt terrénis affectibus mitigátis: facílius cœléſtia capiámus. Per Dóminum noſtrum.

Lectio Iſaíæ Prophétæ. cap. 1.

HÆc dicit Dóminus Deus. Lauámini, mundi eſtóte: auférte malum cogitatiónum veſtrárum ab óculis meis. Quiéſcite ágere peruérſè: díſcite benefácere. Quǽrite iudícium: ſubueníte oppréſſo, diiudicáte pupíllo, defendíte víduam, & veníte, & argúite me, dicit Dóminus. Si fúerint peccáta veſtra vt cóccinum: quaſi nix dealbabúntur. Et ſi fúerint rubra quaſi vermículus: velut lana alba erunt. Si voluéritis, & audiéritis me: bona terræ comedétis. Dicit Dóminus: omnípotens.

℟. Beáta gens, cuius eſt Dóminus Deus eius, pópulus, quem elégit Dóminus in hæreditátẽ ſibi. ℣. Verbo Dómini cœli firmáti ſunt, & Spíritu oris eius omnis virtus eórum.

Tractus. **Dómine non ſecúndum, &c.**

Secúndum Ioánnem. cap. 9.

IN illo témpore. Prætériens Ieſus, vidit hóminem cæcum à natiuitáte: & interrogauérunt eum diſcípuli ſui. Rabbi: quis peccáuit, hic, aut paréntes eius, vt cæcus naſcerétur? Reſpóndit Ieſus. Neque hic peccáuit: neque paréntes eius: ſed vt manifeſténtur ópera Dei in illo. Me opórtet operári ópera eius, qui miſit me: donec dies eſt. Venit nox: quando nemo poteſt operári. Quándiu in mundo ſum: lux ſum mundi. Hæc cùm dixiſſet: éxpuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & liníuit lutum ſuper óculos eius, & dixit ei. Vade, laua in natatória Siloë: quod in-

terpretátur

terpretátur miſſus. Abiit ergo, & lauit: & venit videns. Itaque vicini, & qui vidébant eum priùs, quia mendícus erat: dicébant. Nonne hic eſt, qui ſedébat, & mendicábat? Alij dicébant, quia hic eſt: álij autem néquaquã, ſed ſímilis eſt eius. Ille verò dicébat: quia ego ſum. Dicébant ergo ei. Quómodo apérti ſunt tibi óculi? Reſpóndit. Ille homo, qui dícitur Iéſus, lutũ fecit, & vnxit óculos meos: & dixit mihi. Vade ad natatóriã Síloë: & laua. Et ábij: & laui: & vidi. Et dixérũt ei. Vbi eſt ille? Ait. Néſcio. Addúcunt autem eum ad Phariſæos: qui cæcus fúerat. Erat autem Sábbatum, quãdo lutum fecit Iéſus: & apéruit óculos eius. Iterum ergo interrogábant eum phariſæi: quómodo vidiſſet. Ille autem dixit eis. Lutũ póſuit mihi ſuper óculos: & laui, & vídeo. Dicébant ergo: ex Phariſæis quidam. Non eſt hic homo à Deo: qui Sábbatum non cuſtódit. Alij dicébant. Quómodo poteſt homo peccátor hæc ſigna fácere? Et ſchiſma erat inter eos. Dicunt ergo cæco íterũ. Tu quid dicis de eo, qui apéruit óculos tuos? Ille autẽ dixit: quia Prophéta eſt. Non credidérunt ergo Iudǽi de illo, quia cæcus fuiſſet, & vidiſſet: donec vocauérũt paréntes eius, qui víderat: & interrogauérunt eos, dicéntes. Hic eſt fílius veſter, quem vos dícitis, quia cæcus natus eſt? Quómodo ergo nunc videt? Reſpondérunt eis paréntes eius: & dixérunt. Scimus, quia hic eſt fílius noſter: & quia cæcus natus eſt. Quómodo autem nunc vídeat neſcímus: aut quis apéruit óculos eius, nos neſcímus. Ipſum interrogáte. Ætátem habet: ipſe de ſe loquátur. Hæc dixérunt paréntes eius: quia timébant Iudǽos. Iam enim conſpiráuerant Iudǽi: vt ſi quis eum confiterétur eſſe Chriſtũ, extra Synagógam fieret. Proptérea paréntes eius dixérunt: quia ætátem habet, ipſum interrogáte. Vocauérũt ergo rurſum hóminem, qui fúerat cæcus: & dixérunt ei. Da glóriam Deo. Nos ſcimus quia hic homo peccátor eſt. Dixit ergo ille. Si peccátor eſt: néſcio. Vnum ſcio: quia cæcus cum eſſem, modò vídeo. Dixérunt ergo illi. Quid fecit tibi? Quómodo apéruit tibi óculos? Reſpóndit eis. Dixi vobis iam: & audíſtis. Quid íterũ vultis audíre? Nũquid & vos vultis diſcípuli eius fieri? Maledixérunt ei: & dixérunt. Tu diſcípulus eius ſis: nos autem Móyſi diſcípuli ſumus. Nos ſcimus quia Móyſi locútus eſt Deus: hunc autem neſcímus, vnde ſit. Reſpóndit ille homo: & dixit eis. In hoc enim mirábile eſt: quia vos neſcitis vnde ſit, & apéruit óculos meos. Scimus autem quia peccatóres Deus non audit: ſed ſi quis Dei cultor eſt, & voluntátem eius facit hunc exáudit. A ſǽculo non eſt audítum: quia apéruit quis óculos cæci nati. Niſi eſſet hic à Deo: non póterat fácere quicquam. Reſpondérunt: & dixérunt ei. In peccátis natus es totus, & tu doces nos? Et eiecérunt eum foras. Audíuit Iéſus, quia eiecérunt eum foras: & cũ inueniſſet eum, dixit ei. Tu credis in Fílium Dei? Reſpóndit ille: & dixit. Quis eſt, Dómine, vt credam in eum? Et dixit ei. Iéſus. Et vidíſti eum: & qui lóquitur tecum, ipſe eſt. At ille ait. Credo, Dómine. Et prócidens: adoráuit eum.

Offertorium. Benedícite Gentes Dóminum Deum noſtrum, & obaudíte vocem laudis eius, qui póſuit ánimam meam ad vitam, & non dedit commouéri pedes meos: benedíctus Dóminus, qui non amóuit deprecatiónem meam, & miſericórdiam ſuam à me.

Secreta.

SVpplices, Dómine, te rogámus, vt his ſacrifíciis peccáta noſtra mundéntur: quia tunc veram nobis tríbuis mentis & córporis ſanitá-

tem. Per Dóminum noſtrum.

Cõmunio. Lutum fecit ex ſputo Dóminus, & liniuit óculos meos, & ábij, & laui, & vidi: & crédidi Deo. Poſtcommunio.

SAcraménta, quę ſúmpſimus, Dómine Deus noſter, & ſpirituálibus nos répleant aliméntis: & corporálibus tueántur auxíliis. Per Dó.

Super populum Oratio.

PAteant aures miſericórdiæ tuæ, Dómine, précibus ſupplicántium: & vt peténtibus deſideráta cõcédas: fac eos, quæ tibi ſunt plácita, poſtuláre. Per Dóminum noſtrum.

FERIA QVINTA.

Statio ad SS. Syluestrũ & Martinum.

Introitus.

LÆtétur cor quęréntium Dóminũ: quǽrite Dóminum, & confirmámini: quǽrite fáciem eius ſemper.

Pſalmus. Confitémini Dómino, & inuocáte nomen eius: annuntiáte inter Gentes ópera eius. Collecta.

PRæſta, quǽſumus, omnípotens Deus: vt quos ieiúnia votiua caſtígant: ipſa quoque deuótio ſancta lætíficet: vt terrénis affectibus mitigátis: facilius cœléſtia capiámus. Per Dóminum noſtrum.

Léctio libri Regum. 4. cap. 4.

IN diébus illis. Venit múlier Sunamítis ad Eliſǽum virum Dei: in montem Carméli. Cumque vidíſſet eam vir Dei de contrà: ait ad Giézi púerum ſuum. Ecce Sunamítis illa. Vade ergo in occúrſum eius: & dic ei. Recténe ágitur circa te, & circa virum tuum, & circa fílium tuum? Quæ reſpóndit. Rectè. Cumque veniſſet ad virum Dei in montem: apprehéndit pedes ei⁹. Et acceſſit Giézi: vt amouéret eam. Et ait homo Dei. Dimitte illam: ánima enim eius in amaritúdine eſt, & Dóminus celáuit à me, & non indicáuit mihi. Quæ dixit illi. Nunquid petíui fílium à dómino meo? Nunquid non dixi tibi, ne illúdas me? Et ille ait, ad Giézi. Accínge lumbos tuos: & tolle báculum meum in manu tua, & vade. Si occúrrerit tibi homo non ſalútes eum: & ſi ſalutáuerit te quiſpiã, non reſpóndeas illi Et pones báculum meum: ſuper fáciẽ púeri. Porrò mater púeri ait. Viuit Dóminus, & viuit ánima tua: non dimíttam te. Surréxit ergo & ſecútus eſt eam. Giézi autem præceſſerat eos: & poſúerat báculum ſuper fáciem púeri: & nõ erat vox, neque ſenſus. Reuerſúſque eſt in occúrſum eius: & nuntiáuit ei, dicens. Nõ ſurréxit puer. Ingréſſus eſt ergo Eliſǽus domum: & ecce puer mórtuus iacébat in léctulo eius Ingreſſúſque, clauſit óſtium ſuper ſe, & ſuper púerum: & oráuit ad Dóminum. Et aſcéndit, & incúbuit ſuper púerum: poſuítque os ſuum ſuper os eius. & óculos ſuos ſuper óculos eius, & manus ſuas ſuper manus eius. Et incuruáuit ſe ſuper eum: & calefácta eſt caro púeri. At ille reuérſus: deambuláuit in domo ſemel huc, & illuc. Et aſcéndit, & incúbuit ſuper púerũ: & oſcitáuit puer ſépties, aperuítque óculos. Et ille vocáuit Giézi: dixítque ei. Voca Sunamítidem hanc Quæ vocáta: ingréſſa eſt ad eum. Qui ait. Tolle fílium tuum. Venit illa: & córruit ad pedes eius, & adoráuit ſuper terram. Tulítque fílium ſuũ: & egréſſa eſt. Et Eliſǽus: reuérſus eſt in Gálgala.

℟. Réſpice Dómine in teſtaméntum tuum, & ánimas paúperum tuórum ne obliuiſcáris in finem. ℣. Exurge Dómine, & iúdica cauſam tuam, memor eſto oppróbrij ſeruórum tuórum.

Secúndum Ioánnem. cap. 7.

IN illo témpore. Cum audíſſent quidam de turba ſermónes Iéſu:

dicébant.

dicébant. Hic eſt verè Prophéta. Alij dicébant: hic eſt Chriſtus. Quidam autem dicébant. Nunquid à Galilǽa Chriſtus venit? Nonne ſcriptúra dicit, quia ex ſémine Dauid, & de Béthleem caſtéllo, vbi erat Dauid, venit Chriſtus? Diſſénſio ítaque facta eſt in turba: propter eum. Quidam autem ex ipſis volébant apprehéndere eum: ſed nemo miſit ſuper illum manus. Venérunt ergo miníſtri ad Pontífices, & Phariſǽos: & dixérunt eis illi. Quare non adduxíſtis eũ? Reſpondérunt miníſtri. Nunquam ſic locútus eſt homo: ſicut hic lóquitur. Reſpõdérunt ergo eis Phariſǽi. Nunquid & vos ſedúcti eſtis? Nunquid áliquis ex Princípibus crédidit in eum, aut ex Phariſǽis? Sed turba hæc, quæ non nouit legem: maledícti ſunt. Dicit Nicodémus ad eos, ille, qui venit ad eum nocte: qui erat vnus ex ipſis. Nunquid lex noſtra iúdicat hóminem niſi audíerit ab ipſo priùs, & cognóuerit quid fáciat? Reſpondérunt: & dixérunt ei. Nunquid & tu Galilǽus es? Scrutáre, & vide: quia Prophéta à Galilǽa non ſurgit. Et reuérſi ſunt vnuſquíſque: in domum ſuam.

Offertorium. **Dómine ad adiuuándum me feſtína, confundántur omnes, qui cógitant ſeruis tuis mala.** Secreta.

Purífica nos, miſéricors Deus: vt Eccléſię tuæ preces, quę tibi gratę ſunt, pia múnera deferéntes, fiant expiátis méntibus gratióres. Per Dóminum noſtrum.

Communio. **Dómine, memorábor iuſtítiæ tuæ ſolíus, Déus docuíſti meà iuuentúte mea: & vſque in ſenéctam, & ſénium, Deus ne derelínquas me.**

Poſtcommunio.

Cæléſtia dona capiéntibus, quǽſumus, Dómine non ad iudícium prouenire patiáris, quod fidélibus tuis ad remédium prouidíſti. Per Dóminum.

Super populum. Oratio.

Populi tui Deus inſtitútor, & rector, peccáta, quibus impugnátur, expélle: vt ſemper tibi plácitus, & tuo munímine ſit ſecúrus. Per Dóminum noſtrum.

FERIA SEXTA.

Statio ad S. Euſebium.

Introitus.

Meditátio cordis mei in conſpéctu tuo ſemper: Dómine, adiútor meus, & redémptor meus. Pſalmus. C**œli enárrant glóriam Dei: & ópera mánuum eius annúntiat firmaméntum.** Collecta.

Deus, qui ineffabílibus mũdum rénouas ſacraméntis, præſta, quǽſumus: vt Eccléſia tua ætérnis profíciat inſtitútis, & temporálibus non deſtituátur auxíliis. Per Dómi.

Léctio libri Regum. 3. cap. 17.

In diébus illis. Ægrotáuit filius mulíeris matris famílias: & erat languor fortíſſimus, ita vt nõ remanéret in eo hálitus. Dixit ergo ad Elíam. Quid mihi, & tibi vir Dei? Ingréſſus es ad me, vt rememoraréntur iniquitátes meæ & interfíceres filium meũ? Et ait ad eam Elías. Da mihi filium tuum. Tulítq; eum de ſinu illíus: & portáuit in cœnáculũ, vbi ipſe manébat, & póſuit ſuper lectũ ſuum, & clamáuit ad Dóminum, & dixit. Dómine Deus meus: etiám-ne víduam, apud quam ego vtcúnque ſuſténtor, afflixíſti, vt interfíceres filium eius? Et expándit ſe atque menſus eſt ſuper púerum tribus vícibus: clamauítque ad Dóminum, & dixit. Dómine Deus meus: reuertátur, óbſecro, ánima púeri huius in víſcera eius. Et exaudíuit Dóminus vocem Elíæ: & reuérſa eſt ánima púeri intra eum, & reuíxit.

Tuliſtque Elías púerum, & depóſuit eum de cœnáculo in inferiórem domum: & trádidit matri ſuæ. Et ait illi. En viuit fílius tuus. Dixítque múlier ad eum. Nunc in iſto cognóui, quóniam vir Dei es tu: & verbum Dómini in ore tuo verum eſt.

℟. Bonum eſt confidere in Dómino: quàm confidere in hómine. ℣. Bonum eſt ſperáre in Dómino: quàm ſperáre in Princípibus.

Tractus. Dómine non ſecúndum, &c.

Secúndum Ioánnem. cap. 11.

IN illo témpore. Erat quidam lan-guens Lázarus à Bethánia: de caſtéllo Maríæ & Marthæ ſorórũ eius. (María autẽ erat, quæ vnxit Dóminũ vnguénto, & extérſit pedes eius capíllis ſuis: cuius frater Lázarus infirmabátur.) Miſérunt ergo ſorores eius ad eum: dicéntes. Dómine: ecce quem amas, infirmátur. Aúdiens autem Iéſus: dixit eis. Infírmitas hæc nõ eſt ad mortem: ſed pro glória Dei, vt glorificétur Fílius Dei per eum. Diligébat autem Iéſus Martham, & ſorórem eius Maríam: & Lázarum. Vt ergo audíuit quia infirmabátur: tũc quidem manſit in eódem loco duóbus diébus. Deinde poſt hæc: dixit diſcípulis ſuis. Eámus in Iudæam íterum. Dicũt ei diſcípuli. Rabbi: nunc quærébant te Iudǽi lapidáre: & íterũ vadis illuc? Reſpóndit Iéſus. Nonne duódecim horæ ſunt diéi? Si quis ambuláuerit in die, non offéndit: quia lucem huius mũdi videt. Si autem ambuláuerit in nocte offéndit: quia lux non eſt in eo. Hęc ait: & poſt hoc dicit eis. Lázarus amícus noſter dormit: ſed vado, vt à ſomno éxcitẽ eum. Dixérunt ergo diſcípuli eius. Dómine: ſi dormit: ſaluus erit. Díxerat autem Iéſus de morte eius. Illi autem putauérunt: quia de dormitióne ſomni díceret. Tunc ergo: dixit eis Iéſus maniféſtè. Lázarus mórtuus eſt: & gaúdeo propter vos, vt credátis, quóniam non eram ibi. Sed eámus ad eum. Dixit ergo Thomas, qui dícitur Dídimus: ad condiſcípulos. Eámus & nos: & moriámur cum eo. Venit ítaque Iéſus: & inuénit eum quátuor dies iam in monuménto habéntem. Erat autem Bethánia iuxta Ieroſólymam: quaſi ſtádiis quíndecim. Multi autem ex Iudǽis vénerãt ad Martham, & Maríam: vt conſolaréntur eas, de fratre ſuo. Martha ergo vt audíuit, quia Iéſus venit: occúrrit illi. María autẽ: domi ſedébat. Dixit ergo Martha ad Iéſum. Dómine: ſi fuíſſes hic: frater meus nõ fuíſſet mórtuus. Sed & nũc ſcio: quia quæcúnque popóſceris à Deo, dabit tibi Deus. Dicit illi Iéſus. Reſúrget frater tu'. Dicit ei Martha. Scio: quia reſúrget in reſurrectióne, in nouíſſimo die. Dicit ei Iéſus. Ego ſum reſurréctio: & vita. Qui credit in me: étiam ſi mórtuus fúerit, viuet. Et omnis qui viuit, & credit in me: non moriétur in ætérnũ. Credis hoc? Ait illi. Vtique Dómine. Ego crédidi, quia tu es Chriſtus Fílius Dei: qui in hunc mundũ veníſti. Et cum hæc dixíſſet: ábiit, & vocáuit Maríam ſorórem ſuam ſiléntio, dicens. Magíſter adeſt: & vocat te. Illa vt audíuit: ſurréxit citò, & venit ad eum. Nondum enim vénerat Iéſus in caſtéllũ: ſed erat adhuc in illo loco, vbi occúrrerat ei Martha. Iudǽi ígitur, qui erant cum ea in domo, & conſolabántur eam, cum vidíſſent Maríam, quia citò ſurréxit, & éxiit: ſecúti ſũt eam, dicéntes, quia vadit ad monuméntum, vt ploret ibi. María ergo cum veníſſet vbi erat Iéſus: videns eum, cécidit ad pedes eius, & dixit ei. Dómine: ſi fuíſſes hîc: non eſſet mórtuus frater meus. Iéſus ergo, vt vidit eam plorántem, & Iudǽos qui vénerant cum ea plorántes: infrémuit ſpíritu, & turbáuit ſeípſum, & dixit. Vbi poſuíſtis eum? Dicunt ei. Dómine: veni, & vide.

Et lachrymátus eſt Iéſus. Dixérũt ergo Iudǽi. Ecce: quómodo amábat eum. Quidam autem dixérunt ex ipſis. Non póterat hic, qui apéruit óculos cæci nati fácere, vt & hic nõ moreretur? Iéſus ergo rurſum fremens in ſemetipſo: venit ad monuméntum. Erat autem ſpelúnca: & lapis ſuperpóſitus erat ei. Ait Iéſus. Tóllite lápidem. Dicit ei Martha: ſoror eius, qui mórtuus fúerat. Dómine: iã fœtet: quatriduánus enim eſt. Dicit ei Iéſus. Nonne dixi tibi, quóniam, ſi credíderis, vidébis glóriam Dei? Tulérunt ergo lápidem. Iéſus autem eleuátis ſurſum óculis: dixit. Pater: grátias ago tibi: quóniã audíſti me. Ego autẽ ſciébam, quia ſemper me audis: ſed propter pópulum, qui circúnſtat, dixi, vt credant, quia tu me miſíſti. Hæc cum dixíſſet: voce magna clamáuit. Lázare: veni foras. Et ſtatim pródiit, qui fúerat mórtuus, ligátus pedes & manus ínſtitis: & fácies illíus ſudário erat ligáta. Dicit eis Iéſus. Sóluite eum: & ſínite abíre. Multi ergo ex Iudǽis, qui vénerant ad Maríam, & Martham & víderant quæ fecit Iéſus: credidérunt in eum.

Offertorium. **Pópulum húmilem ſaluum fácies Dómine, & óculos ſuperbórum humiliábis: quóniam quis Deus præter te Dómine.** Secreta.

MVnera nos Dómine, quǽſumus obláta purificẽt, & te nobis iúgiter fáciant eſſe placátũ. Per.

Communio. **Videns Dóminus flentes ſorórres Lázari ad monuméntum, lachrymátus eſt coram Iudǽis, & clamábat, Lázare, veni foras, & pródiit ligátis mánibus, & pédibus qui fúerat quatriduánus mórtuus.**

Poſtcommunio.

HÆc nos, quǽſumus, Dómine, participátio ſacraménti & à própriis reátibus indeſinénter expédiat? & ab ómnibus tueátur aduérſis. Per Dóminum.

Super populum. Oratio.

DA, quǽſumus omnípotẽs Deus: vt qui infirmitátis noſtræ cónſcij de tua virtúte confídimus? ſub tua ſemper pietáte gaudeámus. Per Dóminum noſtrum.

SABBATO.

Statio ad S. Nicolaum in carcere.

Introitus.

SItiéntes veníte ad aquas, dicit Dóminus: &, qui non habétis prétiũ, veníte, & bíbite cum lætítia. Pſalmus. **Atténdite pópule meus legem meam: inclináte aurem veſtram in verba oris mei.** Collecta.

FIat Dómine, quǽſumus, per grátiam tuam fructuóſus noſtræ deuotiónis afféctus: quia tunc nobis próderunt ſuſcépta ieiúnia? ſi tuæ ſint plácita pietáti. Per Dóminum.

Lectio Iſaíæ Prophétæ. cap. 49.

HÆc dicit Dóminus. In témpore plácito exaudíui te: & in die ſalútis auxiliátus ſum tui. Et ſeruáui te, & dedi te in fœdus pópuli: vt ſuſcitáres terram, & poſſidéres hęreditátes diſſipátas, vt díceres his, qui vincti ſunt, exíte, & his, qui in ténebris, reuelámini. Super vias paſcéntur: & in ómnibus planis páſcuæ eórum. Non eſúrient, neque ſítient, & non percútiet eos æſtus, & ſol: quia miſerátor eórũ reget eos, & ad fontes aquárum potábit eos. Et ponam omnes montes meos in viam: & ſémitæ meæ exaltabúntur. Ecce iſti de longè vénient: & ecce illi ab Aquilóne, & mari, & iſti de terra auſtráli. Laudáte cœli, & exúltet terra? iubiláte mõtes laudẽ: quia cõſolátus eſt Dóminus pópulũ ſuum, & páuperũ ſuórum miſerébitur. Et dixit Sion. Relíquit me Dóminus: & Dóminus oblítus eſt mei. Nunquid obliuíſci

poteſt múlier infántē ſuum, vt non misereátur filio vteri ſui? Et ſi illa oblíta fúerit: ego tamē non obliuíſcar tui. Dicit Dóminus: omnípotēs.

℟. Tibi Dómine, derelíctus eſt pauper, pupillo tu eris adiútor. ℣. Vt quid, Dómine, receſsíſti longè, déſpicis in opportunitátibus in tribulatióne: dum ſupérbit ímpius, incénditur pauper.

Secúndum Ioánnem. cap. 8.

IN illo témpore. Dicébat Ieſus turbis Iudæórum. Ego ſum lux mundi. Qui ſéquitur me non ámbulat in ténebris: ſed habébit lumē vitæ. Dixérunt ergo ei Phariſǽi. Tu de teípſo teſtimóniū pérhibes: teſtimónium tuum non eſt verum. Reſpóndit Iéſus: & dixit eis. Et ſi ego teſtimóniū perhíbeo de meípſo, verum eſt teſtimónium meum: quia ſcio, vnde vénio, & quò vado. Vos autem neſcítis vnde vénio: aut quò vado. Vos ſecúndum carnem iudicátis: ego nō iúdico quēquam. Et ſi iúdico ego, iudícium meum verum eſt: quia ſolus nō ſum, ſed ego, & qui miſit me, Pater. Et in lege veſtra ſcriptum eſt: quia duórum hóminū teſtimónium verū eſt. Ego ſum, qui teſtimónium perhíbeo de meípſo: & teſtimóniū pérhibet de me, qui miſit me, Pater. Dicébant ergo ei. Vbi eſt Pater tuus? Reſpóndit Iéſus. Neque me ſcitis: neque Patrem meum. Si me ſcirétis: fórſitan & Patrem meum ſcirétis. Hæc verba locútus eſt Iéſus in gazophylácio: docens in templo. Et nemo apprehéndit eum: quia necdum vénerat hora eius.

Offertorium. Factus eſt Dóminus firmaméntum meum, & refúgium meum, & liberátor meus, ſperábo in eum. Secreta

OBlatiónibus, quǽſumus Dómine, placáre ſuſcéptis: & ad te noſtras étiam rebélles cōpélle propítius voluntátes. Per Dóminum.

Cōmunio. Dóminus regit me, & nihil mihi déerit, in loco páſcuę ibi me collocáuit ſuper aquam refectiónis educáuit me. Poſtcom.

TVa nos, quǽſumus, Dómine, ſancta puríficent: & operatióne ſua perfíciāt eſſe plácitos. Per Dóminum noſtrum.

Super populum. Oratio.

DEus, qui ſperántibus in te miſeréri pótius éligis, quàm iráſci: da nobis dignè flere mala quæ fécimus: vt tuæ conſolatiónis grátiam inueníre valeámus. Per Dóminum.

DOMINICA QVINTA in Paſſione Domini.

Statio ad ſanctum Petrum.

Introitus.

IVdica me Deus, & diſcérne cauſam meā de Gēte nō ſancta: ab hómine iníquo & dolóſo éripe me: quia tu es Deus meus, & fortitúdo mea.

Pſalmus. Emitte lucem tuam, & veritátem tuam: ipſa me deduxérunt, & adduxérunt in montem ſanctum tuum, & in tabernácula tua. Ab hinc vſque ad Paſcha non dicitur. Glória Patri. in officiis de Paſſione.

In aliis tamen officiis debet dici. Collecta.

QVǽſumus, omnípotens Deus, famíliam tuam propítius réſpice: vt, te largiénte, regátur in córpore: & te ſeruánte, cuſtodiátur in mente. Per Dóminum.

Ad Hebrǽos. cap. 9.

FRatres: Chriſtus aſsíſtens póntifex futurórum bonórū perámplius, & perféctius tabernáculū non manu fáctum, id eſt, non huius creatiónis: neque per ſánguinem hircórum, aut vitulórum, ſed per próprium ſánguinem introíuit ſemel in Sācta: ætérna redemptióne inuénta. Si enim ſanguis hircórum, & tauRórum: & cinis vítulæ aſpérſus, inquinátos ſanctíficat ad emundatiónem carnis: quantò magis ſanguis Chri-

ſti, qui per Spíritum Sanctum ſemetípſum óbtulit immaculátum Deo, emundábit conſciéntiam noſtram ab opéribus mórtuis, ad ſeruiéndũ Deo viuénti? Et ídeo noui teſtaméti mediátor eſt: vt morte intercedénte in redemptiónem eárum præuaricatiónum, quæ erant ſub prióri teſtaménto, repromiſſiónem accípiant, qui vocáti ſunt ætérnæ hæreditátis. In Chriſto Iéſu: Dómino noſtro.

℟. E´ripe me, Dómine, de inimícis meis, doce me fácere voluntátem tuam. ℣. Liberátor meus, Dómine, de Géntibus iracúndis, ab inſurgéntibus in me exaltábis me, à viro iníquo erípies me. Tractus.

SÆpe expugnauérunt me à iuuentúte mea. ℣. Dicat nunc Iſráel: Sæpe expugnauérunt me à iuuentúte mea. ℣. E´tenim non potuérunt mihi, ſupra dorſum meum fabricauérunt peccatóres. ℣. Prolongauérunt iniquitátem ſibi, Dóminus iuſtus concídet ceruíces peccatórum.

Secúndum Ioánnem. cap. 8.

IN illo témpore. Dicébat Iéſus turbis Iudæórum: & Princípibus Sacerdótum. Quis ex vobis árguet me de peccáto? Si veritátem dico: quare vos nõ créditis mihi? Qui eſt ex Deo: verba Dei audit. Proptérea vos non audítis: quia ex Deo non eſtis. Reſpondérunt ergo Iudǽi: & dixérunt ei. Nonne benedícimus nos, quia Samaritánus es tu, & dæmónium habes? Reſpóndit Iéſus. Ego dæmóniũ non hábeo: ſed honorífico patrem meum, & vos inhonoráſtis me. Ego autem non quæro glóriam meã: eſt qui quærat, & iúdicet. Amen amen dico vobis: ſi quis ſermónem meum ſeruáuerit, mortem non vidébit in ætérnũ. Dixérunt ergo Iudǽi. Nunc cognóuimus: quia dæmónium habes. Abráham mórtuus eſt, & Prophétæ: & tu dicis, ſi quis ſermónem meum ſeruáuerit, nõ guſtábit mortem in ætérnum? Nunquid tu maior es patre noſtro Abráham, qui mórtuus eſt? Et Prophétæ mórtui ſunt. Quem teípſum facis? Reſpóndit Iéſus. Si ego glorífico meípſum: glória mea nihil eſt. Eſt pater meus, qui gloríficat me: quem vos dícitis, quia Deus noſter eſt, & non cognouiſtis eum. Ego autem noui eum. Et ſi dixero, quia non ſcio eum: ero símilis vobis mendax. Sed ſcio eum: & ſermónem eius ſeruo. Abráham pater veſter exultáuit, vt vidéret diem meum: & vidit, & gauíſus eſt. Dixérunt ergo Iudǽi ad eũ. Quinquagínta annos nondum habes: & Abráhã vidíſti? Dixit eis Iéſus. Amen amen dico vobis: ántequam Abráham fíeret, ego ſum. Tulérunt ergo lápides: vt iácerent in eum. Iéſus autem abſcóndit ſe: & exíuit de templo.

Offertorium. Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo, retríbue ſeruo tuo, vt viuã: & cuſtódiam in ſermónes tuos: viuífica me ſecúndum verbum tuum, Dómine. Secreta.

HÆc múnera, Dómine, quǽſumus, & vínculà noſtræ prauitá tis abſóluant: & tuæ nobis miſericórdiæ dona concílient. Per Dómi.

Communio. Hoc corpus, quod pro vobis tradétur, hic calix noui teſtaménti eſt in meo ſánguine, dicit Dóminus: hoc fácite, quotieſcúnque ſúmitis, in meam commemoratiónem. Poſtcommunio.

ADeſto nobis, Dómine Deus noſter: & quos tuis myſtériis recreáſti? perpétuis defénde perículis Per Dóminum.

FERIA SECVNDA.

Statio ad S. Chryſogonum.

Introitus.

MIſerére mihi Dómine, quónian conculcáuit mi homo: tota di bellans tribuláuit me.

Pſalmus. Conculcauérunt me inimíci mei tota die quónian

Digitized by Google

multi bellántes aduérſum me. Collecta

SAnctífica, quǽſumus Dómine, noſtra ieiúnia: & cunctárum nobis propítius indulgéntiam largíre culpárum. Per Dóminum.

Léctio Ionæ Prophétæ. cap. 3.

IN diébus illis: Factum eſt verbum Dómini ad Iónam Prophétam ſecúndo, dicens. Surge, & vade in Níniuem ciuitátem magnam: & prǽdica in ea prædicatióne̅, quam ego loquor ad te. Et ſurréxit Iónas: & ábiit in Níniuem, iuxta verbum Dómini. Et Níniue erat ciuitas magna: itínere diérum trium. Et cœpit Iónas introíre in ciuitátem itínere diéi vníus: & clamáuit, & dixit. Adhuc quadragínta dies: & Níniue ſubuertétur. Et crediderunt viri Niniuítæ in Dómino: & prædicauérunt ieiúnium, & veſtíti ſunt ſaccis, à maióre, vſque ad minórem. Et peruénit verbum ad Regem Níniue: & ſurréxit de ſólio ſuo, & abiécit veſtiméntum ſuum à ſe, & indútus eſt ſacco, & ſedit in cínere. Et clamáuit, & dixit in Níniue ex ore Regis, & príncipum eius, dicens. Hómines, & iuménta, & boues, & pécora, non guſtent quicquam, nec paſcántur: & aquam non bibant. Et operiántur ſaccis hómines: & iuménta clament ad Deum, in fortitúdine. Et conuertátur vir, à via ſua mala: & ab iniquitáte, quæ eſt in mánibus eórum. Quis ſcit ſi conuertátur, & ignóſcat Deus, & reuertátur à furóre iræ ſuæ, & non períbimus? Et vidit Deus ópera eórum: quia conuérſi ſunt de via ſua mala. Et miſértus eſt pópulo ſuo: Dóminus Deus noſter.

℟. Deus exáudi oratiónem meam, áuribus pércipe verba oris mei. ℣. Deus in nómine tuo ſaluū me fac, & in virtúte tua iúdica me.

Tractus. **Dómine non ſecúndum peccáta noſtra fácias nobis, &c.**

Secúndum Ioánnem. cap. 7.

IN illo témpore. Miſérunt Príncipes, & Phariſǽi miníſtros: vt appræhénderent Ieſum. Dixit ergo Ieſus. Adhuc módicum tempus vobiſcum ſum: & vado ad eum, qui miſit me. Quærétis me, & non inueniétis: & vbi ſum ego, vos non potéſtis veníre. Dixérunt ergo Iudǽi ad ſemetipſos. Quò hic itúrus eſt, quia nō inueniémus eum? Nunquid in diſperſióne̅ Géntium itúrus eſt, & doctúrus Gentes? Quis eſt hic ſermo, quem dixit, quærétis me, & non inueniétis, & vbi ſum ego, vos non potéſtis veníre? In nouíſſimo autem die magno feſtiuitátis: ſtabat Ieſus, & clamábat, dicens. Si quis ſitit: véniat ad me, & bibat. Qui credit in me: (ſicut dicit ſcriptúra,) flúmina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit, de Spíritu, quem acceptúri erant: credéntes in eum.

Offertorium. **Dómine conuértere, & éripe ánimam meam: ſaluum me fac propter miſericórdiam tuam.**

Secreta.

COncéde nobis Dómine Deus noſter: vt hæc hóſtia ſalutáris & noſtrórum fiat purgátio delictórum: & tuæ propitiátio maieſtátis. Per Dóminum.

Communio. **Dóminus virtútum ipſe eſt Rex glóriæ.**

Poſtcommunio.

SAcraménti tui, quǽſumus, Dómine, participátio ſalutáris: & purificatiónem nobis prǽbeat, & medélam. Per Dóminum.

Super pópulum. Oratio.

DA, quǽſumus, Dómine pópulo tuo ſalútem mentis, & córporis: vt bonis opéribus inhæréndo, tua ſemper mereátur protectióne deféndi. Per Dóminum.

Digitized by Google

FERIA TERTIA.
Statio ad S. Cyriacum.

Introitus.

EXpécta Dóminũ viríliter age: & confortétur cor tuum, & ſúſtine Dóminum. Pſalmus Dóminus illuminátio mea, & ſalus mea: quem timébo? Collecta

NOſtra tibi, quæſumus, Dómine, ſint accépta ieiúnia: quæ nos & expiándo grátia tua dignos efficiant ? & ad remédia perdúcant ætérna. Per Dóminum.

Léctio Daniélis Prophétæ. cap. 14.

IN diébus illis: Congregáti ſunt Babylónij ad Regem: & dixérunt ei. Trade nobis Daniélẽ: qui Bel deſtrúxit, & dracónẽ interfécit. Alióquin: interficiémus te, & domum tuam. Vidit ergo Rex, quòd irrúerẽt in eum veheménter: & neceſſitáte compúlſus, trádidit eis Daniélem. Qui miſérunt eũ in lacum leónum: & erat ibi ſex diébus. Porrò in lacu erant leónes ſeptem: & dabántur eis quotídie duo córpora, & duæ oues. Et tunc non data ſunt eis: vt deuorárent Daniélẽ. Erat autem Hábacuch Prophéta in Iudǽa ? & ipſe cóxerat pulméntũ, & intríuerat panes in alueólo: & ibat in campum, vt ferret meſſóribus. Dixítq; Angelus Dómini ad Hábacuch. Fer prándiũ, quod habes, in Babylónem Daniéli: qui eſt in lacu leónum. Et dixit Hábacuch. Dómine: Babylónem non vidi: & lacũ néſcio. Et apprehéndit eum Angelus Dómini in vértice eius ? & portáuit eum capíllo cápitis ſui, poſuítque eum in Babylóne ſuper lacũ: in ímpetu ſpíritus ſui. Et clamáuit Hábacuch, dicẽs. Dániel ſerue Dei: tolle prándium, quod miſit tibi Deus. Et ait Dániel. Recordátus es enim mei Dómine Deus meus: & non dereliquíſti diligéntes te. Surgénſque Dániel comédit. Porro Angelus Dómini: reſtítuit Hábacuch conféſtim in loco ſuo. Venit ergo Rex die ſéptima: vt lugéret Daniélem. Et venit ad lacum, & introſpéxit: & ecce Dániel ſedens in médio leónum. Et exclamáuit Rex voce magna: dicẽs Magnus eſt Dóminus Deus Daniélis. Et extráxit eum de lacu. Illos autem, qui perditiónis eius cauſa fúerant, intromíſit: & deuoráti ſunt in moménto, coram eo. Tunc Rex ait. Páueãt habitántes in vniuérſa terra Deum Daniélis: quia ipſe eſt liberátor, & ſaluátor, fáciens ſigna, & mirabília in cœlo, & in terra. Qui liberáuit Daniélem: de lacu leónum.

℟. Diſcérne cauſam meam Dómine, ab hómine iníquo, & dolóſo éripe me. ℣. Emítte lucem tuam, & veritátem tuam: ipſa me dedúxérunt, & adduxérunt in montem ſanctum tuum.

Secúndum Ioánnem. cap. 7.

IN illo témpore: Ambulábat Iéſus in Galilǽam: non enim volébat in Iudǽam ambuláre, quia quærébant eum Iudǽi interfícere. Erat autem in próximo dies feſtus Iudęórũ: Scenopégia. Dixérũt autem ad eum fratres eius. Tranſi hinc, & vade in Iudǽam: vt & diſcípuli tui vídeant ópera tua, quæ facis. Nemo quippe in occúlto áliquid facit: ſed quærit ipſe in palam eſſe. Si hæc facis: maniféſta teípſum mundo. Neque enim fratres eius credébant in eum. Dixit ergo eis Iéſus. Tempus meum nondum aduénit: tempus autẽ veſtrum ſemper eſt parátũ. Non poteſt mundus odíſſe vos. Me autem odit: quia ego teſtimónium perhíbeo de illo, quia ópera eius mala ſũt. Vos aſcéndite ad diem feſtum hunc: ego non aſcéndam ad diem feſtũ iſtum, quia meum tempus nondum implétum eſt. Hæc cum dixiſſet: ipſe manſit in Galilǽa. Vt autem aſcendérunt fra-

tres eius: tunc & ipſe aſcéndit ad diē feſtum, non maniféſtè ſed quaſi in occúlto. Iudǽi ergo quærébāt eum in die feſto: & dicébant. Vbi eſt ille? Et murmur multus de eo erat in turba. Quidam enim dicébant, quia bonus eſt: álij autem dicébant non, ſed ſedúcit turbas. Nemo tamen palam loquebátur de illo: propter metum Iudæórum.

Offertorium. **Sperent in te omnes, qui novérunt nomē tuum Dómine, quóniam non derelínquis quæréntes te: pſállite Dómino, qui hábitat in Sion, quóniam non eſt oblítus oratiónem paúperum.** Secreta.

HOſtias tibi, Dómine, deférimus immolándas, quæ nos tēporáli conſolatióne ſic lætíficent, vt promíſſa cértiùs non deſperémus ætérna. Per Dóminum.

Cōmunio. **Rédime me Deus Iſráel ex ómnibus angúſtiis meis.** Poſtcommunio.

DA, quǽſum⁹, omnípotēs Deus: vt, quę diuína ſunt, iúgiter exequéntes: donis mereámur cœléſtibus propinquáre. Per Dóminum.

Super populum. Oratio.

DA nobis Dómine, quǽſumus, perſeuerántem in tua voluntáte famulátum: vt in diébus noſtris & mérito, & número, pópulus tibi ſéruiens augeátur. Per Dóminum.

FERIA QVARTA.

Statio ad S. Marcellum.

Introitus.

LIberátor meus de Géntibus iracúndis: ab inſurgéntibus in me exaltábis me: à viro iníquo erípies me Dómine.

Pſalmus. **Díligam te Dómine virtus mea: Dóminus firmaméntū meum, & refúgium meum.** Collecta

SAnctificáto hoc ieiúnio, Deus tuórum corda fidélium miſerátor illúſtra: & quibus deuotiónis præſtas affectum: præbe ſupplicántibus pium benígnus audítum. Per Dóminum noſtrum.

Léctio libri Leuítici. cap. 19.

IN diébus illis: Locútus eſt Dóminus ad Móyſen, dicens. Ego Dóminus Deus veſter. Non faciétis furtum: nec mentiémini, nec decípiet vnuſquíſque próximum ſuum. Non periurábis in nómine meo: nec póllues nomen Dei tui. Ego Dóminus. Nō fácies calúmniam próximo tuo: nec vi ópprimes eum. Non morábitur opus mercenárij tui apud te: vſque manè. Non maledíces ſurdo, nec coram cœco pones offendículum: ſed timébis Dóminum Deum tuum, quia ego ſum Dóminus. Non fácies quod iniquum eſt: nec iniúſtè iudicábis. Nec cōſíderes perſónam paúperis: nec honóres vultum poténtis. Iuſte iúdica próximo tuo. Nō eris criminátor: & ſuſúrro in pópulis. Non ſtabis cōtra ſánguinem próximi tui. Ego Dóminus. Non óderis fratrem tuum in corde tuo: ſed públicè árgue eum, ne hábeas ſuper illo peccātum. Nō quǽres vltiónem: nec memor eris iniúriæ ciuium tuórum. Díliges amícum tuum: ſicut teípſum. Ego Dóminus: leges meas cuſtodíte. Ego enim ſum: Dóminus Deus veſter.

℟. **Exaltábo te Dómine, quóniam ſuſcepíſti me, nec delectáſti inimícos meos ſuper me.** ℣. **Dómine Deus meus, clamáui ad te, & ſanáſti me: Dómine abſtraxíſti ab ínferis ánimam meam, ſaluáſti me à deſcendéntibus in lacum,**

Tractus. **Dómine non ſecúndum,** &c.

Secúndum Ioánnem. cap. 10.

IN illo témpore. Facta ſunt Encénia in Ieroſólymis: & hyems erat. Et ambulábat Ieſus in tēplo: in pórticu Salomónis. Circundedérunt ergo eum Iudǽi: & dicébant ei. Quouſque ánimam noſtram tollis? Si tu

es Chriſtus: dic nobis palā. Reſpóndit eis Iéſus. Loquor vobis: & non créditis. Opera, quæ ego fácio in nómine Patris mei: hæc teſtimónium pérhibent de me. Sed vos non créditis: quia non eſtis ex óuibus meis. Oues meæ vocem meam aúdiūt: & ego cognóſco eas, & ſequûntur me. Et ego vitam ætérnam do eis: & non períbunt in ætérnum, & non rápiet eas quiſquam de manu mea. Pater meus, quod dedit mihi, maius ómnibus eſt: & nemo poteſt rápere de manu Patris mei. Ego & Pater: vnū ſumus. Suſtulérunt ergo lápides Iudǽi: vt lapidárent eum. Reſpóndit eis Iéſus. Multa ópera bona oſténdi vobis ex Patre meo: propter quod eórū opus me lapidátis? Reſpondérunt ei Iudæi. De bono ópere non lapidámꝰ te, ſed de blaſphémia: & quia tu homo cum ſis, facis teipſum Deū. Reſpóndit eis Iéſus. Nōne ſcriptū eſt in lege veſtra: quia ego dixi, dij eſtis? Si illos dixit deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolui ſcriptúra quem Pater ſanctificáuit, & miſit in mundū, vos dícitis, quia blaſphémas, quia dixi, Fílius Dei ſum? Si non fácio opera Patris mei: nolíte crédere mihi. Si autem fácio ⁊ & ſi mihi non vultis crédere, opéribꝰ crédite: vt cognoſcátis, & credátis: quia Pater in me eſt, & ego in Patre.

Offertorium. **Eripe me de inimícis meis Deus meus: & ab inſurgéntibus in me líbera me Dómine.** Secreta.

ANnuc miſéricors Deus, vt hóſtias placatiónis, & laudis ſincéro tibi deferámus obſéquio. Per.

Communio. **Lauábo inter innocéntes manus meas, & circuíbo altáre tuum, Dómine: vt áudiam vocē laudis tuæ, & enárrem vniuérſa mirabília tua.** Poſtcommunio.

COeléſtis doni benedictóne percépta, ſúpplices te, Deus omnípotēs, deprecámur: vt hoc idem nobis & ſacraménti cauſa ſit, & ſalútis. Per Dóminum noſtrum.

Super populum.

ADéſto ſupplicatiónibus noſtris omnípotens Deus: & quibus fidúciam ſperándę pietátis indúlges ⁊ conſuétæ miſericórdiæ tribue benígnus effectum. Per Dóminum.

FERIA QVINTA.

Statio ad ſanctum Apollinarem.

Introitus.

OMnia quæ feciſti nobis, Dómine, in vero iudício feciſti: quia peccáuimus tibi, & mādáris tuis nō obedíuimus: ſed da glóriā nómini tuo, & fac nobíſcum ſecúndum multitúdinem miſericórdiæ tuæ.

Pſalmus **Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.** Collecta

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus: vt dígnitas conditiónis humánæ per immoderántiam ſauciáta ⁊ medicinális parſimóniæ ſtúdio reformétur. Per Dóminum noſtrū.

Lectio Ieremíæ Prophétæ. cap. 17.

IN diébus illis: Dixit Ieremías. Dómine: omnes, qui te derelínquunt, cōfundéntur ⁊ recedéntes à te in terra ſcribéntur: quóniam dereliquérunt venam aquárū viuéntium Dóminum. Sana me Dómine, & ſanábor ⁊ ſaluum me fac, & ſaluus ero quóniā laus mea tu es. Ecce ipſi dicūt ad me. Vbi eſt verbum Dómini? Véniat. Et ego non ſum turbátus te paſtórem ſequens: & diem hóminis non deſideráui, tu ſcis. Quod egréſſum eſt de lábiis meis: rectum in cōſpéctu tuo fuit. Non ſis mihi tu formídini: ſpes mea tu, in die afflictiónis. Confundántur, qui perſequúntur me: & non confúndar ego. Páueant illi: & non páueam ego. Induc ſuper eos diem afflictiónis: & dúplici

contritióne cóntere eos : Dómine Deus noſter.

℟. **Tóllite hóſtias , & introíte in átria eius: adoráte Dóminum in aula ſancta eius.**

℣. **Reueláuit Dóminus condénſa:& in templo eius omnes dicent glóriam.**

Secúndum Ioannem. cap. 6.

IN illo témpore. Dicébat Iéſus turbis Iudæórum. Amen amen dico vobis: niſi manducauéritis carnem Filij hóminis & bibéritis eius ſánguinem, non habébitis vitam in vobis. Qui mãdúcat meam carnem, & bibit meum ſánguinem : habet vitã ætérnam. Et ego reſuſcitábo eum: in nouíſſimo die. Caro enim mea verè eſt cibus:& ſanguis meus verè eſt potus. Qui mandúcat meam carnem, & bibit meũ ſánguinem : in me manet, & ego in illo. Sicut miſit me viuens Pater : & ego viuo propter Patrem. Et qui mandúcat me: & ipſe viuet propter me. Hic eſt panis: qui de cœlo deſcéndit. Non ſicut manducauérunt patres veſtri manna : & mórtui ſunt. Qui mandúcat hunc panem : viuet in ætérnum. Hæc dicit in Synagóga: docẽs in Capharnaum. Multi ergo audiéntes ex diſcípulis eius: dixérunt. Durus eſt hic ſermo. Quis poteſt eum audíre? Sciens autẽ Iéſus apud ſemetípſum : quia murmurárent de hoc diſcípuli eius, dixit eis. Hoc vos ſcandalízat? Si ergo vidéritis Filium hóminis aſcendéntem vbi erat priùs? Spíritus eſt qui viuíficat: caro non prodeſt quicquã. Verba, quæ ego locútus ſum vobis: ſpíritus, & vita ſunt. Sed ſunt quidam ex vobis: qui non credunt. Sciébat enim ab inítio Iéſus, qui eſſent credéntes : & quis traditúrus eſſet eum. Et dicébat. Proptérea dixi vobis: quia nemo poteſt veníre ad me, niſi fúerit ei datum à Patre meo. Ex hoc multi diſcipulórum eius abiérũt retro: & iam non cũ illo ambulábant. Dixit ergo Iéſus, ad duódecim. Numquid & vos vultis abíre? Reſpóndit ergo ei Simon Petrus. Dómine : ad quem íbimus? Verba vitæ ætérnæ habes: & nos crédimus, & cognóuimus, quia tu es Chriſtus Filius Dei. Reſpóndit eis Iéſus. Nonne ego vos duódecim elégi? Et vnus ex vobis diábolus eſt. Dicébat autem Iúdam Simónis Iſchariótis. Hic enim erat traditúrus eum : cùm eſſet vnus ex duódecim.

Offertorium. S**uper flúmina Babylónis illic ſédimus, & fléuimus dum recordarémur tui Sion.**

Secreta

DOmine Deus noſter, qui in his pótius creatúris, quas ad fragilitátis noſtræ ſubsídium condidíſti: tuo quoque nómini múnera iuſsíſti dicánda conſtítui : tríbue , quæſumus, vt & vitæ nobis præſéntis auxílium, & æternitátis efficiant ſacraméntum. Per Dóminum.

Communio. M**eménto verbi tui ſeruo tuo, Dómine, in quo mihi ſpem dedíſti : hæc me conſoláta eſt in humilitáte mea.**

Poſtcom.

QVod ore ſúmpſimus, Dómine, pura mente capiámus ? & de múnere temporáli fiat nobis remédium ſempitérnum. Per Dóminum.

Super populum. Oratio.

ESto, quæſumus, Dómine, propítius plebis tuæ : vt, quæ tibi non placent, reſpuéntes ? tuórum pótius repleántur delectatiónibus mandatórum. Per Dóminum noſtrum.

FERIA SEXTA.

Statio ad ſanctum Stephanum.

Introitus.

MIſerére mihi, Dómine , quóniam tríbulor : líbera me, & éripe me de mánibus inimicórum meórum , & à perſequéntibus me: Dómine, non confúndar, quóniam inuocáui te.

Pſalmus.

Pſalmus. In te, Dómine, ſperáui, non confúndar in ætérnum: in iuſtítia tua líbera me.

C. [illegible]

Cordibus noſtris, Dómine, grátiam tuam benígnus infúnde: vt peccáta noſtra caſtigatióne volūtária cohibéntes, temporáliter pótiùs macerémur, quàm ſuppliciis deputémur ætérnis. Per Dóminum.

Lectio Ieremíæ Prophétæ. cap. 18.

IN diébus illis. Dixérunt ímpij Iudæi. Veníte: cogitémus contra iuſtum cogitatiónes. Nō enim peribit lex à Sacerdóte: neque cōſílium à ſapiénte, nec ſermo à Prophéta. Veníte, & percutiámus eum lingua: & non attendámus ad vniuérſos ſermónes ei⁹. Atténde Dómine, ad me: & audi vocem aduerſariórum meórum. Nunquid rédditur pro bono malum, quia fodérunt fóueam ánimæ meæ? Recordáre, quod ſtéterim in cōſpéctu tuo, vt lóquerer pro eis bonum: & auérterem indignatiónem tuam ab eis. Proptérea da fílios eórum in famem: & deduc eos in manus gládij. Fiant vxóres eórum abſque líberis, & víduæ: & viri eárū interficiántur morte. Iúuenes eórum confodiántur gládio in prælio: audiátur clamor de dómibus eórum. Addúces enim ſuper eos latrónem repéntè: quia fodérūt fóueam, vt cáperent me, & láqueos abſcondérunt pédibus meis. Tu autem Dómine ſcis omne consílium eórum aduérſum me, in mortem. Ne propitiéris iniquitáti eórum: & peccátum eórum à fácie tua non deleátur. Fiant corruéntes in cōſpéctu tuo in témpore furóris tui: Dómine Deus meus.

℟. Pacíficè loquebántur mihi inimíci mei, & in ira moléſti erant mihi. ℣. Vidiſti Dómine Deus meus, ne ſíleas, ne diſcédas à me.

Tractus. Dómine non ſecúndum peccáta noſtra fácias nobis, &c.

Secúndum Ioánnem. cap. 11.

IN illo témpore. Collegérunt Pontífices, & Phariſæi concílium: & dicébant. Quid fácimus, quia hic homo multa ſigna fácit? Si dimíttimus eum ſic: omnes credent in eum. Et vénient Románi: & tollent noſtrum locum, & gentem. Vnus autem ex ipſis Cayphas nómine, cum eſſet Póntifex anni illíus: dixit eis. Vos neſcítis quicquam, nec cogitátis: quia éxpedit vobis, vt vnus moriátur homo pro pópulo, & nō tota gens péreat. Hoc autem à ſemetípſo non dixit: ſed cùm eſſet póntifex anni illius: prophetáuit, quia Ieſus moritúrus erat pro gente. Et non tantum pro gente: ſed vt filios Dei, qui erant diſpérſi, congregáret in vnum. Ab illo ergo die: cogitauérunt vt interfícerent eum. Iéſus ergo iam non palàm ambulábat apud Iudæos: ſed ábiit in regiónem iuxta deſértum, in ciuitátem quæ dícitur Ephrem. Et ibi morabátur: cum diſcípulis ſuis.

Offertorium. Benedíctus es Dómine: doce me iuſtificatiónes tuas: & non tradas calūniántibus me ſupérbis: & reſpondébo exprobrántibus mihi verbum.

Secreta

PRæſta nobis, miséricors Deus, vt dignè tuis ſeruíre ſemper altáribus mereámur, & eórum perpétua participatióne ſaluári. Per Dóminū.

Communio. Ne tradíderis me, Dómine, in ánimas perſequéntium me: quia inſurrexérunt in me teſtes iníqui: & mentíta eſt iníquitas ſibi.

Poſtcommunio.

SVmpti ſacrifícij, Dómine, perpétua nos tuítio nō derelínquat: & nóxia ſemper à nobis cuncta depéllat. Per Dóminum.

Super populum.

COncéde, quæſumus, omnípotens Deus: vt qui protectiónis tuæ grátiam quærimus: liberáti à malis ómnibus ſecúra tibi mente ſeruiámus. Per Dóminum.

SABBATO.

Statio ad S. Ioan. ante portam Latinã.

Introitus.

MIſerére mihi Dómine, quóniam tríbulor: líbera me, & éripe me de mánibus inimicórum meórum, & à perſequéntibus me: Dómine, non confúndar, quóniam inuocáui te. Pſalmus. In te, Dómine, ſperáui, non confúndar in ætérnum: in iuſtítia tua líbera me. Collecta.

PRofíciat, quæſumus, Dómine, plebs tibi dicáta piæ deuotiónis affectu: vt ſacris actiónibus erudíta, quãto maieſtáti tuæ fit grátior? tanto donis potióribus augeátur. Per.

Léctio libri Sapiéntiæ. cap. 2.

IN diébus illis. Dixérunt ímpij Iudæi apud ſemetipſos. Veníte, circumueniámus iuſtum: quóniã inútilis eſt nobis, & contrárius eſt opéribus noſtris. Et impróperat nobis peccáta legis: & diffámat in nos peccáta diſciplínæ noſtræ. Promíttit ſe ſciéntiam Dei habére: & Fílium Dei ſe nóminat. Factus eſt nobis in traductiónẽ cogitatiónum noſtrárũ: grauis eſt nobis étiam ad vidéndum. Quóniã diſsímilis eſt áliis vita illíus: & immutátæ ſunt viæ eius. Tãquam nugáces æſtimáti ſumus ab illo: & ábſtinet ſe à viis noſtris tanquam ab immundítiis. Et præfert nouíſſima iuſtórũ: & gloriátur patrem ſe Deũ habére. Videámus ergo ſi ſermónes illíus veri ſunt: & tẽtémus quæ ventúra ſunt illi, & ſciémus, quæ erunt, nouíſſima illi⁹. Si enim verè eſt Fílius Dei, ſuſcípiet illum: & liberábit eum de manu contrariórum. Contuméliis & torménto interrogémus illũ: vt ſciámus reueréntiã illíus, & probémus patiéntiam eius. Morte turpíſſima: condemnémus eum. Erit enim reſpéctus: ex ſermónibus illíus. Hæc cogitauérunt: & errauérunt. Excæcáuit enim illos malítia eórũ: & neſciérunt ſacraménta Dei, neque mercédem ſperauérunt iuſtítiæ. Nec iudicauérunt honórem: animárum ſanctárum.

℟. Pacíficè loquebántur mihi inimíci mei, & in ira moléſti erant mihi. ℣. Vidíſti, Dómine, Deus meus, ne síleas: ne diſcédas à me.

Secúndum Ioánnem. cap. 12.

IN illo témpore. Dixit Iéſus diſcípulis ſuis: & turbis Iudæórũ. Ego lux in mundũ veni: vt omnis, qui credit in me, in ténebris non máneat. Et ſi quis audíerit verba mea, & non cuſtodíerit: ego non iúdico eum. Non enim veni, vt iúdicem mundum: ſed vt ſaluíficem mundum. Qui ſpernit me, & non áccipit verba mea: habet, qui iúdicet eum Sermo quem locútus ſum, ille iudicábit eum in nouíſſimo die: quia ego ex meípſo non ſum locútus, ſed, qui miſit me Pater, ipſe mihi mandátum dedit, quid dicam, & quid loquar. Et ſcio: quia mandátum eius vita ętérna eſt. Quæ ergo ego loquor: ſicut dixit mihi Pater: ſic loquor.

Offertorium. Benedíctus es Dómine, doce me iuſtificatiónes tuas. & non tradas calumniántibus me ſupérbis, & reſpondébo exprobrántibus mihi verbum. Secreta.

CVnctis nos Dómine, quæſumus, reátibus, & perículis propitiátus adſólue: quos tanti myſtérij tríbuis eſſe partícipes. Per Dóminum.

Communio. Ne tradíderis me Dómine in ánimas perſequéntium me, quia inſurrexérunt in me teſtes iníqui: & mentíta eſt iníquitas ſibi. Poſtcommunio.

DIuíni ſatiáti múneris largitáte, quæſumus, Dómine Deus noſter? vt huius ſemper participatióne viuámus. Per Dóminum.

Super populum. Oratio.

TVeátur, quæſumus, Dómine, déxtera tua pópulum tuum deprecántem

precántem & purificátum dignánter er údiat: vt cõſolatióne præſénti ad futúra bona profíciat. Per Dómi.

BENEDICTIO RAMORVM

Dóminus vobíſcum. Orémus.

OMnípotens ſempitérne redémptor: qui de cælis ad terrã deſcéndere, & ad paſſiónem voluntátis tuæ veníre dignátus es: vt humánum genus tuo pretióſo ſánguine liberáres: adéſto pius Eccléſiæ tuæ votis, & ſupplicatiónibus noſtris. Tu enim, Dómine, manſuétus, mãſuéti animális aſélli terga ínſidens, ad paſſiónem redemptiónis noſtræ ſpontáneus adueníſti: cum tibi ramis arbóreis, occurréntibus diſcipulórum turbis, certátim ſternerétur via: & triumphatrícibus palmis, cum voce laudis occúrrerẽt plúrimæ populórum catéruæ reſultántes páriter & dicéntes: Hoſánna filio Dauid: benedíctus qui venit in nómine Dómini. Tibi in Monte Oliuéti, Oliuárum Ramis via conſtráta eſt. Tu quondam Noë in arca ſuper vndas dilúuij gubernáſti: & colúmbæ miniſtério per Olíuæ ramum, pacem terris rédditam nuntiári voluíſti. Sed & Iácob patriárcha in myſtérium glóriæ tuæ érigens lápidem, ex huius árboris ramis óleũ benedictiónis in cacúmen tituli infúdit: vnde vnxíſti Reges, & Prophétas tuos. Tu enim es Chriſtus Dei: tibi cómpetit fructus vnctiónis, & pacis: in cuius ineffábilem laudem pſalmíſta cécinit, dicens: vnxit te Deus, Deus tuus óleo exultatiónis: præ partícipibus tuis. Quaprópter ſúpplices te Dómine deprecámur: vt be ✠ nedícas hos ramos árborum, quos tui fámuli in ſuis ſuſcipiéntes mánibus in occúrſum tui properáre, téque benedícere, & glorificáre deſíderant. Ecce Ierúſalem ſedens ſuper áſinum Rex manſuétus adueníſti. A'dueni ergo, rogámus, & nobis, & in médium noſtri conſíſte: vt te aduenire in noſtris córdibus ſentiámus: & qui nos tunc reparáſti per crucem: íterum lapſos répara per eandem beatíficam paſſiónem. Oris noſtri confeſſiónem, ac ieiúnij humiliatiónem libens ſúſcipe: & fructum nos viriditátis habére cõcéde: quátinus tuis ímbribus irrigáti: mereámur tibi ſuáuium frúctuum vbertáte placére. Et ſicut illi tibi proceſſérunt óbuiã cũ arbóreis fróndibus egréſſi: ita nos, te redeúnte in ſecúndo aduéntu, cum Palmis victóriæ, læti mereámur occúrrere, Saluátor mundi: Qui cum Patre in vnitáte Spíritus ſáncti viuis, & regnas Deus. Per ómnia ſǽcula ſæculórum. Amen.

DOMINICA IN

Ramis Palmarum.

Statio ad S. Ioannem in Laterano.

Introitus.

DO'mine, ne longè fácias auxíliũ tuum à me: ad defenſiónẽ meã áſpice: líbera me de ore leónis, & à córnibus vnicórnium humilitátem meam.

Pſalmus. D eus Deus meus réſpice in me: quare me dereliquíſti? Collecta.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui humáno géneri ad imitándum humilitátis exémplum, Saluatórem noſtrum carnem ſúmere, & crucem ſubíre fecíſti: concéde propítius: vt & patiéntiæ ipſíus habére documénta: & reſurrectiónis conſórtia mereámur. Per eúndem.

Ad Philippénſes. cap. 2.

FRatres. Hoc ſentíte in vobis: quod & in Chriſto Ieſu. Qui cũ in forma Dei eſſet, non rapínam arbitrátus eſt eſſe ſe æquálem Deo: ſed ſemetipſum exinaníuit, formam ſerui accípiens, in ſimilitúdinem hóminum factus, & hábitu inuéntus vt homo. Humiliáuit ſemetipſum factus obédiens vſque ad mortẽ: mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltáuit illum ⁊ & donáuit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomẽ: vt in nómine Ieſu omne genu flectátur, cœléſtium, terréſtrium, & infernórum Et omnis lingua cõfiteátur: quia Dóminus Ieſus Chriſtus: in glória eſt Dei Patris.

℟. Tenuíſti manum déxteram meam, & in voluntáte tua deduxíſti me: & cum glória ſuſcepíſti me. ℣. Quàm bonus Iſráel Deus rectis corde: mei autem penè moti ſunt pedes: penè effúſi ſunt greſſus mei: quia zeláui in peccatóribus, pacem peccatórum videns.

Tractus.

DEus Deus meus réſpice in me: quare me dereliquíſti? ℣. Lõgè à ſalúte mea verba delictórum meórum. ℣. Deus meus clamábo per diem, nec exaúdies: & nocte, & non ad inſipiéntiam mihi. ℣. Tu autem in Sancto hábitas, laus Iſráel. ℣. In te ſperauérunt patres noſtri: ſperauérunt, & liberáſti eos. ℣. Ad te clamauérunt, & ſalui facti ſunt: in te ſperauérunt, & non ſunt confúſi. ℣. Ego autem ſum vermis, & non homo: oppróbrium hóminum, & abiéctio plebis. ℣. Omnes qui vidébant me aſpernabántur me: locúti ſunt lábiis, & mouérunt caput. ℣. Sperauit in Dómino, erípiat eum: ſaluum fáciat eum quóniam vult eum. ℣. Ipſi verò conſiderauérunt, & conſpexérunt me: diuiſérunt ſibi veſtiménta mea, & ſuper veſtem meam miſérũt ſortem. ℣. Líbera me de ore leónis: & à córnibus vnicórnium humilitátem meam. ℣. Qui timétis Dóminum, laudáte eum: vniuerſum ſemen Iácob magnificáte eum. ℣. Annuntiábitur Dómino generátio ventúra: & annuntiábunt cœli iuſtitiam eius. ℣. Pópulo qui naſcétur, quem fecit Dóminus.

Ad matutinalem Miſſam.

Secúndum Matthæum. cap. 21.

IN illo témpore. Cum appropinquáſſet Ieſus Ieroſólymis ⁊ & veníſſet Béthphage ad Montem-Olivéti: tunc miſit duos diſcípulos, dicens eis. Ite in caſtéllum, quod contra vos eſt: & ſtatim inueniétis áſinã alligátam, & pullum cum ea. Sóluite: & addúcite mihi. Et ſi quis vobis áliquid díxerit: dícite, quia Dóminus his opus habet, & conféſtim dimíttet eos. Hoc autẽ totum factum eſt: vt adimplerétur, quod dictum eſt per Prophétam dicéntem. Dícite fíliæ Sion. Ecce Rex tuus venit tibi manſuétus: & ſedens ſuper áſinam, & pullum fílium ſubiugális. Eúntes autem diſcípuli: fecérunt ſicut præcépit illis Ieſus. Et adduxérunt áſinã, & pullum: & impoſuérunt ſuper eos veſtiménta, ſua & eum déſuper ſedére fecérunt. Plúrima autẽ turba: ſtrauérunt veſtiménta ſua in via. Alij autem cædébant ramos de arbóribus: & ſternébant in via. Turbæ autẽ quæ præcedébant, & quæ ſequebántur: clamábant dicéntes. Hoſánna Fílio Dauid: benedíctus qui venit in nómine Dómini.

Ad maiorem Miſſam. Dóminus vobíſcum.

PASSIO DOMINI NOSTRI Ieſu Chriſti: ſecúndum Matthæum. Glória tibi Dómine. Cap. 26.

IN illo témpore. Dixit Ieſus diſcípulis ſuis. Scitis, quia poſt bíduũ Paſcha fiet: & Fílius hóminis tradétur, vt crucifigátur. Tunc congregáti ſunt Príncipes Sacerdótum & Senióres pópuli in átrium Príncipis Sacerdótum, qui

dicebátur Cáiphas: & conſilium fecérunt vt Iéſum dolo tenérẽt,& occíderent.Dicébant autẽ. Non in die feſto. Ne forte tumúltus fieret in pópulo. Cum autem eſſet Ieſus in Bethánia in domo Simónis leproſi: accéſſit ad eum múlier habẽs alabáſtrum vnguénti pretióſi, & effúdit ſuper caput ipſius recumbéntis. Vidéntes autẽ diſcípuli:indignáti ſunt, dicéntes. Vt quid perdítio hæc? Pótuit enim iſtud venúndari multo: & dari paupéribus.Sciens autem Iéſus: ait illis. Quid moléſti eſtis huic mulíeri? Opus bonũ: operata eſt in me. Nam ſemper paúperes habétis vobíſcum: me autem non ſemper habébitis. Mittens enim hæc vnguéntum hoc in corpus meum: ad ſepeliéndum me fecit. Amẽ, dico vobis: vbicúnque prædicátum fúerit hoc euangélium in toto mũdo, dicétur, & quod hæc fecit in memóriã eius. Tunc ábiit vnus de duódecim, qui dícitur Iúdas Iſcariótes ad Príncipes Sacerdótum: & ait illis. Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradã? At illi conſtituérunt ei trigínta argénteos. Et exínde quærébat opportunitátẽ: vt eum tráderet. Prima autem die azymórum: acceſſérunt diſcípuli ad Iéſum, dicéntes. Vbi vis parémus tibi comédere Paſcha? At Iéſus dixit. Ite in ciuitátẽ ad quemdam: & dícite ei. Magíſter dicit. Tẽpus meum propè eſt: apud te fácio Paſcha cum diſcípulis meis. Et fecérunt diſcípuli, ſicut conſtituit illis Iéſus:& parauérunt Paſcha. Véſpere autẽ facto: diſcumbébat cum duódecim diſcípulis ſuis. Et edéntibus illis, dixit. Amen dico vobis: quia vnus veſtrum me traditúrus eſt. Et contriſtáti valdè: cœpérunt sínguli dícere. Nunquid ego ſum Dómine? At ipſe reſpóndens ait. Qui intíngit mecum manum in parópſide: hic me tradet. Fílius quidem hóminis vadit, ſicut ſcriptum eſt de illo. Va autem hómini illi: per quem filius hóminis tradétur. Bonum erat ei: ſi natus nõ fuiſſet homo ille. Reſpóndens autem Iúdas, qui trádidit eum: dixit. Nunquid ego ſum Rabbi? Ait illi. Tu dixiſti. Cœnántibus autem eis: accépit Iéſus panem, & benédixit, ac fregit, deditq; diſcípulis ſuis, & ait. Accípite: & comédite. Hoc eſt corpus meum. Et accípiens cálicem: grátias egit, & dedit eis, dicens. Bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtaménti: qui pro multis effundétur in remiſſiónẽ peccatórum. Dico autem vobis: nõ bibam ámodo de hoc genímine vitis vſque in diem illum, cum illud bibam vobíſcum nouum in regno Patris mei. Et hymno dicto: exiérũt in Montem Oliuéti. Tunc dixit illis Iéſus. Omnes vos ſcándalum patiémini in me: in iſta nocte. Scriptum eſt enim. Percútiam paſtórẽ: & diſpergéntur oues gregis. Poſtquã autem reſurréxero: præcédam vos in Galilǽam. Reſpóndens autẽ Petrus: ait illi. Et ſi omnes ſcandalizáti fúerint in te: ego nunquã ſcãdalizábor. Ait illi Iéſus. Amen dico tibi: quia in hac nocte ántequã gallus cantet, ter me negábis. Ait illi Petrus. Etiam ſi oportúerit me mori tecum: non te negábo. Similiter & omnes diſcípuli dixérunt. Tunc venit Iéſus cum illis in villam, quæ dícitur Gethſémani: & dixit diſcípulis ſuis. Sedéte hic: donec vadam illuc, & orem. Et aſſúmpto Petro, & duóbus filiis Zebedǽi: cœpit contriſtári, & mœſtus eſſe. Tunc ait illis. Triſtis eſt ánima mea: vſque ad mortem. Suſtinéte hic: & vigiláte mecum. Et progréſſus puſíllum: prócidit in fáciem ſuam orans, & dicens. Mi Pater, ſi poſsíbile eſt: tránſeat à me calix iſte. Verúntamen non ſicut ego volo: ſed ſicut tu. Et venit ad diſcípulos ſuos:

& inuénit eos dormiéntes. Et dicit Petro. Sic, non potuíſtis vna hora vigiláre mecũ? Vigiláte,& oráte: vt non intrétis in tentatiónem.Spíritus quidem promptus eſt:caro autẽ infirma.Iterum ſecúndo ábiit: & oráuit, dicens: Pater mi:ſi nõ poteſt hic calix transíre niſi bibam illum: fiat volúntas tua.Et venit íterum:& inuénit eos dormiéntes. Erant enim óculi eórum grauáti. Et relíctis illis: íterũ ábiit, & oráuit tértiò eúndem ſermónem dicens.Tunc venit ad diſcípulos ſuos: & dicit illis. Dormíte iam: & requiéſcite. Ecce appropinquábit hora: & Fílius hóminis tradetur in manus peccatórum. Súrgite,eámus: ecce appropinquábit, qui me trádet. Adhuc ipſo loquénte:ecce Iúdas vnus de duódecim venit, & cum eo turba multa, cum gládiis, & fústibus: miſſi à Princípibus Sacerdótũ, & Senióribus pópuli. Qui autem trádidit eũ:dedit illis ſignũ, dicens. Quemcúnque oſculátus fúero,ipſe eſt:tenéte eum.Et conféſtim accedẽs ad Iéſum: dixit.Aue Rabbi. Et oſculátus eſt eum. Dixítque illi Iéſus. Amíce: ad quid veníſti? Tunc acceſſérunt, & manus iniecérunt in Iéſum:& tenuérunt eũ.Et ecce vnus, ex his qui erãt cum Iéſu, exténdens manum exémit gládium ſuũ:& percútiens ſeruũ Principis Sacerdótum, amputáuit aurículam eius.Tunc ait illi Iéſus. Conuérte gládium tuum in locum ſuũ. Omnes enim, qui accéperint gládium: gládio peribunt. An putas quia non poſſum rogáre Patrem meum, & exhibébit mihi modò pluſquam duódecim legiónes Angelórũ? Quómodo ergo implebúntur ſcriptúræ, quia ſic opórtet fieri? In illa hora: dixit Iéſus turbis. Tanquam ad latrónem exíſtis cum gládiis, & fústibus conprehéndere me? Quotídie apud vos ſedébam docens in templo: & non me tenuíſtis.Hoc autem totum factum eſt:vt adimpleréntur ſcriptúræ Prophetárum.Tunc diſcípuli omnes:relícto eo, fugérũt. At illi tenéntes Iéſum, duxérunt ad Cáipham Príncipem Sacerdótum: vbi Scribæ & Senióres conuénerant. Petrus autem ſequebátur eum à longè: vſque in átrium Príncipis Sacerdótum.Et ingréſſus intrò:ſedébat cum miníſtris, vt vidéret finem. Príncipes autẽ Sacerdótum,& omne cõcilium, quærébant falſum teſtimónium contra Iéſum: vt eum morti tráderent. Et non inuenérunt: cum multi falſi teſtes acceſſíſſent. Nouíſſimè autem venérunt duo falſi teſtes: & dixérũt. Hic dixit. Poſſum deſtrúere tẽplum Dei: & poſt tríduum reædificáre illud.Et ſurgens. Princeps Sacerdótũ: ait illi. Nihil reſpóndes ad ea,quę iſti aduérſum te teſtificántur? Iéſus autem tacébat. Et princeps Sacerdótũ ait illi. Adiúro te per Deum viuum: vt dicas nobis,ſi tu es Chriſtus Fílius Dei.Dicit illi Iéſus.Tu dixíſti.Verúntamen dico vobis· ámodo vidébitis Fílium hóminis ſedéntem à dextris virtútis Dei, & veniéntẽ in núbibus cœli.Tũc Princeps Sacerdótum ſcidit veſtiménta ſua: dicens. Blaſphemáuit. Quid adhuc egém⁹ téſtibus? Ecce nũc audíſtis blaſphémiã. Quid vobis vidétur? At illi reſpondéntes: dixérunt. Reus eſt mortis. Tunc expuérunt in fáciem eius: & cólaphis eum cæcidérunt. A'lij autem palmas in fáciem ei dedérunt: dicéntes.Prophetiza nobis Chriſte. Quis eſt qui te percúſſit? Petrus verò: ſedébat foris in átrio. Et accéſſit ad eum vna ancílla:dicens. Et tu cum Iéſu Galilǽo eras. At ille negáuit coram ómnibus:dicens. Néſcio quid dicis. Exeúnte autem illo iánuam:vidit eum ália ancílla,& ait his, qui erãt ibi. Et hic erat cum Iéſu Nazaréno.Et íterum negáuit cum iuraménto: quia

non

non noui hóminē. Et poſt puſillum:
acceſſérunt qui ſtabant, & dixérunt
Petro. Verè & tu ex illis es: nam &
loquéla tua maniféſtū te facit. Tunc
cœpit deteſtári, & iuráre: quia non
nouíſſet hóminem. Et cōtinuò, gal-
lus cātáuit. Et recordátus eſt Petrus
verbi Ieſu, quod díxerat, priúſquam
gallus cātet: ter me negábis. Et egréſ-
Cap. ſus foras: fleuit amáre. Mane autem
27. facto consíliū iniérunt omnes Prín-
cipes Sacerdótum, & Senióres pó-
puli aduérſus Ieſum, vt eum morti
tráderent. Et vinctum adduxérunt
eum: & tradidérunt Póntio Piláto
Præſidi. Tunc videns Iúdas, qui eum
trádidit, quòd damnátus eſſet: pœ-
niténtia ductus rétulit trigínta ar-
génteos Princípibus Sacerdótum, &
Senióribus, dicens. Peccáui: tradens
ſánguinem iuſtum. At illi dixérunt.
Quid ad nos? Tu víderis. Et proiéctis
argénteis in templo: recéſſit, & ábiēs
láqueo ſe ſuſpéndit. Príncipes autē
Sacerdótū accéptis argénteis: dixé-
runt. Non licet míttere eos in cór-
bonam: quia prétium ſánguinis eſt.
Consílio autem ínito: emérunt ex
illis agrum fíguli, in ſepultúrā pere-
grinórū. Propter hoc vocátus eſt,
ager ille, Hacéldema hoc eſt, ager
ſánguinis: vſque in hodiérnū diem.
Tunc implétum eſt: quod dictum
eſt per Ieremíam Prophétam, dicén-
tem. Et accepérunt trigínta argén-
teos, prétium appretiáti, quem ap-
pretiauérunt à filiis Iſráel: & dedé-
runt eos in agrum fíguli, ſicut con-
ſtítuit mihi Dóminus. Ieſus autem:
ſtetit ante Præſidem. Et interrogá-
uit eum Præſes, dicens. Tu es Rex Iu-
dæórum? Dicit ei Ieſus. Tu dicis. Et
cum accuſarétur à Princípibus Sa-
cerdótum, & Senióribus: nihil reſ-
póndit. Tunc dicit illi Pilátus. Non
audis quanta aduérſum te dicunt te-
ſtimónia? Et non reſpóndit ei ad vl-
lum verbum: ita vt mirarétur Præ-
ſes veheménter. Per diem autem ſo-
lémnem: conſuéuerat Præſes dimít-
tere pópulo vnum vinctū, quem vo-
luíſſent. Habébat autem tunc vnum
vinctum insígnē: qui dicebátur Ba-
rábbas. Congregátis ergo illis: dixit
Pilátus. Quem vultis dimíttam vo-
bis Barábbam, an Ieſum, qui dícitur
Chriſtus? Sciébat enim: quòd per in-
uídiam tradidíſsēt eum. Sedénte au-
tem illo pro tribunáli: miſit ad eum
vxor eius, dicens. Nihil tibi, & iuſto
illi. Multa enim paſſa ſum hódie per
viſum: propter eum. Príncipes autē
Sacerdótum, & Senióres perſuaſé-
runt pópulis vt péterent Barábbam:
Ieſum verò pérderent. Reſpóndens
autem Præſes: ait illis. Quem vultis
vobis de duóbus dimítti? At illi dixé-
runt. Barábbam. Dicit illis Pilátus.
Quid ígitur fáciam de Ieſu, qui díci-
tur Chriſtus? Dicunt omnes. Cru-
cifigátur. Ait illis Præſes. Quid enim
mali fecit? At illi magis clamábant,
dicéntes. Crucifigátur. Vidēs autem
Pilátus, quia nihil proficeret, ſed
magis tumúltus fieret: accépta aqua
lauit manus coram pópulo, dicens.
Innocens ego ſum à ſánguine iuſti
huius: vos vidéritis. Et reſpóndens
vniuérſus pópulus, dixit. Sāguis eius
ſuper nos: & ſuper fílios noſtros. Tūc
dimíſit illis Barábbā: Ieſum autem
flagellátū trádidit eis, vt crucifige-
rétur. Tūc mílites Præſidis ſuſcipién-
tes Ieſum in prætório: congregaué-
runt ad eum vniuérſam cohórtem.
Et exuéntes eum: chlámydē coccí-
neam circundedérunt ei. Et plecténtes
corónam de ſpinis poſuérunt ſu-
per caput eius: & arúndinem in déx-
tera eius. Et genu flexo ante eum: il-
ludébant ei, dicéntes. Aue Rex Iu-
dæórum. Et expuéntes in eum: acce-
pérunt arúndinem, & percutiébant
caput eius. Et poſtquam illuſérunt
ei, exuérunt chlámyde: & induérunt
eum veſtiméntis eius, & duxérunt

eum, vt crucifigerent. Exeúntes autem: inuenérunt hóminem Cyrenæum nómine Simónem. Hunc angariauérũt: vt tólleret crucem eius. Et venérunt in locum, qui dícitur Gólgotha: quod eſt Caluáriæ locus. Et dedérunt ei vinum bíbere: cum felle mixtum. Et cum guſtáſſet: nóluit bíbere. Poſtquam autem crucifixérunt eum: diuiſérũt veſtiménta eius, ſortem mitténtes, vt adimplerétur, quod dictum eſt, per Prophétam dicéntem. Diuiſérunt ſibi veſtiménta mea: & ſuper veſtem meam miſérunt ſortem. Et ſedéntes: ſeruábant eum. Et impoſuérunt ſuper caput eius cauſam ipsíus ſcriptam: hic eſt Iéſus Rex Iudæórum. Tunc crucifixi ſunt cũ eo duo latrónes: vnus à dextris & vnus à ſiniſtris. Prætereúntes autem blaſphemábãt eum: mouéntes cápita ſua, & dicéntes, Vah, qui déſtruis templum Dei: & in tríduo illud reædíficas. Salua temetipſum. Si Fílius Dei es: deſcénde de Cruce. Simíliter & príncipes Sacerdótum illudéntes, cum Scribis & Senióribus: dicébant, A'lios ſaluos fecit: ſeipſum non poteſt ſaluum fácere? Si Rex Iſráel eſt: deſcéndat nũc de Cruce, & crédimus ei. Confídit in Deo: líberet nunc eum, ſi vult. Dixit enim: quia Fílius Dei ſum. Idpſum autem & latrónes, qui crucifixi erant cum eo: improperábãt ei. A ſexta autem hora ténebræ factæ ſunt ſuper vniuérſam terram: vſque in horam nonam. Et circa horã nonam: clamáuit Iéſus voce magna, dicens. Eli, Eli, lamma ſabacthání? Hoc eſt, Deus meus: Deus meus: vt quid dereliquiſti me? Quidam autem illic ſtantes, & audiéntes: dicébãt. Elíam vocat iſte. Et contínuò currens vnus ex eis, accéptam ſpóngiam impléuit acéto: & impóſuit arúndini, & dabat ei bíbere. Cæteri verò dicébant, Sine: videámus, an véniat Elías líberans eum. Iéſus autẽ íterum clámãs voce magna: emíſit ſpíritum. ✠ Et ecce velũ templi ſciſſum eſt in duas partes: à ſummo vſque deórſum. Et terra mota eſt: & petræ ſciſſæ ſunt: & monuménta apérta ſunt: & multa córpora ſanctórum, qui dormíerant, ſurrexérunt. Et exeúntes de monuméntis poſt reſurrectiónem eius, venérũt in ſanctam ciuitátem: & apparuérunt multis. Centúrio autem, &, qui cum eo erãt, cuſtodiéntes Iéſum, viſo terræ motu & his quæ fiébant: timuérunt valde, dicéntes. Verè Dei Fílius erat iſte. Erãt autem ibi mulíeres multæ à longè: quæ ſecútæ erant Iéſum à Galilǽa miniſtrántes ei. Inter quas erat María Magdaléne, & María Iacóbi, & Ióſeph mater: & mater filiórum Zebedǽi. Cum ſero autẽ factum eſſet: venit quidã homo diues ab Arimathía nómine Ióſeph: qui & ipſe diſcípulus erat Iéſu. Hic accéſſit ad Pilátum: & pétiit corpus Iéſu. Tũc Pilátus iuſſit reddi corpus. Et accépto córpore Ióſeph inuóluit illud in síndone munda: & póſuit illud in monuménto ſuo nouo, quod excíderat in petra. Et aduóluit ſaxum magnum ad óſtiũ monuménti: & ábiit. Erant autem ibi María Magdaléne, & áltera María: ſedéntes contra ſepúlchrum. A'ltera autem die quæ eſt poſt paraſcéuen: conuenérunt príncipes Sacerdótũ, & Phariſǽi ad Pilátum, dicéntes. Dómine: recordáti ſumus, quia ſedúctor ille dixit adhuc viuens: poſt tres dies reſúrgã. Iube ergo cuſtodíri ſepúlchrum vſque in diem tértium: ne fortè véniãt diſcípuli eius, & furéntur eum, & dicant plebi, ſurréxit à mórtuis. Et erit nouiſſimus error: peior prióre. Ait illis Pilátus. Habétis cuſtódiã. Ite cuſtodíte ſicut ſcitis. Illi autem abeúntes muniérunt ſepúlchrum: ſignántes lápidem: cum cuſtódibus.

Offertorium. Impropérium expectáuit cor meum, & miſériam, & ſuſtínui, qui ſimul contriſtarétur, & non fuit, conſolántem me quæſíui, & non inuéni: & dedérunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauérunt me acéto.

Secreta

CONcéde, quæſumus, Dómine: vt óculis tuæ maieſtátis munus oblátum, & grátiam nobis deuotiónis obtíneat, & efféctum beátæ perennitátis acquírat. Per Dóminum.

Communio. Pater, ſi non poteſt hic calix tranſíre, niſi bibam illum: fiat volúntas tua.

Poſtcommunio.

PEr huius, Dómine, operatiónem myſtérij & vítia noſtra purgéntur? & iuſta deſidétia compleántur. Per Dóminum noſtrum.

FERIA SECVNDA.

Statio ad S. Praxedem.

Introitus.



IV'dica, Dómine, nocéntes me, expúgna impugnãtes me: apprehénde arma, & ſcutum: & exúrge in adiutóriũ meum, Dómine virtus ſalútis meæ.

Pſalmus Effúnde frámeam, & conclúde: aduérſus eos qui perſequúntur me.

Collecta.

DA, quæſumus, omnípotens Deus: vt qui in tot aduérſis ex noſtra infirmitáte defícimus? intercedénte vnigéniti Fílij tui paſſióne reſpirémus. Qui tecum viuit & reg.

Léctio Iſaíæ Prophétæ. cap. 50.

IN diébus illis: Dixit Iſaías. Dóminus Deus áperuit mihi aurẽ: ego autem non contradíco, retrórſum non ábij. Corpus meum dedi percutiéntibus: & genas meas vellēntibus. Fáciem meam non auérti ab increpántibus: & conſpuéntibus in me. Dóminus Deus auxiliátor meus: ídeo non ſum confúſus. I'deo póſui fáciem meam, vt petrã duríſſimam: & ſcio, quóniam non confúndar. Iuxta eſt qui iuſtíficat me: quis contradícet mihi? Stemus ſimul. Quis eſt aduerſárius meus? Accédat ad me. Ecce Dóminus Deus auxiliátor meus: quis eſt qui condémnet me? Ecce omnes quaſi veſtiméntum cõteréntur: tínea cómedet eos. Quis ex vobis timens Deum, aúdiens vocem ſerui ſui? Qui ambuláuit in ténebris? & non eſt lumen ei: ſperet in nómine Dómini: & innitátur in Dómino Deo ſuo.

℞. Exúrge, Dómine, & inténde iudício meo, Deus meus: & Dóminus meus in cauſam meam. ℣. Effúnde frámeam, & conclúde aduerſus eos, qui me perſequúntur.

Tractus. Dómine non ſecúndum, &c.

Secúndum Ioánnem. cap. 12.

IN illo témpore. Ante ſex dies Paſchæ venit Iéſus Bethániã: vbi fúerat Lázarus mórtuus, quem ſuſcitáuit Iéſus. Fecérunt autem ei cœnam ibi: & Martha miniſtrábat. Lázarus verò: vnus erat ex diſcumbéntibus cum eo. María ergo accépit libram vnguénti nardi píſtici pretióſi, & vnxit pedes Iéſu: & extérſit capíllis ſuis pedes eius: & domus impléta eſt ex odóre vnguénti. Dixit ergo vnus ex diſcípulis eius Iúdas Iſcariótes: qui erat eum traditúrus. Quare hoc vnguéntum non vǽniit trecéntis denáriis, & datũ eſt egénis? Dixit autem hoc, non quia de egénis pertinébat ad eum: ſed quia fur erat, & lóculos habens, ea quæ mittebántur, portábat. Dixit ergo Iéſus. Sine illam: vt in diem ſepultúræ meæ ſeruet illud. Paúperes enim ſemper habétis vobíſcum: me autem nõ ſemper habébitis. Cognóuit ergo turba multa ex Iudǽis, quia illic eſt: & venérunt non propter Iéſum tantũ, ſed vt Lázarum vidérent, quem ſuſcitáuit à mórtuis. Cogitauérunt autem Príncipes Sacerdótum, vt & Lázarũ in-

terficerẽt: quia multi propter illum abíbant ex Iudǽis, & credébant in Iéſum. In cráſtinum autẽ turba multa, quæ vénerat ad diem feſtũ, cum audíſſent quia venit Iéſus Ieroſólymam: accepérunt ramos Palmárũ, & proceſſérunt óbuiam ei, & clamábant. Hoſánna, benedíctus, qui venit in nómine Dómini: Rex Iſráel. Et inuénit Iéſus aſéllum, & ſedit ſuper eum: ſicut ſcriptum eſt. Noli timére filia Sion. Ecce Rex tuus venit: ſedens ſuper pullum áſinæ. Hæc non cognouérũt diſcípuli eius primum, ſed quando gloríficátus eſt Iéſus: tunc recordáti ſunt, quia hæc erant ſcripta de eo, & hæc fecérunt ei. Teſtimónium ergo perhibébat turba quæ erat cum eo, quando Lázarum vocáuit de monuménto: & ſuſcitáuit eum à mórtuis. Proptérea & óbuiam venit ei turba: quia audiérunt eum feciſſe hoc ſignum. Phariſǽi ergo: dixérunt ad ſemetípſos. Vidétis quia nihil profícimus? Ecce mundus totus poſt eum ábiit. Erant autem Gentíles quidam, ex his qui aſcénderant: vt adorárent in die Feſto. Hi ergo acceſſérunt ad Philíppum, qui erat à Bethſáida Galilǽæ. & rogábãt eum, dicéntes. Dómine: vólumus Iéſum vidére. Venit Philíppus: & dicit Andréæ. Andréas rurſum, & Philíppus: dixérunt Iéſu. Iéſus autem: reſpóndit eis, dicens. Venit hora: vt clarificétur Fílius hóminis. Amen amen dico vobis: niſi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit, ipſum ſolũ manet. Si autem mórtuum fúerit: multum fructum affert. Qui amat ánimam ſuam: perdet eam. Et qui odit ánimã ſuam in hoc mundo: in vitam ætérnam cuſtódit eã. Si quis mihi miníſtrat: me ſequátur. Et vbi ſum ego: illic & miníſter meus erit. Si quis mihi miniſtráuerit: honorificábit eum Pater meus. Nunc ánima mea turbáta eſt. Et quid dicam? Pater: ſaluífica me ex hac hora. Sed proptérea veni in horam hanc. Pater: clarífica nomen tuum. Venit ergo vox de cœlo. Et clarificáui: & íterũ clarificábo. Turba ergo quæ ſtabat, & audíerat: dicébat tonítruum factum eſſe. A'lij dicébãt. A'ngelus ei locútus eſt. Reſpóndit Iéſus: & dixit. Non propter me vox hæc venit: ſed propter vos. Nunc iudíciũ eſt mundi: nunc princeps huius mundi eiiciétur foras. Et ego ſi exaltátus fúero à terra: ómnia traham ad meípſum. Hoc autem dicébat: ſígníficans, quia morte eſſet moritúrus. Reſpóndit ei turba. Nos audíuimus ex lege: quia Chriſtus manet in ætérnum. Et quómodo tu dicis, opórtet exaltári Fílium hóminis? Quis eſt iſte Fílius hóminis? Dixit ergo eis Iéſus. Adhuc módicũ lumen in vobis eſt. Ambuláte dum lucem habétis: vt non ténebræ vos comprehéndant. Et qui ámbulat in ténebris: neſcit quò vadat. Dum lucem habétis crédite in lucem: vt filij lucis ſitis. Hæc locútus eſt Iéſus, & ábiit: & abſcóndit ſe ab eis.

Offertorium **É'ripe me de inimícis meis, Dómine, ad te cõfúgi: doce me fácere voluntátẽ tuã, quia Deus meus es tu.** Secreta

HÆc ſacrificía nos, omnípotẽs Deus, poténti virtúte mundátos, ad ſuum fáciant purióres veníre princípium. Per Dóminum.

Communio. **Erubéſcant, & reuereántur ſimul, qui gratulántur malis meis: induántur pudóre, & reueréntia, qui malígna loquúntur aduérſum me.** Poſtcommunio.

PRæbeant nobis, Dómine, diuínum tua ſancta feruórem, quo eórum páriter & actu delectémur, & fructu. Per Dóminum.

Super populum. Oratio.

ADiuua nos, Deus ſalutáris noſter: & ad benefícia recolénda, quibus nos inſtauráre dignátus es, tríbue veníre gaudéntes. Per Dómi.

FERIA TERTIA.
Statio ad S. Priſcam.

Introitus.

NOs autem gloriári opórtet, in Cruce Dómini noſtri Iéſu Chriſti: in quo eſt ſalus, vita, & reſurréctio noſtra: per quem ſaluáti, & liberáti ſumus.

Pſalmus. Deus miſereátur noſtri, & benedícat nobis: illúminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereátur noſtri.

OMnípotens ſempitérne Deus, da nobis ita Domínicæ Paſſiónis ſacraménta perágere: vt indulgéntiam percípere mereámur. Per eúndem.

Léctio Ieremíæ Prophétæ. cap. 11.

IN diébus illis. Dixit Ieremías. Dómine, demonſtráſti mihi, & cognóui: tu oſtendíſti mihi ſtúdia eórum. Et ego quaſi agnus manſuétus, qui portátur ad víctimã: & non cognóui, quia cogitauérunt ſuper me consília, dicéntes. Veníte, mittámus lignum in panem eius: & eradámus eum de terra viuéntium: & nomen eius nõ memorétur ámpliùs. Tu autẽ Dómine Sábaoth qui iúdicas iuſtè: & probas renes, & corda: vídeã, quæſo, vltiónem tuam ex eis. Tibi enim reueláui cauſam meam: Dómine Deus meus.

℞. Ego autem dum mihi moléſti eſſent, induébam me cilício, & humiliábam in ieiúnio ánimã meam, & orátio mea in ſinu meo conuertétur. ℣. Iúdica Dómine nocéntes me, expúgna impugnántes me, apprehénde arma, & ſcutum, & exúrge in adiutórium mihi.

Dóminus vobíſcum. Et cum ſpíritu tuo.

PASSIO DOMINI NOSTRI Ieſu Chriſti ſecúndum Marcum.

Hic non dicitur Glória tibi Dómine. Cap. 14.

IN illo témpore Erat Paſcha: & ázyma poſt bíduum. Et quærébant ſummi Sacerdótes & Scribę: quómodo Iéſum dolo tenérent, & occíderent. Dicébant enim. Non in die feſto. Ne fortè tumúltus fieret pópuli. Et cum eſſet Iéſus Betháníæ, in domo Simónis lepróſi, & recúmberet: venit múlier habẽs alabáſtrum vnguénti nardi ſpicáti pretióſi, & fracto alabáſtro, effúdit ſuper caput eius. Erant autem quidam indígnè feréntes intra ſemetípſos: & dicéntes. Vt quid perdítio iſta vnguénti facta eſt? Póterat enim vnguentum iſtud venúndari pluſquam trecéntis denáriis: & dari paupéribus. Et fremébant in eã Iéſus autem: dixit. Sínite eam. Quid illi moléſti eſtis? Bonum opus operáta eſt in me. Semper enim paúperes habétis vobíſcum: & cum voluéritis, potéſtis illis benefácere. Me autẽ: non ſemper habébitis. Quod hábuit hæc fecit: præuénit víngere corpus meum in ſepultúram. Amẽ dico vobis: vbicúnque prædicátum fúerit Euangélium iſtud in vniuérſo mundo, & quòd hæc fecit, narrábitur in memóriam eius. Et Iúdas Iſcariótes vnus de duódecim ábiit ad ſummos Sacerdótes: vt próderet eũ illis. Qui audiéntes gauíſi ſunt: & promiſérũt ei pecúniã ſe datúros. Et quærébat: quómodo illum opportúnè tráderet. Et primo die azymórum, quãdo Paſcha immolábant: dicunt ei diſcípuli. Quò vis, eámus, & parémus tibi, vt mandúces Paſcha? Et mittit duos ex diſcípulis: & dicit eis. Ite in ciuitátem: & occúrret vobis homo lagénam aquæ báiulans. Sequímini eum, & quocúnque introíerit, dici-

:e Dómino domus, quia magíſter dicit. Vbi eſt reféctio mea, vbi Paſcha cum diſcípulis meis mãdúcem? Et ipſe vobis demonſtrábit cœnáculum grande ſtratum: & illic paráte nobis. Et abiérunt diſcípuli eius, & venérunt in ciuitátẽ: & inuenérunt ſicut dixerat illis, & parauérunt Paſcha. Véſpere autẽ facto: venit cum duódecim. Et diſcumbéntibus eis, & manducántibus: ait Ieſus. Amen dico vobis: quia vnus ex vobis me tradet, qui mandúcat mecum. At illi cœpérunt contriſtári: & dícere ei ſigillátim. Nunquid ego? Qui ait illis. Vnus ex duódecim: qui intingit mecum manum in catino. Et Fílius quidem hóminis vadit: ſicut ſcriptũ eſt de eo. Væ autem hómini illi: per quẽ Fílius hóminis tradétur. Bonũ erat ei: ſi non eſſet natus homo ille. Et manducántibus illis, accépit Ieſus panem: & benedícens fregit, & dedit eis, & ait. Súmite. Hoc eſt corpus meũ. Et accépto cálice: grátias agẽs dedit eis. Et bibérunt ex illo omnes. Et ait illis. Hic eſt ſanguis meus noui teſtaménti: qui pro multis effundétur. Amẽ dico vobis: quod iam non bibam de genímine vitis, vſque in diem illum, cum illud bibã nouum in regno Dei. Et hymno dicto: exiérunt in Mõtem-Oliuátum. Et ait eis Ieſus. Omnes ſcãdalizabímini in me in nocte iſta: quia ſcriptũ eſt. Percútiã paſtórem: & diſpergéntur oues. Sed poſteà quam reſurréxero: præcédã vos in Galilæam. Petrus autem: ait ei. Et ſi omnes ſcandalizáti fúerint: ſed non ego. Et ait illi Ieſus. Amen dico tibi: quia tu hódie in nocte hac, priúſquam bis gallus vocem déderit, ter me es negatúrus. At ille ámplius loquebátur. Et ſi oportúerit me cómmori tibi: non te negábo. Similiter autem: & omnes dicébant. Et véniunt in prædium, cui nomen Gethſémani: & ait diſcípulis ſuis. Sedéte hìc: donec orem. Et aſſúmit Petrum, & Iacóbum & Ioánnem ſecum: & cœpit pauére, & tædére. Et ait illis. Triſtis ánima mea: vſque ad mortem. Suſtinéte hìc: & vigiláte. Et cùm proceſsíſſet paúlulum: prócidit ſuper terram, & orábat vt ſi fíeri poſſet, tranſíret ab eo hora. Et dixit. Abba Pater: ómnia poſſibília ſunt tibi. Trãsfer cálicem hunc à me. Sed non quod ego volo: ſed quod tu. Et venit: & inuénit eos dormiéntes. Et ait Petro. Simon dormis? Non potuíſti vna hora vigiláre mecum? Vigiláte, & oráte: vt non intrétis in tentatiónem. Spíritus quidẽ promptus eſt: caro verò infirma. Et íterũ ábiens: oráuit eúndem ſermónem dicens. Et reuérſus: dénuò inuénit eos dormiéntes. (Erant enim óculi eórum grauáti:) & ignorábãt, quid reſpõdérent ei. Et venit tértiò: & ait illis. Dormíte iam: & requiéſcite. Súfficit. Venit hora: ecce tradétur Fílius hóminis in manus peccatórũ. Súrgite eámus: ecce, qui me tradet propè eſt. Et adhuc eo loquénte: venit Iúdas Iſcariótes vnus de duódecim, & cum illo turba multa cum gládiis, & lignis, miſſi à Sũmis Sacerdótibus, & Scribis, & à Senióribus. Déderat autem tráditor eius ſignum eis: dicens. Quemcúmque oſculátus fúero ipſe eſt: tenéte eum & dúcite cautè. Et cum veníſſet: ſtatim accédẽs ad eũ, dixit aue. Rabbi. Et oſculátus eſt eum. At illi manus iniecérũt in eum: & tenuérunt eum. Vnus autem de circunſtántibus edúcens gládium, percúſſit ſeruum Summi Sacerdótis: & amputáuit illi auriculã. Et reſpóndẽs Ieſus: ait illis. Tanquam ad latrónem exíſtis cum gládiis, & lignis comprehéndere me? Quotídie eram apud vos in templo docens: & non me tenuíſtis. Sed vt impleántur ſcriptúræ. Tunc diſcípuli eius relinquéntes eum: omnes fugérunt. Adoléſcens

léſcens autem quidam ſequebátur
eum, amíctus ſindone ſuper nudo:
& tenuérunt eum. At ille reiécta ſín-
done: nudus profúgit ab eis. Et ad-
duxérunt Iéſum ad Summum Sacer-
dótem: & conuenérunt omnes Sa-
cerdótes & Scribę & Senióres. Petrus
autem à lõgè ſecútus eſt eum, vſque
intrò in átrium Summi Sacerdótis:
& ſedébat cum miníſtris, & calefa-
ciébat ſe ad ignem. Summi verò Sa-
cerdótes, & omne concílium quæ-
rébant aduérſus Iéſum teſtimóniũ,
vt eum morti tráderent: nec inue-
niébant. Multi enim teſtimóniũ fal-
ſum dicébant aduérſus eum: & con-
ueniéntia teſtimónia non erant. Et
quidam ſurgéntes falſum teſtimó-
nium ferébant aduérſus eum, dicén-
tes: quóniam nos audíuimus eum
dicéntem. Ego diſſóluam templum
hoc manufáctum: & poſt tríduum
áliud non manufáctum ædificábo.
Et non erat conuéniens teſtimóniũ
illórum. Et exúrgens Summus Sacér-
dos in médium: interrogáuit Iéſum,
dicẽs. Non reſpóndes quicquam, ad
ea quæ tibi obiiciúntur ab his? Ille
autem tacébat: & nihil reſpóndit.
Rurſum Summus Sacérdos interro-
gábat eum: & dixit ei. Tu es Chriſtus
Fílius Dei benedícti? Iéſus autem di-
xit illi. Ego ſum. Et vidébitis Filiũ hó-
minis ſedéntẽ à dextris virtútis Dei:
& veniéntem cũ núbibus cœli. Sum-
mus autem Sacérdos ſcindens veſti-
ménta ſua: ait. Quid adhuc deſide-
rámus teſtes? Audiſtis blaſphémiam.
Quid vobis vidétur? Qui omnes cõ-
demnauérunt eum: eſſe reum mor-
tis. Et cœpérunt quidam conſpúere
in eum: & veláre fáciem eius, & céla-
phis eũ cædere, & dícere ei. Prophe-
tíza. Et miníſtri álapis eum cædébãt.
Et cũ eſſet Petrus in átrio deórſum:
venit vna ex ancíllis Summi Sacer-
dótis. Et cum vidíſſet Petrum cale-
faciéntem ſe: aſpíciens illum, ait. Et
tu cum Iéſu Nazaréno eras. At ille
negáuit: dicens. Neque ſcio: neque
noui, quid dicas. Et éxiit foras ante
átrium: & gallus cantáuit. Rurſum
autem cum vidiſſet illũ ancílla: cœ-
pit dícere circunſtántibus, quia hic
ex illis eſt. At ille íterum negáuit. Et
poſt puſillum: rurſus qui aſtábant
dicébant Petro. Verè ex illis es. Nam
& Galilǽus es. Ille autem cœpit ana-
thematizáre & iuráre: quia néſcio
hóminem iſtum, quẽ dícitis. Et ſta-
tim íterum gallus cantáuit. Et recor-
dátus eſt Petrus verbi, quod díxerat
ei Iéſus, priúſquam gallus cantet bis,
ter me negábis: & cœpit flere. Et cõ-
féſtim manè conſíliũ faciéntes Sum-
mi Sacerdótes, cum Senióribus, &
Scribis, & vniuérſo concílio: vin-
ciéntes Iéſum duxérunt, & tradidé-
runt Piláto. Et interrogáuit eum Pi-
látus. Tu es Rex Iudæórum? At ille
reſpóndens: ait illi. Tu dicis. Et accu-
ſábãt eum Sũmi Sacerdótes in mul-
tis. Pilátus autem: rurſus interrogá-
uit eũ, dicens. Non reſpóndes quic-
quam? Vide: in quantis te accúſant.
Iéſus autẽ ámplius nihil reſpóndit:
ita vt mirarétur Pilátus. Per diẽ au-
tem feſtum: dimíttere ſolébat illis
vnum ex vinctis, quemcúmque pe-
tiſſent. Erat autẽ, qui dicebátur Ba-
rábbas, qui cum ſeditióſis erat vin-
ctus: qui in ſeditióne fécerat homi-
cídiũ. Et cum aſcendiſſet turba: cœ-
pit rogáre, ſicut ſemper faciébat il-
lis. Pilátus autẽ: reſpóndit eis, & di-
xit. Vultis dimíttam vobis Regem
Iudæórum? Sciébat enim: quod per
inuídiam tradidíſſent eum Summi
Sacerdótes. Pontífices autem conci-
tauérunt turbam: vt magis Barábbã
dimítteret eis. Pilátus autem íterum
reſpóndens: ait illis. Quid ergo vul-
tis fáciam Regi Iudæórum? At illi íte-
rum clamauérunt. Crucífige eum.
Pilátus verò: dicébat eis. Quid enim
mali fecit? At illi magis clamábant.

Crucifige eum. Pilátus autem volẽs pópulo ſatisfácere, dimíſit illis Barábbam: & trádidit Iéſum flagéllis cæſum, vt crucifigerétur. Mílites autem duxérunt eum intrò in átrium prætórij: & cónuocãt totam cohórtem, & índuunt eum púrpura, & impónunt ei plecténtes ſpíneam corónam, & cœpérunt ſalutáre eum. Aue Rex Iudæórum. Et percutiébãt caput eius arúndine: & conſpuébãt eum. Et ponéntes génua adorábant eum. Et poſtquam illuſérũt ei: exuérunt illum púrpura, & induérunt illum veſtiméntis ſuis, & edúcunt illum, vt crucifigerent eum. Et angariauérũt prætereúntem quémpiã, Simónem Cyrenæum veniéntem de villa, patrem Alexándri & Rufi: vt tólleret crucem eius. Et perdúcunt illum in Gólgotha locum: quod eſt interpretátum, Caluáriæ locus. Et dabãt ei bíbere myrrhátum vinum: & non accépit. Et crucifigéntes eũ, diuiſérunt veſtiménta eius: mitténtes ſortem ſuper eis, quis quid tólleret. Erat autem hora tértia: & crucifixérunt eum. Et erat títulus cauſæ eius inſcríptus: Rex Iudæórum. Et cum eo crucifígunt duos latrónes: vnum à dextris & álium à ſiníſtris eius. Et adimpléta eſt ſcriptúra: quæ dicit. Et cum iníquis reputátus eſt. Et prætereúntes blaſphemábant eũ: mouéntes cápita ſua, & dicéntes. Vah, qui déſtruis templum Dei: & in tribus diébus reædíficas. Saluum fac temetípſum: deſcéndẽs de cruce. Simíliter & Summi Sacerdótes illudéntes: ad altérutrum cum Scribis dicébant. A'lios ſaluos fecit: ſeípſum non poteſt ſaluum fácere? Chriſtus Rex Iſráel deſcéndat nunc de cruce: vt videámus, & credámus. Et qui cũ eo crucifixi erant: conuiciabántur ei. Et facta hora ſexta: ténebræ factæ ſunt ſuper totam terram, vſque in horam nonam. Et hora nona: exclamáuit Iéſus voce magna dicens. Eloi: Eloi: lammaſabactháni? Quod eſt interpretátum. Deus meus: Deus meus: vt quid dereliquíſti me? Et quidam de circunſtántibus audiéntes: dicébant. Ecce Elíam vocat. Currens autem vnus, & implens ſpóngiam acéto, circumponénſque cálamo: potum dabat ei, dicens. Sínite: videámus, ſi véniat Elías, ad deponéndum eũ. Iéſus autem emíſſa voce magna: expiráuit. *Hic proſternitur* ✠ Et velum templi ſciſſum eſt in duo: à ſummo vſque deórſum. Videns autem Centúrio, qui ex aduérſo ſtabat, quia ſic clamans expiráſſet: ait. Verè: homo hic, Filius Dei erat. Erant autem, & mulíeres de longè aſpiciéntes: inter quas erat María Magdaléne, & María Iacóbi minóris, & Ióſeph mater, & Sálome. Et cum eſſet in Galiléa, ſequebántur eum: & miniſtrábant ei. Et áliæ multæ: quæ ſimul cum eo aſcénderant Ieroſólymam. Et cum iam ſerò eſſet factum, (quia erat paraſcéue,) quod eſt ante Sábbatum: venit Ióſeph ab Arimathía nóbilis Decúrio, qui & ipſe erat expéctans regnum Dei. Et audácter introíit ad Pilátum: & pétiit corpus Iéſu. Pilátus autem: mirabátur, ſi iam obiíſſet. Et accersíto Cẽturióne: interrogáuit eum, ſi iam mórtuus eſſet. Et cum cognouíſſet à Centurióne: donáuit corpus Ióſeph. Ióſeph autem mercátus ſíndonem, & depónens eum inuóluit síndone: & póſuit eum in monuménto, quod erat excíſum de petra. Et aduóluit lápidem ad óſtium monuménti.

Offertorium. Cuſtódi me Dómine de manu peccatóris, & ab homínibus iníquis éripe me, Dómine.

Secreta.

Sacrifícia nos, quǽſumus, Dómine, propénſius iſta reſtaúrent, quæ medicinálibus ſunt instituta ieiúniis. Per Dóminum.

Offertorium.

Communio. Aduérſum me exercebántur, qui ſedébant in porta: & in me pſallébant, qui bibébant vinum: ego verò oratiónem meam ad te, Dómine: tempus beneplácit Deus in multitúdine miſericórdiæ tuæ.

Poſtcommunio.

SAnctificatiónibus tuis, omnípotens Deus, & vítia noſtra curéntur ? & remédia nobis ſempitérna prouéniant. Per Dóminum.

Super populum.

TVa nos miſericórdia Deus, & ab omni ſurreptióne vetuſtátis expúrget ? & capáces ſanctæ nouitátis efficiat. Per Dóminum.

FERIA QVARTA.
Statio ad S. Mariam Maiorem.

Introitus.

IN nómine Dómini omne genu flectátur, cæléſtium, terréſtrium, & infernórũ: quia Dóminus factus eſt obédiens vſque ad mortem, mortẽ autem crucis, ídeo Dóminus Iéſus Chriſtus in glória eſt Dei Patris.

Pſalmus. Dómine exaúdi oratiónẽ meam & clamor meus ad te véniat.

Dóminus vobíſcum. Orémus.
Flectámus génua: Leuáte.

PRæſta, quǽſumus, omnípotens Deus: vt qui noſtris excéſſibus inceſſánter afflígimur ? per vnigéniti tui paſſiónem liberémur. Qui tecum viuit.

Léctio Iſaíæ Prophétæ. cap. 62. & 63.

HÆc dicit Dóminus Deus. Dícite fíliæ Sion. Ecce ſaluátor tuus venit ? ecce merces eius cum eo: & opus eius coram illo. Quis eſt iſte, qui venit de Edom tinctis véſtibus de Boſra? Iſte formóſus in ſtola ſua: grádiens in multitúdine fortitúdinis ſuæ. Ego qui loquor iuſtítiã: & propugnátor ſum ad ſaluãndũ. Quare ergo rubrum eſt induméntũ tuum ? & veſtiménta tua ſicut calcántium in torculári? Tórcular calcáui ſolus: & de Géntibus non eſt vir mecum. Calcáui eos in furóre meo: & conculcáui eos in ira mea. Et aſpérſus eſt ſanguis eórũ ſuper veſtiménta mea: & ómnia induménta mea inquinául. Dies enim vltiónis in corde meo: annus retributiónis meæ venit. Circumſpéxi, & non erat auxiliátor: quæſíui, & non fuit qui adiuuáret. Et ſaluáuit mihi bráchium meum: & indignátio mea ipſa auxiliáta eſt mihi. Miſeratiónum Dómini recordábor: laudem Dómini ſuper ómnibus, quæ réddidit nobis Dóminus Deus noſter.

℟. Ne auértas fáciem tuam à púero tuo, quóniam tríbulor velóciter exaúdi me.

℣. Saluum me fac, Deus, quóniam intrauérunt aquæ vſque ad ánimam meam: infíxus ſum in limo profúndi, & non eſt ſubſtántia.

Hîc non repetatur Dóminus vobíſcum.
ſed Orémus. Flectámus génua: Leuáte.

Collecta.

DEus, qui pro nobis Fílium tuum crucis patíbulum ſubíre voluíſti, vt inimíci à nobis expélleres poteſtátem: concéde nobis fámulis tuis ? vt reſurrectiónis grátiam conſequámur. Per eúndem Dóminum noſtrum Iéſum Chriſtũ.

Léctio ij. Iſaíæ Prophétæ. cap. 53.

IN diébus illis. Dixit Iſaías. Dómine: quis crédidit audítui noſtro, & bráchium Dómini cui reuelátum eſt? Et aſcéndet ſicut virgúltum corã eo: & ſicut radix de terra ſitiénti. Et non eſt ſpécies ei, neque decor: & vídimus eum, & non erat aſpéctus ? & deſideráuimus eum deſpéctum, & nouíſſimum virórum: virum dolórum, & ſciéntem infirmitátem Et quaſi abſcónditus vultus eius, & deſpéctus: vnde nec reputáuimus eum. Verè languóres noſtros ipſe tulit: & dolóres noſtros ipſe portáuit. Et nos

putáuimus eum quaſi lepróſum: & percúſſum à Deo, & humiliátũ. Ipſe autem vulnerátus eſt propter iniquitátes noſtras: atrítus eſt propter ſcélera noſtra. Diſciplína pacis noſtræ ſuper eum: & liuóre eius ſanáti ſumus. Omnes nos quaſi oues erráuimus: vnuſquíſque in viam ſuam declináuit, & Dóminus póſuit in eo iniquitátem ómniũ noſtrum. Oblátus eſt quia ipſe vóluit: & non apéruit os ſuum. Sicut ouis ad occiſiónem ductus eſt: & quaſi agnus corã tondénte ſe, obmútuit, & non apéruit os ſuũ. In humilitáte iudícium eius ſublátum eſt: generatiónẽ eius quis enarrábit? Quia abſcíſſus eſt de terra viuéntium. Propter ſcelus pópuli mei percúſſi eum? & dabit ímpios pro ſepultúra, & díuitem pro morte ſua: eo quòd iniquitátem nõ fécerit, nec dolus inuéntus fúerit in ore eius, & Dóminus vóluit contérere eum in infirmitáte. Si poſúerit pro peccáto ánimam ſuam: vidébit ſemen longǽuum, & volúntas Dómini in manu eius dirigétur, pro eo quòd trádidit in mortem ánimam ſuam, & cũ ſcelerátis reputátus eſt. Et ipſe peccáta multórũ tulit: & pro tranſgreſſóribus rogáuit, vt nõ perírent. Dicit Dóminus: omnípotens.

Tractus.

Dómine, exáudi oratiónem meam: & clamor meus ad te véniat. ℣. Ne auértas fáciem tuam à me, in quacúnque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

℣. In quacúnque die inuocáuero te, velóciter exáudi me. ℣. Quia defecérunt ſicut fumus dies mei: & oſſa mea ſicut in frixório confríxa ſunt. ℣. Percúſſus ſum ſicut fœnũ, & áruit cor meum: quia oblítus ſum manducáre panem meum. ℣. Tu exúrgens Dómine miſeréberis Sion: quia venit tempus miſeréndi eius.

Dóminus vobíſcum. Et cum ſpíritu tuo.

PASSIO DOMINI NOSTRI Iéſu Chriſti ſecúndum Lucam.

Hic non dicitur Glória tibi Dómine. Cap. 22.

IN illo témpore: Appropinquábat dies feſtus azymórum, qui dícitur Paſcha: & quærébant Príncipes Sacerdótũ & Scribæ, quómodo Iéſum interfícerent. Timébant verò plebem. Intráuit autem Sáthanas in Iúdam, qui cognominabátur Iſcariótes, vnũ de duódecim: & ábiit, & locútus eſt cum Princípibus Sacerdótũ, & magiſtrátibus quemádmodũ illum tráderet eis. Et gauíſi ſunt: & pacti ſunt pecúniam illi dare. Et ſpopóndit. Et quærébat opportunitátem: vt tráderet illum ſine turbis. Venit autem dies azymórum, in qua neceſſe erat occídi Paſcha: & miſit Petrum, & Ioánnem, dicens. Eúntes paráte nobis Paſcha: vt manducémus. At illi dixérunt. Vbi vis parémus? Et dixit ad eos. Ecce introeúntibus vobis in ciuitátẽ: occúrret vobis homo ámphoram aquæ portans. Sequímini eum in domum, in quam intrat: & dicétis patrifamílias domus. Dicit tibi magíſter. Vbi eſt diuerſórium, vbi Paſcha cum diſcípulis meis man dúcem? Et ipſe vobis oſténdet cœnáculũ magnum ſtratum: & ibi paráte. Eúntes autem inuenérunt ſicut dixit illis: & parauérunt Paſcha. Et cum facta eſſet hora diſcúbuit: & duódecim Apóſtoli cum eo. Et ait illis. Deſidério deſideráui hoc Paſcha manducáre vobíſcum: ántequã pátiar. Dico enim vobis: quia ex hoc non manducábo illud, donec impleátur in regno Dei. Et accépto cálice: grátias egit, & dixit. Accípite: &

diuídite

Google

diuídite inter vos. Dico enim vobis: quod nõ bibam de generatióne vitis, donec regnum Dei véniat. Et accépto pane: grátias egit, & fregit, & dedit eis, dicẽs. Hoc eſt corpus meũ: quod pro vobis datur. Hoc fácite in meam commemoratiónem. Símiliter & cálicem: poſtquam cœnáuit, dicẽs. Hic eſt calix nouum teſtaméntum in ſánguine meo: qui pro vobis fundétur. Verúntámen: ecce manus tradéntis me, mecum eſt in mẽſa. Et quidem Fílius hóminis: ſecúndum quod diffinitum eſt, vadit. Verúntamen væ illi hómini: per quem tradétur. Et ipſi cœpérunt quærere inter ſe: quis eſſet ex eis, qui hoc factúrus eſſet. Facta eſt autem & conténtio inter eos: quis eórum viderétur eſſe maior. Dixit autem eis. Reges Géntium dominántur eórum: & qui poteſtátem habent ſuper eos, benéfici vocántur. Vos autem non ſic. Sed qui maior eſt in vobis: fiat ſicut iúnior. Et qui præcéſſor eſt: ſicut miniſtrátor. Nam quis maior eſt, qui recúmbit, an qui miníſtrat? Nonne qui recúmbit? Ego autem in médio veſtrũ ſum: ſicut qui miníſtrat. Vos autem eſtis: qui permãſiſtis mecum in tentatiónibus meis. Et ego diſpóno vobis, ſicut diſpóſuit mihi Pater meus regnum: vt edátis, & bibátis ſuper mẽſam meam in regno meo, & ſedeátis ſuper thronos iudicántes duódecim Tribus Iſráel. Ait autem Dóminus Simóni. Simon: ecce Sáthanas expetíuit vos: vt cribráret ſicut tríticum. Ego autem rogáui pro te: vt non defíciat fides tua. Et tu áliquando cõuérſus: confirma fratres tuos. Qui dixit ei. Dómine: tecum parátus ſum & in cárcerẽ, & in mortem ire. Et ille dixit. Dico tibi Petre: non cãtábit hódie gallus, donec ter ábneges noſſe me. Et dixit eis. Quãdo miſi vos ſine ſácculo & pera & calceaméntis: nunquid áliquid défuit vobis? At illi dixérunt. Nihil. Dixit ergo eis. Sed nunc, qui habet ſácculum tollat: ſimíliter & peram. Et qui non habet: vendat túnicã ſuam, & emat gládium. Dico enim vobis: quóniã adhuc hoc, quod ſcriptum eſt opórtet impléri in me, & cũ iníquis deputátus eſt. E'tenim ea quæ ſunt de me: finem habent. At illi dixérunt. Dómine: ecce gládij duo hic. At ille dixit eis. Satis eſt. Et egréſſus: ibat ſecúndum conſuetúdinem in Montem Oliuárum. Secúti ſunt autem illum, & diſcípuli. Et cum perueníſſet ad locum: dixit illis. Oráte: ne intrétis in tentatiónem. Et ipſe auúlſus eſt ab eis quantum iactus eſt lápidis: & póſitis génibus orábat, dicens. Pater: ſi vis, transfer cálicem iſtum à me. Verúntamen: non mea volúntas, ſed tua fiat. Appáruit autem illi A'ngelus de cœlo: confórtãs eum. Et factus in agónia: prolíxius orábat. Et factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſánguinis: decurréntis in terram. Et cum ſurrexíſſet ab oratióne, & veníſſet ad diſcípulos ſuos: inuénit eos dormiẽtes præ triſtítia. Et ait illis. Quid dormítis? Súrgite, oráte: ne intrétis in tentatiõẽ. Adhuc eo loquénte: ecce turba, & qui vocabátur Iúdas, vnus de duódecim antecedébat eos. Et appropinquáuit Iéſu: vt oſcularétur eum. Iéſus autẽ: dixit illi. Iúda óſculo Fílium hóminis tradis? Vidéntes autẽ hi, qui circa ipſum erant, quod futúrum erat: dixérunt ei. Dómine: ſi percútimus in gládio? Et percúſſit vnus ex illis ſeruum Príncipis Sacerdótum: & amputáuit auriculam eius dextrã. Reſpóndens autem Iéſus: ait. Sínite vſque huc. Et cũ tetigíſſet auriculam eius: ſanáuit eum. Dixit autem Iéſus ad eos, qui vénerant ad ſe, Príncipes Sacerdótum: & magiſtrátus templi, & Senióres. Quaſi ad latrónem exíſtis cum gládiis & fúſtibus? Cũ quo-

tídie vobíſcum fúerim in tẽplo: non extendíſtis manus in me. Sed hæc eſt hora veſtra: & potéſtas tenebrárũ. Comprehendéntes autem eum: duxérunt ad domum Príncipis Sacerdótũ. Petrus verò: ſequebátur eum à longè. Accénſo autem igne in médio átrij, & circumſedéntibus illis: erat Petrus in médio eórum. Quem cum vidíſſet ancílla quædam ſedéntem ad lumen, & eum fuíſſet intúita: dixit. Et hic cum illo erat. At ille negáuit eum, dicẽs. Múlier: non noui illum. Et poſt pusíllum: álius videns eũ, dixit. Et tu de illis es. Petrus verò: ait. O homo: non ſum. Et interuállo facto quaſi horę vnius: álius quidam affirmábat, dicens. Verè: & hic cum illo erat. Nam & Galilæus eſt. Et ait Petrus. Homo: néſcio quid dicis. Et cõtinuò adhuc illo loquénte: cantáuit gallus. Et cõuérſus Dóminus: reſpéxit Petrum. Et recordátus eſt Petrus verbi Dómini, ſicut díxerat, quia priúſquam gallus cãtet, ter me negábis: & egréſſus foras Petrus, fleuit amárè. Et viri, qui tenébant eum: illudébant ei, cædéntes. Et velauérunt eum. & percutiébant fáciem eius: & interrogábant eum, dicéntes. Prophetíza. Quis eſt qui te percúſſit? Et ália multa blaſphemántes: dicébant in eum. Et vt factus eſt dies, conuenérunt Senióres plebis, & Príncipes Sacerdótum, & Scribæ: & duxérũt illum in Concílium ſuũ, dicéntes. Si tu es Chriſtus: dic nobis. Et ait illis. Si vobis díxero: non credétis mihi. Si autem & interrogáuero, non reſpondébitis mihi: neque dimittétis. Ex hoc autem: erit Fílius hóminis ſedẽs à déxtris virtútis Dei. Dixérunt autem omnes. Tu ergo es Fílius Dei? Qui ait. Vos dícitis: quia ego ſum. At illi dixérunt. Quid adhuc deſiderámus teſtimónium? Ipſi enim audíuimus de ore eius. Et ſurgẽs omnis multitúdo eórum: duxérunt illum ad Pilátum. Cœpérũt autem illum accuſáre: dicéntes. Hunc inuénimus ſubuerténtem gentem noſtrã: & prohibéntem tribúta dari Cæſari: & dicéntem ſe Chriſtum Regem eſſe. Pilátus autem: interrogáuit eum, dicens. Tu es Rex Iudæórum? At ille reſpóndens: ait. Tu dicis. Ait autẽ Pilátus ad príncipes Sacerdótum, & turbas. Nihil inuénio cauſæ: in hoc hómine. At illi inualeſcébant: dicéntes. Commóuit pópulũ, docens per vniuérſam Iudǽam incipiẽs à Galilǽa vſque huc. Pilátus autem áudiẽs Galilǽam: interrogáuit, ſi homo Galilǽus eſſet. Et vt cognóuit, quod de Heródis poteſtáte eſſet: remíſit eum ad Heródem, qui & ipſe Ieroſólymis erat illis diébus. Heródes autem viſo Iéſu: gauíſus eſt valde. Erat enim ex multo témpore cúpiens vidére eum: eo quòd multa audíerat de illo: & ſperábat ſignum áliquod vidére ab eo fieri. Interrogábat autem illum: multis ſermónibus. At ipſe nihil illi reſpõdebat. Stabant étiam Príncipes Sacerdótũ & Scribæ: conſtánter accuſántes eum. Spréu it autẽ illum Heródes cũ exércitu ſuo: & illúſit indútum veſte alba, & remíſit ad Pilátũ. Et facti ſunt amíci Heródes, & Pilátus in ipſa die: nam ántea inimíci erant adínuicem. Pilátus autem conuocátis Princípibus Sacerdótum, & magiſtrátibus, & plebe: dixit ad illos. Obtuliſtis mihi hũc hóminem quaſi auerténtem pópulum: & ecce ego coram vobis intérrogans, nullam cauſam inuéni in hómine iſto: ex his, in quibus eum accuſátis. Sed neque Heródes. Nam remíſi vos ad illum: & ecce, nihil dignum morte actum eſt ei. Emendátum ergo illum dimíttam. Necéſſe autem habébat: dimíttere eis per diẽ feſtum, vnum. Exclamáuit autem ſimul vniuérſa turba: dicens. Tolle hunc: & dimítte nobis Barábbam.

Qui erat propter ſeditiónem quandam factam in ciuitáte, & homicídium: miſſus in cárcerẽ. I'terum autem Pilátus locútus eſt ad illos: volens dimíttere Iéſum. At illi ſucclamábant: dicéntes. Crucifíge: crucifíge illum. Ille autem tértiò: dixit ad illos. Quid enim mali fecit iſte? Nullam cauſam mortis inuénio in eo. Corrípiam ergo illum: & dimíttam. At illi inſtábant vócibus magnis poſtulántes, vt crucifigerétur. Et inualeſcébant voces eórum. Et Pilátus: adiudicáuit fieri petitiónẽ eórum. Dimíſit autem illis eũ, qui propter homicídium & ſeditiónem miſſus fúerat in cárcerem, quem petébant: Iéſum verò trádidit voluntáti eórũ. Et cum dúcerent eum: apprehendérunt Simónem quemdam Cyrenénſem veniéntem de villa, & impoſuérunt illi crucem portáre poſt Iéſum. Sequebátur autẽ illum multa turba pópuli, & mulíerum: quæ plangébant, & lamentabántur eum. Conuérſus autem ad illas Iéſus: dixit. Fíliæ Ierúſalem nolíte flere ſuper me, ſed ſuper voſipſas flere, & ſuper filios veſtros: quóniam ecce, vénient dies, in quibus dicent. Beátæ ſtériles, & ventres, qui non genuérunt: & vbera, quæ non lactauérunt. Tunc incípient dícere móntibus, cádite ſuper nos: & cóllib⁹, operíte nos. Quia ſi in víridi ligno hæc fáciunt: in árido quid fiet? Ducebántur autem & álij duo nequam cum eo: vt interficeréntur. Et poſtquam venérunt in locum, qui vocátur Cáluariæ: ibi crucifixérunt eum. Et latrónes: vnum à dextris, & álterum à ſiniſtris. Iéſus autem dicébat. Pater: Dimítte illis: non enim ſciunt, quid fáciunt. Diuidéntes verò veſtiménta eius: miſérunt ſortes. Et ſtabat pópulus expéctans. Et deridébant eum príncipes cum eis: dicéntes. A'lios ſáluos fecit: ſe ſaluum fáciat, ſi hic eſt Chriſtus Dei eléctus. Illudébant autem ei & mílites, accedéntes, & acétum offeréntes illi: & dicéntes. Si tu es Rex Iudæórum: ſaluum te fac. Erat autem & ſuperſcríptio ſcripta ſuper illum, líteris Græcis & Latínis, & Hebráicis: Hic eſt Rex Iudæórum. Vnus autem de his qui pendébãt latrónibus: blaſphemábat eum, dicens. Si tu es Chriſtus: ſaluum fac temetípſum, & nos. Reſpóndens autem alter: increpábat illum, dicens. Neque tu times Deum: quòd in eádem damnatióne es. Et nos quidem iuſtè? nam digna factis recípimus: hic vero nihil mali geſſit. Et dicébat ad Iéſum. Dómine: meménto mei: cũ véneris in regnũ tuum. Et dixit illis Iéſus. Amen dico tibi: hódie mecum eris in paradíſo. Erat autem ferè hora ſexta: & ténebræ factę ſunt in vniuérſam terram, vſque in horam nonam. Et obſcurátus eſt ſol: & velum templi ſciſſum eſt médium. Et clamãs voce magna Iéſus: ait. Pater: in manus tuas comméndo ſpíritum meum. Et hæc dicens: expiráuit. ✠ Hic proſternitur, & pauſatur. Vidẽs autẽ Centúrio quod factum fúerat: glorificáuit Deum, dicens. Verè: hic homo iuſtus erat. Et omnis turba eórum, qui ſimul áderant ad ſpectáculum iſtud, & vidébant quæ fiébant: percutiéntes péctora ſua, reuertebántur. Stabant autem omnes nòti eius à longè: & mulíeres, quæ ſecútæ erant eum à Galiléa hæc vidéntes. Et ecce vir nómine Ióſeph, qui erat Decúrio, vir bonus, & iuſtus? (hic non conſénſerat conſílio, & áctibus eórum) ab Arimathía, ciuitáte Iudǽæ: qui expectábat & ipſe regnum Dei. Hic accéſſit ad Pilátum: & pétiit corpus Iéſu. Et depóſitum inuóluit síndone: & póſuit eum in monuménto excíſo: in quo nondum quiſquàm póſitus fúerat.

Offertorium. Dómine, exaúdi oratiónem

Digitized by Google

meam: & clamor meus ad te perueniat.

Secreta.

PVrifica nos, miſéricors Deus, vt Eccléſiæ tuæ preces, quæ tibi gratæ ſunt, pia múnera deferéntes, fiant expiátis méntibus gratióres. Per Dóminum noſtrum.

Communio. Potum meum cum fletu temperábam, quia éleuans alliſiſti me: & ego ſicut fœnum árui: tu autem Dómine, in ætérnum pérmanes: tu exúrgens miſeréberis Sion, quia venit tempus miſeréndi eius.

Poſtcommunio.

LArgíre ſénſibus noſtris, omnípotés Deus: vt per temporálem Filij tui mortem, quam myſtéria veneránda teſtántur: vitam nobis te dediſſe perpétuam confidámus. Per eúndem Dóminum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Super populum

REſpice, Dómine, quæſumus, ſuper hanc famíliam tuam: pro qua Dóminus noſter Ieſus Chriſtus nō dubitáuit mánibus tradi nocéntium: & crucis ſubíre torméntum. Qui tecum viuit.

IN COENA DOMINI.

Statio ad S. Ioannem in Laterano.

Introitus.

NOs autem gloriári opórtet in cruce Dómini noſtri Ieſu Chriſti: in quo eſt ſalus, vita, & reſurréctio noſtra: per quem ſaluáti, & liberáti ſumus.

Pſalmus. Deus miſereátur noſtri, & benedícat nobis: illúminet vultum ſuū ſuper nos, & miſereátur noſtri. Dóminus vobíſcum. non tamen. Flectámus génua. Collecta.

DEus, à quo & Iúdas reátus ſui pœnam, & confeſſiónis ſuæ latro præmium ſumpſit: concéde nobis tuæ propitiatiónis effectum: vt ſicut in paſſióne ſua Ieſus Chriſtus Dóminus noſter diuérſa vtríſque íntulit ſtipéndia meritórū: ita nobis, abláto vetuſtátis erróre, reſurrectiónis ſuæ grátiam largiátur. Qui tecū.

Ad Corinthios. 1. Cap. 11.

FRatres: Conueniéntibus vobis in vnum: iam nō eſt domínicam cœnam manducáre. Vnuſquíſque enim: ſuam cœnā præſúmit ad mãducándum. Et álius quidem éſurit: álius autem ébrius eſt. Nunquid domos non habétis ad manducándum & bibéndum, aut Eccléſiā Dei contémnitis, & cōfúnditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos: in hoc non laudo. Ego enim accépi à Dómino: quod & trádidi vobis: quóniam Dóminus Ieſus in qua nocte tradebátur, accépit panem, & grátias agens fregit, & dixit. Accípite: & manducáte. Hoc eſt corpus meū: quod pro vobis tradétur: hoc fácite in meam cōmemoratiónem. Simíliter & cálicem: poſtquam cœnáuit, dicens. Hic calix nouum teſtaméntū eſt in meo ſánguine: hoc fácite quotieſcúmq; bibétis in meā commemoratiónem. Quotieſcúmque enim manducábitis panē hunc, & cálicem bibétis: mortem Dómini annuntiábitis, donec véniat. Itaque quicúmque manducáuerit panem, vel bíberit cálicē Dómini indígnè: reus erit córporis, & ſánguinis Dómini. Probet autem ſeipſum homo: & ſic de pane illo edat, & de cálice bibat. Qui enim mandúcat, & bibit indígnè: iudícium ſibi mandúcat, & bibit, non diiúdicans corpus Dómini. Ideo inter vos multi infirmi, & imbecílles: & dórmiunt multi. Quòd ſi noſmetípſos diiudicarémus: non vtique iudicarémur. Dum iudicámur autem, à Dómino corrípimur: vt non cū hoc mundo damnémur.

℟. Chriſtus factus eſt pro nobis obédiens vſque ad mortem, mortem autem crucis.

℣. Propter

℣. Propter quod & Deus exaltáuit illum: & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.

Secúndum Ioánnem. Cap. 13.

IN illo témpore. Ante diem feſtū Paſchę ſciens Iéſus, quia venit hora eius, vt tránſeat ex hoc mundo ad Patrem: cum dilexíſſet ſuos, qui erāt in mundo, in finem diléxit eos. Et cœna facta cū diábolus iam miſíſſet in cor vt tráderet eum Iúdas Simónis Iſcariótis: ſciens, quia ómnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exíuit, & ad Deum vadit, ſurgit à cœna, & ponit veſtiménta ſua. Et cū accepíſſet línteum: præcínxit ſe. Deínde miſit aquam in peluim: & cœpit lauáre pedes diſcipulórum, & extérgere línteo, quo erat præcínctus. Venit ergo ad Simónem Petrum: & dixit ei Petrus. Dómine: tu mihi lauas pedes? Reſpóndit Iéſus: & dixit ei. Quod ego fácio, tu neſcis modo: ſcies autem póſtea. Dicit ei Petrus. Nō lauábis mihi pedes in ætérnum. Reſpóndit ei Iéſus. Si non láuero te: non habébis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus. Dómine: non tantum pedes meos: ſed & manus, & caput. Dicit ei Iéſus. Qui lotus eſt non índiget, niſi vt pedes lauet: ſed eſt mundus totus. Et vos mundi eſtis: ſed non omnes. Sciébat enim quiſnam eſſet, qui tráderet eum: proptérea dixit non eſtis mundi omnes. Poſtquam ergo lauit pedes eórum, accépit veſtiménta ſua: & cum recubuíſſet iterum, dixit eis. Scitis quid fécerim vobis? Vos vocátis me magíſter & Dómine: & benè dícitis. Sū étenim. Si ergo ego laui pedes veſtros Dóminus & magíſter: & vos debétis alter altérius lauáre pedes. Exémplū enim dedi vobis: vt quemádmodum ego feci vobis: ita & vos faciátis.

Offertorium. Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltáuit me: non móriar, ſed viuam, & narrábo ópera Dómini

Secreta.

IPſe tibi, quǽſumus Dómine ſancte Pater omnípotens Deus, ſacificium noſtrum reddat accéptū, qui diſcípulis ſuis, in ſui cōmemoratione, hoc fieri hodiérna traditione mōſtráuit Iéſus Chriſtus Filius tuus Dóminus noſter. Qui tecum.

Infra actionem.

COmmunicántes, & diem ſacratíſſimum celebrántes, quo Dominus noſter Iéſus Chriſtus pro nobis eſt tráditus. Sed & memóriam venerántes imprímis glorióſæ ſemper vírginis Maríæ genitrícis eiúdem Dei.

HAnc ígitur oblatiónem ſeruitútis noſtræ ſed & cunctæ famíliæ tuæ, quam tibi offérimus, ob diem in qua Dóminus noſter Iéſu Chriſtus trádidit diſcípulis ſuis córporis & ſánguinis ſui, myſtéria celebránda, quǽſumus Dómine, vt placátus accípias: diéſq; noſtros in tua pace diſpónas, atque ab ætérna damnatióne nos éripi, & in electórum tuórum iúbeas grege numerári. Per eúndem Chriſtum Dóminum noſtrum. Amen.

QVam oblatiónem, tu Deus, in ómnibus, quǽſumus, bene dictam ✠ aſcríptam ✠ ratam, rationábilem, ✠ acceptabilémque fácere dignéris, vt nobis corpus ✠ & ſanguis ✠ fiat dilectíſſimi Filij tui Dómini noſtri Iéſu Chriſti.

QVi prídie quàm pro noſtra ómnium ſalúte paterétur, hoc eſt hódie, accépit panem in ſanctas ac venerábiles manus ſuas, &c.

Hodie vadit conuentus ad pacem, & communicat.

Communio. Dóminus Iéſus, poſtquam coenáuit cum diſcípulis ſuis, lauit pedes eórum & ait illis: ſcitis quid fécerim vobis ego Dóminus, & magíſter, exémplum dedi vobis vt & vos ita faciátis.

Poſtcommunio.

REfécti vitálibus aliméntis, quǽſumus, Dómine Deus noſter: vt quod témpore noſtræ mortalitátis exéquimur⁏ immortalitátis tuę múnere conſequámur. Per Dóminum.

Tunc ſacerdos corpus Domini, quod reſeruauit honeſtè recondat vſque in craſtinum.

FERIA SEXTA IN Paraſceue.

Statio ád S. Crucem in Hieruſalem.

Léctio j. ſine titu. Oſeæ cap. 6.

IN tribulatióne ſua manè cōſúrgent ad me, Veníte, & reuertámur ad Dóminum ⁏ quia ipſe cœpit, & ſanábit nos: percútiet, & curábit nos. Viuificábit nos poſt duos dies⁏ in die tértia ſuſcitábit nos: & viuémus in conſpéctu eius⁏ ſciémus ſequemúrque vt cognoſcámus Dóminum. Quaſi dilúculum præparátus eſt egréſſus eius: & véniet quaſi imber nobis tēporáneus, & ſerótinus terræ. Quid fáciam tibi Ephraim? Quid fáciā tibi Iúda? Miſericórdia veſtra quaſi nubes matutína: & quaſi ros manè pertránſiēs. Propter hoc doláui in Prophétis⁏ & occídi eos in verbis oris mei: & iudícia mea quaſi lux egrediéntur⁏ quia miſericórdiam vólui, & non ſacrifícium: & ſciéntiam Dei pluſquam holocaúſta.

Tractus.

DO'mine, audíui audítum tuum, & tímui, cōſideráui ópera tua, & expáui. ℣. In médio duórum animálium innoteſcéris, dum appropinquáuerint anni cognoſcéris, dum aduénerit tempus oſtendéris. ℣. In eo dum conturbáta fúerit ánima mea, in ira miſericórdiæ memor eris. ℣. Deus à Líbano véniet, & ſanctus de monte vmbróſo, & condénſo. ℣. Opéruit cælos maiéſtas eius: & laudis eius plena eſt terra.

Sequitur collecta ſine Dóminus vobíſcum. & ſine. Flectámus génua. ſed tantū dicitur

Orémus.

DEus, à quo & Iúdas reátus ſui pœnam, & confeſſiónis ſuæ latro præmium ſúmpſit⁏ concéde nobis tuæ propitiatiónis effectum: vt ſicut in paſſióne ſua Iéſus Chriſtus Dóminus noſter diuérſa vtríſq; íntulit ſtipéndia meritórum ⁏ ita nobis abláto vetuſtátis erróre, reſurrectiónis ſuæ grátiam largiátur. Qui tecum viuit.

Lectio ij. Exod. cap. 12.

DIxit Dóminus ad Móyſen, & Aáron in terra Ægýpti. Menſis iſte vobis princípium ménſium: primus erit in ménſibus anni. Loquímini ad vniuérſum cœtum filiórum Iſráel: & dícite eis. Décima die menſis huius: tollat vnuſquíſque agnū per famílias & domos ſuas. Sin autē minor eſt númerus vt ſufficere poſſit ad veſcéndum agnum⁏ aſſúmet vicínum ſuum, qui iunctus eſt dómui eius: iuxta númerū animárum, quæ ſufficere poſſunt ad eſum agni. Erit autē agnus abſque mácula: máſculus, annículus. Iuxta quem ritū tollétis & hœdum: & ſeruábitis eum, vſque ad quartā décimam diem mēſis huius. Immolabítque eum omnis multitúdo filiórum Iſráel ad véſperum: & ſument de ſánguine, ac ponent ſuper vtrúnque poſtem⁏ & in ſuperlimináribus domórum, in quibus cómedent illū. Et edent carnes nocte illa aſſas igni: & ázymos panes, cum lactúcis agréſtibus. Non comedétis ex eo crudum quid, nec coctum aqua: ſed aſſum tātum igni. Caput cum pédibus eius, & inteſtínis vorábitis: nec remanébit ex eo quicquam vſque mane. Si quid reſídui fúerit: igne cōburétis. Sic autem comedétis illum. Renes veſtros accingétis⁏ calceaménta habébitis in pédibus: tenéntes báculos in mánibus⁏ & comedétis feſtinántes. Eſt

enim phasè(id eſt tránſitus)Dómini.

Tractus.

ERipe me Dómine, ab hómine malo: à viro iníquo líbera me. ℣. Qui cogitauérunt malítias in corde, tota die conſtituébant prælia. ℣. Acuérũt linguas ſuas ſicut ſerpéntes: venénum áſpidum ſub lábiis eórum. ℣. Cuſtódi me Dómine, de manu peccatóris: & ab homínibus iníquis líbera me. ℣. Qui cogitauérunt ſupplantáre greſſus meos, abſcondérunt ſupérbi láqueos mihi. ℣. Et funes extendérunt in láqueum pédibus meis: iuxta iter ſcándalum poſuérunt mihi. ℣. Dixi Dómino, Deus meus es tu, exaúdi Dómine vocem orationis meæ.

℣. Dómine, Dómine, virtus ſalútis meæ: obúmbra caput meum in die belli.

℣. Ne tradas me à deſidério meo peccatóri: cogitauérunt aduérſum me, ne derelínquas me, ne vnquam exalténtur. ℣. Caput circúitus eórum: labor labiórũ ipſórum opériet eos. ℣. Verúntamen iuſti confitebúntur nómini tuo: & habitábunt recti cum vultu tuo. Hic neque Dóminus vobíſcum. neque Glória tibi Dómine. dicitur, ſed tantum præmittitur.

PASSIO DOMINI NOSTRI Iéſu Chriſti, ſecúndum Ioánnem. Cap. 18.

IN illo témpore. Egréſſus eſt Iéſus cum diſcípulis ſuis trans torréntem Cedron vbi erat hortus: in quem introíuit ipſe, & diſcípuli eius. Sciébat autem & Iúdas, qui tradébat eũ, locum: quia frequénter Iéſus conuénerat illuc, cum diſcípulis ſuis. Iúdas ergo cum accepíſſet cohórtem, & à Pontifícibus, & Phariſǽis miniſtros: venit illuc cum latérnis, & fácibus, & armis. Iéſus itaque ſciens ómnia, quæ ventúra erant ſuper eum: procéſſit, & dixit eis. Quem quǽritis? Reſpondérunt ei. Iéſum Nazarénum. Dicit eis Iéſus. Ego ſum. Stabat autem & Iúdas, qui tradébat eum, cum ipſis. Vt ergò dixit eis, ego ſum: abiétunt retrórſum, & cecidérunt in terram. I'terum ergo eos interrògáuit. Quẽ quǽritis? Illi autem dixérunt. Iéſum Nazarénum. Reſpóndit Iéſus. Dixi vobis: quia ego ſum. Si ergo me quǽritis: ſinite hos abíre. Vt impleretur ſermo, quem dixit: quia quos dedíſti mihi, nõ pérdidi ex eis quemquam. Simon ergo Petrus habens gládium, edúxit eum: & percúſſit Pontíficis ſeruum, & abſcídit aurículam eius dextram. Erat autem nomen ſeruo Malchus. Dixit ergo Iéſus Petro. Mitte gládium in vaginã. Cálicem, quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum? Cohors ergo, & Tribúnus, & miníſtri Iudæórum comprehendérunt Iéſum: & ligauérunt eum, & adduxérũt eum ad Annam primũ. Erat enim ſocer Cáiphæ: qui erat Póntifex anni illíus. Erat autem Cáiphas, qui conſílium déderat Iudǽis: quia éxpedit vnum hóminem mori pro pópulo. Sequebátur autẽ illum Simon Petrus: & álius diſcípulus. Diſcípulus autem ille erat notus Pontífici: & introíuit cum Iéſu in átrium Pontíficis. Petrus autem: ſtabat ad óſtium foris. Exíuit ergo diſcípulus álius, qui erat notus pontífici: & dixit oſtiáriæ, & introdúxit Petrum. Dicit ergo Petto ancílla oſtiária. Nunquid & tu ex diſcípulis es hóminis íſtius? Dicit ille. Nõ ſum. Stabant autem ſerui & miníſtri ad prunas, quia ftigus erat: & calefaciébant ſe. Erat autem cum eis & Petrus ſtans: & calefáciens ſe. Póntifex ergo interrogáuit Iéſum de diſcípulis ſuis & de doctrína eius. Reſpóndit ei Iéſus. Ego palam locútus ſum mundo. Ego ſempet dócui in Synagóga, & in templo quò omnes Iudǽi conuéniunt: & in occúlto locú-

tus ſum nihil. Quid me intérrogas? Intérroga eos, qui audiérunt: quid locútus ſum ipſis. Ecce hi ſciũt: quæ díxerim ego. Hæc autem cum dixíſſet: vnus aſsíſtens miniſtrórum dedit álapam Iéſu, dicens. Sic reſpóndes Pontífici? Reſpón dit ei Iéſus. Si malè locútus ſum: teſtimónium pérhibe de malo. Si autem benè: quid me cædis? Et miſit eum Annas ligátum ad Cáipham Pontíficem. Erat autẽ Simon Petrus ſtans: & calefáciens ſe. Dixérunt ergo ei. Nunquid & tu ex diſcípulis eius es? Negáuit ille, & dixit. Non ſum. Dixit vnus ex ſeruis Pontíficis, cognátus eius cuius abſcíderat Petrus auriculam. Nonne ego te vidi in horto cũ illo? I'terum ergo negáuit Petrus: & ſtatim gallus cantáuit. Addúcunt ergo Iéſum à Cáipha in prætórium. Erat autem mane. Et ipſi non introiérunt in prætórium, vt non contaminaréntur: ſed vt manducárent Paſcha. Exíuit ergo Pilátus ad eos foras: & dixit. Quam accuſatiónem affértis aduérſus hóminem hunc? Reſpondérunt, & dixérunt ei. Si non eſſet hic malefáctor: non tibi tradidiſſémus eum. Dixit ergo eis Pilátus. Accípite eum vos: & ſecúndum legem veſtram iudicáte eum. Dixérunt ergo ei Iudæi. Nobis non licet interfícere quemquam. Vt ſermo Iéſu impleréture, quem dixit: ſigníficans, qua morte eſſet moritúrus. Introíuit ergo íterum in prætóriũ Pilátus: & vocáuit Iéſum, & dixit ei. Tu es Rex Iudæórum? Et reſpóndit Iéſus. A temetípſo hoc dicis: an álij tibi dixérunt de me? Reſpóndit Pilátus. Nunquid ego Iudǽus ſum? Gens tua, & Pontífices: tradidérũt te mihi. Quod feciſti? Reſpóndit Iéſus. Regnum meum: non eſt de hoc mundo. Si ex hoc mundo eſſet regnũ meum: miniſtri mei vtique decertárent, vt non tráderer Iudǽis. Nunc autem: regnum meum non eſt hinc. Reſpóndit ítaque ei Pilátus. Ergo Rex es tu? Reſpóndit Iéſus. Tu dicis: quia Rex ſum ego. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum: vt teſtimónium perhíbeã veritáti. Omnis, qui eſt ex veritáte: audit vocem meam. Dicit ei Pilátus. Quid eſt véritas? Et cũ hoc dixíſſet: íterum exíuit ad Iudǽos, & dicit eis. Ego nullam inuénio in eo cauſam. Eſt autem conſuetúdo: vt vnum dimíttam vobis in Paſcha. Vultis ergo dimíttam vobis Regem Iudæórum? Clamauérunt rurſum omnes, dicéntes. Non hunc: ſed Barábbam. Erat autem Barábbas latro. Tunc ergo apprehéndit Pilátus Iéſum: & flagelláuit. Et mílites plecténtes corónam de ſpinis impoſuérunt cápiti eius: & veſte purpúrea circundedérũt eum. Cap. 19.
Et veniébant ad eũ: & dicébant. Aue Rex Iudæórum. Et dabant ei álapas. E'xiit íterum Pilátus foras: & dicit eis. Ecce addúco eum vobis foras: vt cognoſcátis, quia in eo nullam cauſam inuénio. E'xiit ergo Iéſus portans ſpíneã corónam: & purpúreum veſtiméntum. Et dicit eis. Ecce homo. Cum ergo vidíſſent eum Pontífices, & miniſtri: clamábant, dicéntes. Crucifige: crucifige eum. Dicit eis Pilátus. Accípite eum vos: & crucifígite. Ego enim non inuénio in eo cauſam. Reſpõdérunt ei Iudǽi. Nos legem habémus? & ſecúndũ legem debet mori: quia Fílium Dei ſe fecit. Cum ergo audíſſet Pilátus hunc ſermónem: magis tímuit. Et ingréſſus eſt prætórium íterum: & dixit ad Iéſum. Vnde es tu? Iéſus autẽ: reſpónſum non dedit ei, Dicit ergo ei Pilátus. Mihi non lóqueris? Neſcis, quia poteſtátem hábeo crucifígere te, & poteſtátem hábeo dimíttere te? Reſpóndit Iéſus. Non habéres poteſtátem aduérſum me vllam: niſi tibi datum eſſet déſuper. Proptérea qui trádidit me tibi: maius peccátum habet.

bet. Et exínde quærébat Pilátus dimíttere eum. Iudǽi autē clamábāt, dicéntes. Si hūc dimíttis: non es amícus Cǽſaris. Omnis qui ſe regem facit: contradícit Cǽſari. Pilátus vero cum audíſſet hos ſermónes: addúxit Iéſum foras, & ſedit pro tribunáli, in loco qui dícitur Lithóſtrotos, Hebráice autem Gábatha. Erat autem paraſcéue Paſchæ: hora quaſi ſexta. Et dicit Iudǽis. Ecce Rex veſter. Illi autem clamábant. Tolle, tolle: crucifige eum. Dicit eis Pilátus. Regem veſtrum crucifigam? Reſpondérunt Pontífices. Non habémus Regem: niſi Cǽſarem. Tunc ergo trádidit eis, illum: vt crucifigerétur. Suſcepérūt autem Iéſum: & eduxérunt. Et báiulās ſibi crucem: exíuit in eum, qui dícitur Caluáriæ locum, Hebráicè Gólgotha, vbi eum crucifixérūt. Et cum eo álios duos hinc & hinc: médium autem Iéſum. Scripſit autem & títulum Pilátus: & póſuit ſuper crucē. Erat autem ſcriptum: Iesvs Nazarénvs Rex Ivdæórvm. Hūc ergo títulum multi legérunt Iudæórum: quia prope ciuitátem erat locus vbi crucifixus eſt Iéſus. Et erat ſcriptū: Hebráicè, Græcè, & Latínè. Dicébant ergo Piláto Pontífices Iudæórum? Noli ſcríbere Rex Iudæórum: ſed quia ipſe dixit, Rex ſum Iudæórum. Reſpóndit Pilátus. Quod ſcripſi: ſcripſi. Mílites ergo cum crucifixiſſent eū: accepérunt veſtiménta eius, (& fecérunt quátuor partes, vnicuíq; míliti partem,) & túnicam. Erat autem túnica inconſútilis: déſuper contéxta per totum. Dixérunt ergo adínuicem. Non ſcindámus eā: ſed ſortiámur de illa cuius ſit. Vt ſcriptúra implerétur, dicēs. Partíti ſunt veſtiménta mea ſibi: & in veſtem meam miſérunt ſortem. Et mílites quidem hæc fecérunt. Stabāt autem iuxta crucem Iéſu mater eius? & ſoror matris eius María Cléophe: & María Magdaléne. Cum vidíſſet ergo Iéſus matrē, & diſcípulum ſtantē quem diligébat: dicit matri ſuæ. Múlier: ecce filius tuus. Deínde dicit diſcípulo. Ecce mater tua. Et ex illa hora: accépit eam diſcípulus in ſuā. Póſtea ſciens Iéſus, quia iam ómnia conſummáta ſunt: vt conſummarétur ſcriptúra, dicit. Sítio. Vas ergo pófitum erat: acéto plenum. Illi autem ſpóngiam plenā acéto hyſſópo circūponéntes: obtulérunt ori eius. Cum ergo accepíſſet Iéſus acétum: dixit. Conſummátum eſt. Et inclináto cápite: trádidit ſpíritum.

✠ *Hic proſternitur & pauſatur.* Iudǽi ergo, quóniā paraſcéue erat, vt non remanérent in cruce córpora Sábbato? (erat autem magnus dies ille Sábbati:) rogauérunt Pilátum, vt frangeréntur eórum crura, & tolleréntur. Venérunt ergo mílites: & primi quidem fregérunt crura, & altérius, qui crucifixus erat cū eo. Ad Iéſum autem cum veniſſent: vt vidérunt eum iam mórtuum, non fregérunt eius crura, ſed vnus mílitum láncea latus eius apéruit, & contínuò exíuit ſanguis & aqua. Et qui vidit, teſtimónium perhíbuit: & verum eſt teſtimónium eius. Et ille ſcit, quia vera dicit: vt & vos credátis. Facta ſunt enim hæc: vt ſcriptúra implerétur. Os non comminuétis ex eo. Et íterum alia ſcriptúra dicit. Vidébunt in quem transfixérunt. Poſt hæc autem rogáuit Pilátum Ióſeph ab Arimathía (eo quòd eſſet diſcípulus Iéſu, occúltus autem propter metum Iudæórum:) vt tólleret córpus Iéſu. Et permíſit Pilátus. Venit ergo: & tulit corpus Iéſu. Venit autem & Nicodémus, qui vénerat ad Iéſum nocte primùm: ferens mixtúram myrrhæ & áloës, quaſi libras centum. Accepérunt ergo corpus Iéſu: & ligauérunt illud línteis cum aromátibus, ſicut mos eſt Iudǽis ſepelíre.

Digitized by Google

Erat autem in loco vbi crucifixus eſt hortus: & in horto monuméntum nouum, in quo nondum quiſquam póſitus fúerat. Ibi ergo propter paraſcéuen Iudæórum: quia iuxta erat erat monuméntũ: poſuérunt Iéſum.

Orationes ſolemnes.

Orémus dilectiſſimi nobis pro Eccléſia ſancta Dei: vt eã Deus & Dóminus noſter pacificáre, & cuſtodíre dignétur toto orbe terrarũ, ſubiíciens ei principátus, & poteſtátes: detque nobis quiétam & tranquíllam vitam degéntibus, glorificáre Deum Patrem omnipoténtem. Orémus. Flectámus génua: Leuáte.

Omnípotens ſempitérne Deus, qui glóriam tuam ómnibus in Chriſto Géntibus reueláſti: cuſtódi ópera miſericórdiæ tuæ: vt Eccléſia toto orbe diffúſa, ſtábili fide in confeſſióne tui nóminis perſeuéret. Per eúndem Dóminum.

Orémus & pro beatiſſimo Papa noſtro: N. vt De' & Dóminus noſter, qui elégit eũ in órdine Epiſcopátus, ſaluum atque incólumem cuſtódiat Eccléſiæ ſuæ ſanctæ, ad regéndum pópulum ſanctum Dei. Orémus. Flectámus génua: Leuáte.

Omnípotens ſempitérne Deus, cuius iudício vniuérſa fundántur: réſpice propítius ad preces noſtras, & eléctum nobis Antiſtitem tua pietáte conſérua: vt Chriſtiána plebs, quæ te gubernátur authóre: ſub tanto Pontífice, credulitátis ſuæ méritis augeátur. Per eúndem.

Orémus & pro ómnibus Epíſcopis: Presbýteris: Diacónibus: Subdiacónibus: Acólythis: Exorciſtis Lectóribus: Oſtiáriis: Confeſſóribus: Virgínibus: Víduis: & pro omni pópulo ſãcto Dei. Orémus. Flectámus génua: Leuáte.

Omnípotens ſempitérne Deus, cuius Spíritu totũ corpus Eccléſiæ ſanctificátur & régitur: exáudi nos pro vniuérſis ordínibus ſupplicántes: vt grátiæ tuæ múnere ab ómnibus tibi grádibus fidéliter ſeruiátur. Per. eiúſdem.

Orémus & pro Chriſtianiſſimo Rege noſtro: vt Deus & Dóminus noſter ſúbditas illi fáciat omnes bárbaras natiónes, ad noſtram perpétuam pacem. Orémus. Flectámus génua: Leuáte.

Omnípotens ſempitérne Deus, in cuius manu ſunt ómniũ poteſtátes, & ómnia iura regnórum: réſpice ad Románum benígnus impérium: vt Gentes, que in ſua feritáte confídunt: poténtiæ tuæ déxtera comprimántur. Per.

Orémus & pro cathecúmenis noſtris: vt Deus & Dóminus noſter adapériat aures præcordiórũ ipſórum, ianuámque miſericórdiæ: vt per lauácrum regeneratiónis, accépta remiſſióne ómnium peccatórum, & ipſi inueniántur in Chriſto Iéſu Dómino noſtro. Orémus. Flectámus génua: Léuate.

Omnípotens ſempitérne Deus, qui Eccléſiam tuam noua ſemper prole fœcúndas: auge fidem & intelléctum cathecúmenis noſtris: vt renáti fonte baptiſmatis: adoptiónis tuæ filiis aggregéntur. Per.

Orémus dilectiſſimi nobis Deũ Patrem omnipoténtẽ: vt cunctis mũdum purget erróribus: morbos áuferat: famem depéllat: apériat cárceres: víncula diſſóluat: peregrinántibus réditum: infirmántibus ſanitátẽ: nauigántibus portum ſalútis indúlgeat. Orémus. Flectámus génua: Leuáte.

Omnípotens ſempitérne Deus, mœſtórum conſolátio: laborántium fortitúdo: peruéniant ad te preces de quacúnque tribulatióne clamántium: vt omnes ſibi in neceſſitátibus ſuis miſericórdiã tuam gáudeant affuiſſe. Per.

ORémus & pro hæréticis, & ſchiſmáticis, vt Deus ac Dóminus noſter éruat eos ab erróribꝰ vniuérſis: & ad ſanctam matrẽ Eccléſiam Cathólicam, atque Apoſtólicam reuocáre dignétur.

Orémus. Flectámus génua: Leuáte.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui ſaluas omnes, & néminem vis períre: réſpice ad ánimas diabólica fraude decéptas: vt omni hærética prauitáte depóſita, errántium corda reſipíſcant: & ad veritátis tuæ rédeant vnitátem. Per Dóminum.

ORémus & pro pérfidis Iudæis: vt Deus & Dóminus noſter aúferat velámen de córdibus eórum: vt & ipſi agnóſcant Chriſtum Ieſum Dóminum noſtrum: Hic non dicitur Flectámus génua. ſed Orémus.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui étiam Iudáicam perfídiam à tua miſericórdia non repéllis: exáudi preces noſtras, quas pro illíus pópuli obcæcatióne deférimꝰ: vt agníta veritátis tuæ luce, quæ Chriſtus eſt, à ſuis ténebris eruántur. Per eún.

ORémus & pro pagánis: vt Deus omnípotens aúferat iniquitátem à córdibus eórum: & relíctis Idólis ſuis conuertántur ad Deum viuum, & verum, & vnicum Filium eius Ieſum Chriſtum Deum & Dóminum noſtrum.

Orémus. Flectámus génua: Leuáte.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui non mortem peccatórum ſed vitã ſemper inquíris: ſúſcipe propítius oratiónem noſtram: & líbera eos ab idolórum cultúra: & ággrega Eccléſiæ tuæ ſanctæ ad laudem & glóriam nóminis ſancti tui. Per Dóminum noſtrum.

Tunc Sacerdos & miniſtri ab altari diſcedant: & in veſtiario, præter albas, omnibus depoſitis, ſic veniant in chorum ad adorandam crucem. Perlecta igitur Paſſione orationibúſque dictis ſolemnibus duo Sacerdotes abſque ſtolis, & manipulis inferant crucem inuolutam in locum quo adoranda eſt, eámque ſtatim adorent. Dehinc applicent ſe ad eam hinc, & inde poſitis genibus in terra. Sicque tenentes eam vtraque parte dicant. Pópule meus quid feci tibi, aut in quo contriſtáui te: Reſpónde mihi. Quia edúxi te de terra Ægýpti: paráſti crucem Saluatóri tuo.

Alij autem duo fratres ſtantes ante gradum dicant. Agios ò theos. ibi flectunt genua. Agios íſchyros. Agios athánatos eléiſon ymas. Chorus. Sanctus Deus. ibi flectunt genua. Sanctus fortis: ſanctus immortális, miſerére nobis. Iterum Sacerdotes. Quia ego edúxi te per deſértum quadragínta annis: & manna cibáui te, & introdúxi in terram ſatis bonam, paráſti crucem Saluatóri tuo.

Duo fratres. Agios. Chorus. Sanctus.

Sacerdotes. Quid vltra débui fácere tibi, & non feci: ego quippe plantáui te víneam meam ſpecioſíſſimam: & tu facta es mihi nimis amára: acéto namque mixto cum felle ſitim meam potáſti: & láncea perforáſti latus Saluatóri tuo. Duo fratres Agios. Chorus. Sanctus.

Hic diſcooperiatur crux à Sacerdotibus dicentibus. Ecce lignum. Qua diſcooperta mox omnes petant veniam contra altare. Antiphona. Ecce lignũ crucis in quo ſalus mundi pepéndit: Veníte adorémus.

Pſalmus. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini. Hymnus.

CRux fidélis inter omnes arbor vna nóbilis: nulla ſilua talem profert frõde flore gérmine: dulce lignum, dulces clauos dulce pondus ſuſtinens.

℣ſus. Pange lingua glorióſi prælium certáminis: & ſuper crucis trophæum, dic triúmphum nóbilem: quáliter redémptor orbis immolátus vícerit. ℣. De paréntis protopláſti fraude factor cóndolens: quando pomi noxiális morſu in mortẽ córruit, ipſe lignũ tunc notáuit: damna ligni vt ſólueret.

℣ſus. Hoc opus noſtræ ſalútis ordo depo-

póſcerat: multifórmis proditóris ars vt artem fálleret: & medélam ferret inde, hoſtis vnde læſerat. ℣. Quando venit ergo ſacri plenitúdo témporis, miſſus eſt ab arce Patris natus orbis cónditor: atque ventre virgináli caró factus pródiit.

℣. Vagit infans inter arcta cónditus præſépia: membra pannis inuolúta virgo mater álligat: & manus, pedéſque, & crura ſtricta cingēs fáſcia. ℣. Luſtra ſex qui iam perácta, tempus implens córporis: ſe volénte natus ad hoc, paſſióni déditus: agnus in crucis leuátur immolándus ſtípite. ℣. Hic acétum, fel, arúndo, ſputa, claui, láncea: mite corpus perforátur ſanguis vnda prófluit: terra, pontus, aſtra, mundus, quo lauántur flúmine. ℣ Flecte ramos arbor alta tenſa laxa víſcera: & rigor lentéſcat ille, quem dedit natíuitas: vt ſupérni membra Regis miti tendas ſtípite. ℣. Sola digna tu fuíſti ferre ſæcli prétium atque portum præparáre nauta mundo naúfrago: quem ſacer cruor perúnxit, fuſus agni córpore. ℣. Glória & honor Deo vſquequo Altíſſimo: vnà Patri, Filióque, ínclyto Paracléto: cui laus eſt, & potéſtas, per ætérna ſæcula. Amen.

Poſt hæc omnia eleuantes crucem qui tenent illam reſtiruant eam in locum ſuum dicendo. Antiphōna. **Super ómnia ligna cedrórum crux ſola excélſior, in qua vita mundi pepéndit: in qua Chriſtus triumphá. uit: & mors mortem ſuperáuit.**

Poſt hæc ſacerdos & miniſtri reſumentes quæ depoſuerant in veſtiario, ad altare nudis pedibus redeant, & orationem ſolitam faciant, & confeſſionem dicant: quo facto diaconus corporale ſuper altare ponat. Et Sacerdos corpus Dominicum cum vaſculo, in quo eſt ad altare deferens, iuxta corporale ponat: & cum diaconus calicem cum aqua mixto ſacerdoti oblatum ſuper altare vti ad miſſam ſolitum eſt, ordinauerit: ipſe ſacerdos, incenſo prius adhibito, deinde aperto vaſculo, digitos ſuos lauet: & extractam de vaſculo ſanctam communionem ſuper corporale ponat: & tunc nec corpore Domini, nec calice leuato, mediocri voce dicat. Orémus.

Præcéptis ſalutáribus móniti, &c.

Líbera nos quæſumus Dómine.

Illoque dicente. Per eúndem Dóminū noſtrum. & cætera: corpus domini in tres partes diuidat ac poſtea. Per ómnia ſǽcula ſæculórum. ſubmiſſa voce dicat: atque cunctis reſpondentibus. Amen. ipſe vnam partem in calicem mittat nihil dicēs. Pax Dómini. nec dicetur, nec Pax dabitur, nec Agnus Dei. cantabitur.

Deinde Abbas & miniſtri communicent.

OFFICIVM IN VIGILIA Paſchæ agatur poſt nonam.

Statio ad S. Ioannem in Laterano.

BENEDICTIO IGNIS.

Dóminus vobíſcum. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

DOmine Deus Pater, lumen indeficiēs, exaudi nos: tu es cónditor ómniū lúminum: bé✠nedic Dómine, hoc lumen quod à te ſanctificátum, atque benedíctum eſt, qui illumináſti omnem mundum: vt ab eo lúmine accendámur, & illuminémur igne claritátis tuæ: & ſicut igne illumináſti Móyſen, ita illumináre corda & ſenſus noſtros dignéris: vt ad vitam & lucē ætérnam perueníre mereámur. Per Dóminum.

BENEDICTIO CEREI.

EXúltet iam angélica turba cœlórum: exúltent diuína myſtéria: & pro tāti Regis victória, tuba íntonet ſalutáris. Gaúdeat ſe tellus tantis irradiátam fulgóribus: & ætérni Regis ſplendóre luſtrátam, tótius orbis ſe ſén-

tiat amiſiſſe calíginem. Lætétur & mater Eccléſia, tanti lúminis adornáta fulgóribus: & magnis populórum vócibus hæc aula reſúltet. Quaprópter aſtántes vos, fratres chariſſimi, ad tam miram ſancti huius lúminis claritátem, vnà mecum, quæſo, Dei omnipoténtis miſericórdiam inuocáte: vt qui me non meis méritis intra Leuitárum númerum dignátus eſt aggregáre: lúminis ſui grátiam infundéndo, cérei huius laudem impléreperfíciat: Per Dóminum noſtrũ Iéſum Chriſtum Fílium ſuum: qui cũ eo viuit, & regnat in vnitáte Spiritusſancti Deus.

Per ómnia ſǽcula ſæculórũ. Amen.

Dóminus vobíſcum.

Et cum ſpíritu tuo.

Surſum corda.

Habémus ad Dóminum.

Grátias agámus Dómino Deo noſtro. Dignum & iuſtum eſt.

VEré quia dignũ, & iuſtum eſt: inuiſibilem Deum omnipoténtem Patrem, Filiúmque eius vnigénitum Dóminum noſtrum Iéſum Chriſtum toto cordis ac mentis affectu: & vocis miniſtério perſonáre. Qui pro nobis æterno Patri Adæ débitum ſoluit: & véteris piáculi cautiónem pio cruóre detérſit. Hæc ſunt enim feſta Paſchália: in quibus verus ille agnus occíditur: eiúſque ſánguine poſtes fidélium conſecrántur. In quo primùm patres noſtros filios Iſráel edúctos de Ægýpto: rubrum mare ſicco veſtígio transíre feciſti. Hæc ígitur nox eſt: quæ peccatórum ténebras, colúmnæ illuminatióne purgáuit. Hęc nox eſt: quæ hódie per vniuérſum mundum in Chriſtum credéntes à vítiis ſǽculi ſegregátos, & calígine peccatórum, reddit grátiæ, ſóciat ſanctitáti. Hæc nox eſt: in qua deſtrúctis vínculis mortis, Chriſtus ab ínferis victor aſcéndit. Nihil enim nobis naſci prófuit: niſi rédimi profuiſſet. O mira circa nos tuæ pietátis dignátio: ô ineſtimábilis diléctio charitátis: vt ſeruum redímeres, Filium tradidiſti. O certè neceſſárium Adæ peccátum: quod Chriſti morte delétum eſt. O fœlix culpa: quæ talem ac tantum méruit habére redemptórem. O verè beáta nox: quæ ſola méruit ſcire tempus & horam: in qua Chriſtus ab ínferis reſurréxit. Hæc nox eſt, de qua ſcriptum eſt: & nox vt dies illuminábitur: & nox illuminátio mea in delíciis meis. Huius ígitur ſanctificátio noctis fugat ſcélera: culpas lauat: & reddit innocéntiam lapſis: mœſtis lætítiam. Fugat ódia: concórdiam parat: & curuat impéria. In huius ígitur noctis grátia ſúſcipe *Hic immittitur incenſum à cantore cereo,* Sancte Pater incénſi huius ſacrificium veſpertínum: quod tibi in hac cérei oblatióne ſolénni per miniſtrórum manus de opéribus apum ſacroſáncta reddit Eccléſia. Sed iam colúmnæ huius præcónia nóuimus: quam in honórem Dei rútilans (*Hic accenditur cereus à Diacono*) ignis accéndit. Qui licet diuiſus in partes: mutuáti lúminis detriménta non nouit. Alitur enim liquántibus ceris: quas in ſubſtántiam pretióſæ huius lámpadis apis mater edúxit. O verè beáta nox: quæ expoliáuit Ægýptios: ditáuit Hebræos. Nox in qua terrénis cœléſtia: humánis diuína iungúntur. Orámus te Dómine: vt céreus iſte in honórem nóminis tui conſecrátus: ad noctis huius calíginem deſtruéndam indeficiens perſeuéret: & in odórem ſuauitátis accéptus: ſupérnis lumináribus miſceátur. Flammas eius Lúcifer matutinus inuéniat. Ille inquam Lúcifer: qui neſcit occáſum. Ille qui regréſſus ab ínferis humáno géneri ſerénus illúxit.

que réptili, quod mòuétur in terra. Et creáuit Deus hóminem ad imáginem, & ſimilitúdinem ſuam: ad imáginem Dei creáuit illum: máſculum & fœminam creáuit eos. Benedixítque illis Deus: & ait. Créſcite, & multiplicámini, & repléte terram, & ſubiícite eam: & dominámini píſcibus maris, & volatílibus cœli, & vniuérſis animántibus, quæ mouéntur ſuper terram. Dixítque Deus. Ecce dedi vobis omnem herbam afferéntem ſemẽ ſuper terram: & vniuérſa ligna, quæ habent in ſemetípſis seméntem géneris ſui: vt ſint vobis in eſcam, & cunctis animántibus terræ: omníque vólucri cœli & vniuérſis, quæ mouéntur in terra: & in quibus eſt ánima viuens: vt hábeant ad veſcéndum. Et factum eſt ita. Vidítque Deus cuncta quæ fecit: & erant valde bona. Et factum eſt véſpere & mane: dies ſextus. Igitur perfécti ſunt cœli & terra: & omnis ornátus eórum. Compleuítque Deus die ſéptimo opus ſuum, quod fécerat: & requiéuit die ſéptimo ab vniuérſo ópere, quod patrárat.

Lectione finita ſequitur collecta dicenda ſine **Dóminus vobíſcum.** ſed dicitur

O rémus.

DEus qui mirabíliter creáſti hóminem, & mirabílius redemíſti: da nobis, quǽſumus, contra oblectaménta peccáti, mentis ratióne perſíſtere: vt mereámur ad gáudia ætérna perueníre. Per Dóminũ noſtrum Ieſum Chriſtum.

Léctio ſecúnda. Exo. cap. 14.

FActum eſt in vigília matutína: & ecce reſpíciens Dóminus ſuper caſtra Ægyptiórum per colúmnam ignis & nubis: interfécit exércitum eórum: & ſubuértit rotas cúrruum: ferebantúrque in profúndum. Dixérunt ergo Ægýptij. Fugiámus Iſraẽlẽ: Dóminus enim pugnat pro eis contra nos. Et ait Dóminus ad Móyſen. Exténde manum tuam ſuper mare: vt reuertántur aquæ ad Ægýptios: ſuper currus, & équites eórum. Cumque extendíſſet Móyſes manum contra mare: reuérſum eſt primo dilúculo ad prióꝛem locum. Fugientibúſque Ægýptiis occurrérunt aquæ: & inuóluit eos Dóminus in médiis flúctibus. Reuerſǽque ſunt aquæ: & operuérunt currus & équites cuncti exércitus Pharaónis, qui ſequéntes ingréſſi fúerãt mare: nec vnus quidem ſupérfuit ex eis. Filij autẽ Iſráel perrexérunt per médium ſicci maris: & aquæ eis erant, quaſi pro muro, à dextris, & à ſiniſtris. Liberauítque Dóminus in die illa Iſraélem de manu Ægyptiórum: & vidérunt Ægýptios mórtuos ſuper littus maris: & manum magnam, quam exercúerat Dóminus contra eos. Timuítque pópulus Dóminum: & credidérunt Dómino, & Móyſi ſeruo eius. Tunc cécinit Móyſes & filij Iſráel carmen hoc Dómino: & dixérunt.

Tractus.

CAntémus Dómino, glorióſè enim honorificátus eſt: equum & aſcenſórem proiécit in mare: adiútor & protéctor factus eſt mihi in ſalútem. ℣ Hic Deus meus, & honorábo eum: Deus patris mei, & exaltábo eum. ℣ Dóminus cónterens bella: Dóminus nomen eſt illi.

O rémus.

DEus cuius antíqua mirácula in præſénti quoque ſǽculo coruſcáre ſentímus: præſta, quǽſumus: vt ſicut priórem pópulum ab Ægýptiis liberáſti: hoc ad ſalútem Géntiũ per aquas baptíſmatis operéris. Per Dóminum noſtrum Ieſum Chriſtum Fílium.

Léctio tertia. Iſa. cap. 4.

APprehéndent ſeptem mulíeres virum vnum in die illa: dicéntes. Panem noſtrum comedémus: &

veſtiméntis noſtris operiémur? tantúmmodo inuocétur nomen tuum ſuper nos: aufer oppróbrium noſtrum. In die illa erit germen Dómini in magnificéntia, & glória? & fructus terræ ſublímis: & exaltátio his qui ſaluáti fúerint de Iſráel. Et erit omnis qui relíctus fúerit in Sion, & resíduus in Ierúſalem, ſanctus vocábitur: omnis qui ſcriptus eſt in vita in Ierúſalem. Si ablúerit Dóminus ſordem filiárum Sion, & ſánguinem Ierúſalem láuerit de médio eius: ſpíritu iudícij, & ſpíritu ardóris. Et creáuit Dóminus ſuper omnem locum montis Sion, & vbi inuocátus eſt, nubem per diem: & fumum, & ſplendórem ignis flammántis in nocte. Super omnem enim glóriam protéctio? & tabernáculum erit in vmbráculum diéi ab æſtu: & in ſecuritátem, & abſconſiónem à turbine, & à plúuia.

Tractus.

VI'nea facta eſt diléꝺto in cornu in loco vberi. ℣. Et macériam circúndedit, & circunfódit, & plantáuit víneam Soreth, & ædificáuit turrim in médio eius.

℣. Et torculár fodit in ea: vínea enim Dómini ſabáoth domus Iſráel eſt.

Orémus.

DEus, qui nos ad celebrándum Paſchále ſacraméntum vtriúſque teſtaménti páginis ínſtruis? da nobis intellígere miſericórdiam tuam: vt ex perceptióne præſéntium múnerum? firma ſit expectátio futurórum. Per Dóminum noſtrum Iéſum Chriſtum Fílium tuum.

Léctio quarta. Iſa. cap. 54. & 55.

HÆc hæréditas ſeruórum Dómini: & iuſtítia eórum apud me dicit Dóminus. Omnes ſitiéntes veníte ad aquas: & qui non habétis argéntum, properáte, émite, & comédite. Veníte, émite abſque argénto: & abſque vlla commutatióne vinum, & lac. Quare appénditis argéntum non in pánibus? & labórem veſtrum non in ſaturitáte? Audíte audiéntes me, & comédite bonum: & delectábitur in craſſitúdine ánima veſtra. Inclináte aurem veſtram, & veníte ad me: audíte, & viuet ánima veſtra. Et fériã vobíſcum pactũ ſempitérnum: miſericórdias Dauid fidélis. Ecce teſtẽ pópulis dedi eum: ducem ac præceptórem Géntibus. Ecce Gẽtem quàm neſciébas, vocábis? & Gentes, quæ non cognouérunt te, ad te current: propter Dóminum Deum tuum, & Sanctum Iſráel, quia glorificábit te. Quǽrite Dóminum dum inueníri poteſt: inuocáte eum dum propè eſt. Derelínquat ímpius viam ſuam: & vir iníquus cogitatiónes ſuas? & reuertátur ad Dóminum, & miſerébitur eius: & ad Deum noſtrum, quóniam multus eſt ad ignoſcéndum. Non enim cogitatiónes meæ, cogitatiónes veſtræ? neque viæ meæ, viæ veſtræ, dicit Dóminus: quia ſicut exaltántur cæli à terra, ſic exaltátæ ſunt viæ meæ à viis veſtris? & cogitatiónes meæ à cogitatiónibus veſtris. Et quómodo deſcéndit imber, & nix de cælo, & illuc vltra non reuértitur? ſed inébriat terram, & infúndit eam: & germináre eam facit? & dat ſemen feréntı, & panem comedénti: ſic erit verbũ meum, quod egrediétur de ore meo. Non reuertétur ad me vácuum? ſed fáciet quæcúnque vólui: & proſperábitur in his, ad quæ miſi illud. Dicit Dóminus, omnípotens. Orémus.

DEus, qui Eccléſiam tuam noua ſemper Géntium vocatióne multíplicas? concéde propítius: vt quos aqua baptíſmatis ábluis? continua protectióne tueáris. Per Dóminum noſtrum Iéſum Chriſtum.

Tractus.

SIcut ceruus deſíderat ad fontes aquárum: ita deſíderat ánima mea ad te Deus. ℣. Sitiuit ánima mea ad Deum vi-

uum: quando véniam, & apparebo ante fáciem Dei mei. ℣. Fuérunt mihi láchrymæ meæ panes die, ac nocte: dum dícitur mihi per síngulos dies, vbi eſt Deus tuus.

Orémus.

CONcéde, quæſumus, omnípotens Deus: vt qui paſchália feſta ágimus? cœléſtibus deſidériis accénſi, fontem vitæ ſitiámus. Per Dóminum noſtrum.

Sequitur litania, quam require in fine libri huius. Et Sacerdos in veſtiario caſulam tantum deponens, in chorum veniat. Et ſacerdos reſumpta caſula circa finem litaniç: dum chorus incipit Kýrie eléiſon. cum miniſtris ad altare procedat, orationem & confeſſionem faciat, & ſic finito vltimo Kýrie eléiſon. intonet Glória in excélſis. eoque finito dicat. Dóminus vobíſcum.

Orémus.

DEus, qui hãc ſacratíſſimam noctem glória domínicæ reſurrectiónis illúſtras? conſérua in noua famíliæ tuæ progénie adoptiónis Spíritum, quem dediſti: vt córpore & mente renouáti? puram tibi exhíbeant ſeruitútem. Per eúndem. in vnitáte eiúſdem.

Ad Coloſſénſes. Cap. 3.

FRatres: Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quǽrite: vbi Chriſtus eſt in déxtera Dei ſedens. Quæ ſurſum ſunt ſápite: non quæ ſuper terram. Mórtui enim eſtis: & vita veſtra abſcóndita eſt cum Chriſto in Deo. Cum enim Chriſtus appáruérit vita veſtra: tunc & vos apparébitis: cum ipſo in glória. Allelúia.

℣. Confitémini Dómino, quóniam bonus: quóniam in ſæculum miſericórdia eius.

Tractus.

LAndáte Dóminum omnes Gentes: & collaudáte eum omnes pópuli.

℣. Quóniam confirmáta eſt ſuper nos miſericórdia eius: & véritas Dómini manet in ætérnum.

Secúndum Matthǽum. Cap. 28.

IN illo témpore: Véſpere autem Sábbati, quæ lucéſcit in prima Sábbati: venit María Magdaléne, & áltera María vidére ſepúlchrum. Et ecce terræmótus: factus eſt magnus. A'ngelus enim Dómini deſcéndit de cælo: & accédens reuóluit lápidem, & ſedébat ſuper eum. Erat autem aſpéctus eius ſicut fulgur: & veſtiménta eius ſicut nix. Præ timóre autem eius extérriti ſunt cuſtódes: & facti ſunt velut mórtui. Reſpóndens autem A'ngelus: dixit muliéribus. Nolíte timére vos. Scio enim: quòd Ieſum, qui crucifixus eſt, quǽritis. Non eſt hic. Surréxit enim: ſicut dixit. Veníte, & vidéte locum: vbi pόſitus erat Dóminus. Et citò eúntes dícite diſcípulis eius, quia ſurréxit: & ecce præcédit vos in Galilǽam. Ibi eum vidébitis: ecce prædíxi vobis. Non dicitur Credo.

Secreta.

SVſcipe, Dómine, quǽſumus, preces pópuli tui cum oblatiónibus hoſtiárum, vt Paſchálibus initiáta myſtériis, ad æternitátis nobis medélam, te operánte, proficiant. Per Dóminum.

Præfatio. Te quidem Dómine omni témpore, &c.

Intra actionem. Communicántes & noctem ſacratíſſimam.

Hanc ígitur oblatiónem quære in pag. 181. Pax Dómini. dicitur ſed non Agnus Dei.

Poſtcommunio.

SPíritum nobis, Dómine, tuæ charitátis infúnde: vt quos ſacraméntis Paſchálibus ſatiáſti? tua fácias pietáte concórdes. Per. eiúſdem Spíritus ſancti Deus.



CHRISTI DE MORTE TRIVMPHVS. I Mesager ex.

IN DIE SANCTO PASCHÆ.

Statio ad S. Mariam ad præſepe.

Introitus.

REſurréxi, & adhuc tecum ſum, allelúia, poſuíſti ſuper me manum tuam, allelúia: mirábilis facta eſt ſciéntia tua, allelúia, allelúia.

Pſalmus. Dómine probáſti me, & cognouíſti me: tu cognouíſti ſeſſiónem meam, & reſurrectiónem meam.

Collecta.

DEus, qui (hodiérna die) per vnigénitum tuum æternitátis nobis áditum deuícta morte reſeráſti: vota noſtra, quæ præueniéndo aſpíras? étiam adiuuándo proſéquere. Per eúndem.

Ad Corinthios. 1. Cap. 5.

FRatres: Expurgáte vetus ferméntum: vt ſitis noua conſpérſio, ſicut eſtis ázymi. E'tenim Paſcha noſtrum: immolátus eſt Chriſtus. I'taque epulémur non in ferménto véteri, neque in ferménto malítiæ, & nequítiæ: ſed in ázymis ſinceritátis: & veritátis.

℞. Hæc dies, quam fecit Dóminus, exultémus, & lætémur in ea. ℣. Confitémini Dómino, quóniam bonus: quóniam in ſæculum miſericórdia eius.

Allelúia. ℣. Paſcha noſtrum immolátus eſt Chriſtus, epulémur in ázymis ſinceritátis, & veritátis. Allelúia.

Secúndum Marcum. Cap. 16.

IN illo témpore: María Magdaléne, & María Iacóbi & Sálome, eméruntarómata: vt veniéntes vngerent Iéſum. Et valde mane vn[a] Sabbatórum véniunt ad monumé[n]tum: orto iam ſole. Et dicébant a[d] ínuicem. Quis reuóluet nobis lápidem ab óſtio monuménti? Et reſpiciéntes: vidérunt reuolútum lápidem. Erat quippe: magnus vald[e]. Et introeúntes in monuméntum vidérunt iúuenem ſedéntem in dextris coopértum ſtola cándida, & obſtupuérunt. Qui dicit illis. Nolít[e] expauéſcere. Iéſum quǽritis Nazarénum: crucifíxum. Surréxit: no[n] eſt hîc. Ecce locus: vbi poſuéru[n]t eum. Sed ite, dícite diſcípulis eius & Petro: quia præcédit vos in Galilǽam. Ibi eum vidébitis: ſicut dixi[t] vobis. Credo.

Offertorium. Terra trémuit, & quiéuit, dum reſúrgeret in iudícium Deus, allelúia.

Secreta.

SV'ſcipe Dómine, quǽſumus, preces pópuli tui cum oblatiónibus hoſtiárum, vt Paſchálibus initiáta myſtériis: ad æternitátis nobis medélam, te operánte, profíciant. Per.

Præfatio. Te quidem Dómine omni témpore.

Infra actionem. Communicántes & diem ſacratíſſimum. & Hanc ígitur oblatiónem. vt ante Canonem.

Communio. Paſcha noſtrum immolátus eſt Chriſtus, allelúia: ítaque epulémur in ázymis ſinceritátis, & veritátis, allelúia, allelúia, allelúia.

Poſtcommunio.

SPíritum nobis, Dómine, tuæ charitátis infúnde: vt quos ſacraméntis Paſchálibus ſatiáſti? tua fácias pietáte concórdes. Per eiúſdem.

Tribus diebus ſequentibus prima Miſſa ſicut in die Paſchæ.

Digitized by Google

FERIA II. IN ALBIS.

Statio ad S. Petrum.

Introitus.

INtrodúxit vos Dóminus in terram fluéntem lac & mel, allelúia: vt & lex Dómini ſemper ſit in ore veſtro, allelúia, allelúia.

Pſalmus. Confitémini Dómino, quóniam bonus: quóniam in ſæculum miſericórdia eius.

Collecta

DEus, qui ſolemnitáte Paſcháli mundo remédia contuliſti: pópulum tuum, quæſumus, cœléſti dono proſéquere: vt & perféctam libertátem cónſequi mereátur: & ad vitam profíciat ſempitérnam. Per Dóminum.

Ad hanc Miſſam non dicitur Collecta. Deus, qui (hodiérna die.) quæ cæteris diebus Oct. dicenda eſt) nec in prima miſſa dicitur Collecta Deus qui ſolemn.

Léctio Áctuũ Apoſtolórũ. Cap. 10.

IN diébus illis: Stans Petrus in médio plebis, dixit. Viri fratres: vos ſcitis quòd factum eſt verbum per vniuérſam Iudæam, incípiens enim à Galilæa poſt baptíſmũ quod prædicáuit Ioánnes, Iéſum à Názareth, quómodo vnxit eum Deus Spíritu Sancto, & virtúte. Qui pertranſíuit benefaciéndo, & ſanándo omnes oppréſſos à diábolo: quóniam Deus erat cum illo. Et nos teſtes ſumus ómnium, quæ fecit in regióne Iudæórum, & Ierúſalem: quem occidérunt ſuſpendéntes in ligno. Hunc Deus ſuſcitáuit tértia die: & dedit eum maniféſtum fieri, non omni pópulo, ſed téſtibus præordinátis à Deo, nobis, qui manducáuimus, & bíbimus cum illo, poſtquam reſurréxit à mórtuis. Et præcépit nobis prædicáre pópulo, & teſtificári: quia ipſe eſt, qui conſtitútus eſt à Deo iudex viuórum, & mortuórum. Huic omnes Prophétæ teſtimónium pérhibent: remiſſiónem peccatórũ accípere per nomen eius: omnes qui credunt in eum.

℟. Hæc dies, quam fecit Dóminus, exultémus, & lætémur in ea. ℣. Dicat nunc Iſráel quóniam bonus, quóniam in ſæculum miſericórdia eius.

Allelúia. ℣. Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis de Iéſu, dum nobis loquerétur in via, allelúia.

Secúndum Lucam. Cap. 24.

IN illo témpore: Duo ex diſcípulis Iéſu ibant in caſtéllum, quod erat in ſpátio ſtadiórum ſexagínta ab Ierúſalem: nómine Emmaus. Et ipſi loquebántur ad ínuicem: de his ómnibus, quæ accíderãt. Et factum eſt dum fabularéntur, & ſecũ quærerent: & ipſe Iéſus appropínquans ibat cum illis. Óculi autem illórum tenebántur: ne eum agnóſcerent. Et ait ad illos. Qui ſunt hi ſermónes, quos confértis ad ínuicem, ambulántes, & eſtis triſtes? Et reſpóndens vnus, cui nomen Cléophas: dixit ei. Tu ſolus peregrínus es in Ierúſalem, & non cognouíſti quæ facta ſunt in illa, his diébus? Quibus ille dixit. Quæ? Et dixérunt. De Iéſu Nazaréno: qui fuit vir Prophéta, potens in ópere & ſermóne, coram Deo, & omni pópulo. Et quómodo eũ tradidérunt Summi Sacerdótes & Príncipes noſtri in damnatiónem mortis: & crucifixérũt eum. Nos autem ſperabámus: quia ipſe eſſet redemptúrus Iſráel. Et nunc ſuper hæc ómnia: tértia dies eſt hódie, quòd hæc facta ſunt. Sed & mulíeres quædam ex noſtris terruérunt nos: quæ ante lucem fuérunt ad monuméntum. Et non inuénto córpore eius: venérunt dicéntes, ſe étiam viſiónem Angelórum vidíſſe, qui dicunt eum víuere. Et abiérũt quidam ex noſtris ad monumén-

numéntum: & ita inuenérunt ſicut
mulíeres dixérunt, ipſum verò non
inuenérunt. Et ipſe dixit ad eos. O
ſtulti, & tardi corde ad credéndũ:
in ómnibus, quæ locúti ſunt Pro-
phétæ. Nonne hæc opórtuit pati
Chriſtum, & ita intráre in glóriam
ſuam? Et incípiens à Móyſe, & óm-
nibus Prophétis: interpretabátur il-
lis in ómnibus ſcriptúris, quæ de ipſo
erant. Et appropinquauérũt caſtéllo
quò ibãt: & ipſe ſe finxit lóngiùs ire.
Et coegérunt illum: dicéntes. Mane
nobíſcum, quóniam adueſperáſcit:
& inclináta eſt iam dies. Et intráuit
cum illis. Et factum eſt dum recúm-
beret cum ipſis: accépit panem, &
benedíxit, ac fregit, & porrigébat
illis. Et apérti ſunt óculi eórum: &
cognouérunt eum. Et ipſe euánuit
ex óculis eórum. Et dixérunt ad ín-
uicem. Nonne cor noſtrum ardens
erat in nobis dum loquerétur in via,
& aperíret nobis ſcriptúras? Et ſur-
géntes eadẽ hora regréſſi ſunt in Ie-
rúſalem: & inuenérunt congregá-
tos vndecim, & eos qui cum ipſis
erant, dicéntes, quia ſurréxit Dó-
minus verè, & appáruit Simóni. Et
ipſi narrábãt quæ geſta erant in via:
& quómodo cognouérunt eum: in
fractióne panis.

Offertorium. A ngelus Dómini deſcéndit de cœlo: & dixit muliéribus: quem quæritis, ſurréxit ſicut dixit, allelúia.

Secreta.

SV'ſcipe Dómine, quæſumus, pre-
ces pópuli tui cum oblatiónibus
hoſtiárum, vt Paſchálibus initiáta
myſtériis: ad æternitátis nobis me-
délam, te operánte, profíciant. Per
Dóminum noſtrum.

Præfatio. cum cæteris vt in die.

Communio. S urréxit Dóminus & appáruit Petro, allelúia.

Poſtcommunio.

SPíritũ nobis, Dómine, tuæ cha-
ritátis infúnde: vt quos ſacra-
méntis Paſchálibus ſatiáſti? tua fá-
cias pietáte concórdes. Per. in vn
táte eiúſdem.

FERIA TERTIA.

Statio ad S. Paulum.

Introitus.

AQua ſapiéntia
potáuit eos
allelúia: firmá
bitur in illis, &
non flectétur
allelúia: & ex
altábit eos i
ætérnum, al
lelúia, allelúia. Pſalmus C onfitémin
Dómino, quóniam bonus, quóniã in ſæcu
lum miſericórdia eius.

Collecta

DEus, qui Eccléſiam tuam no
uo ſemper fœtu multíplicas
concéde fámulis tuis: vt ſacramén
tum viuéndo téneant? quod fid
percepérunt. Per Dóminum.

Léctio Actuũ Apoſtolórum. cap. 13

IN diébus illis. Surgens Paulus, &
manu ſiléntium indícens, ait. Vi
fratres, filij géneris Abráham, & qu
in vobis timẽt Deum: vobis verbum
ſalútis huius miſſum eſt. Qui enim
hábitant Ierúſalẽ, & Príncipes eius
ignorántes Iéſum, & voces Prophe
tárum, quæ per omne Sábbatum le
gúntur, iudicántes impleuérunt. E
nullam cauſam mortis inueniénte
in eo: petiérunt à Piláto, vt interfí
cerent eum. Cumque conſummáſ
ſent ómnia, quæ de eo ſcripta eran
deponéntes eum de ligno: poſuérũ
in monuménto. Deus verò, ſuſcitá
uit eum à mórtuis. Qui viſus eſt pe
dies multos, his qui ſimul aſcénde
rant cum eo de Galilǽa in Ierúſalem
qui vſque nũc ſunt teſtes eius ad ple
bem. Et nos vobis annuntiámus cã
quæ ad patres noſtros repromíſſi
facta eſt: quóniam hanc Deus ad
impléuit fíliis noſtris: reſúſcitans Ié
ſum Chriſtum Dóminum noſtrum

℟. Hæc dies quam fecit Dóminus: exu

témus, & lætémur in ea. ℣. Dicant nunc, qui redémpti ſunt à Dómino, quos redémit de manu inimíci, de regiónibus congregáuit eos. Allelúia. ℣. Stetit Ieſus in médio diſcipulórum ſuórum: & dixit eis, Pax vobis, ego ſum, nolíte timére, allelúia.

Secundum Lucam. cap. 24.

IN illo témpore. Stetit Ieſus in médio diſcipulórum ſuórum: & dicit eis. Pax vobis. Ego ſum: nolíte timére. Conturbáti verò & contérriti: exiſtimábant ſe ſpíritum vidére. Et dixit eis. Quid turbáti eſtis, & cogitatiónes aſcéndunt in corda veſtra? Vidéte manus meas, & pedes: quia ipſe ego ſum. Palpáte, & vidéte: quia ſpíritus carnem & oſſa non habet, ſicut me vidétis habére. Et cùm hoc dixiſſet: oſténdit eis manus & pedes. Adhuc autem illis non credéntibus, & mirántibus præ gaúdio: dixit. Habétis hîc áliquid, quod mãducétur? At illi obtulérunt ei partẽ piſcis aſſi: & fauum mellis. Et cùm manducáſſet coram eis: ſumens relíquias, dedit eis, & dixit ad eos. Hæc ſunt verba, quæ locútus ſum ad vos, cùm adhuc eſſem vobíſcum: quóniã neceſſe eſt impléri ómnia, quæ ſcripta ſunt in lege Móyſi, & Prophétis, & Pſalmis de me. Tunc apéruit illis ſenſum: vt intellígerent ſcriptúras. Et dixit eis. Quóniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportébat Chriſtũ pati, & reſúrgere à mórtuis die tértia: & prædicári in nómine eius pœniténtiam, & remiſſiónem peccatórum: in omnes Gentes.

Offertorium. Intónuit de cælo Dóminus & altíſſimus dedit vocem ſuam, & apparuérũt fontes aquárum, allelúia. Secreta.

SVſcipe Dómine, fidélium preces cum oblatiónibus hoſtiárũ, vt per hæc piæ deuotiónis officia: ad cæléſtem glóriam tranſeámus. Per Dóminum noſtrum.

Præfatio & cætera vt in die.

Communio. Si conſurrexíſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, allelúia, vbi Chriſtus eſt in déxtera Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt ſápite, allelúia. Poſtcommunio.

COncéde, quæſumus, omnípotens Deus: vt Paſchális percéptio ſacraménti contínua in noſtris méntibus perſeuéret. Per Dóminũ.

FERIA QVARTA.

Statio ad S. Laurentium extra Muros.

Introitus.

VEníte benedícti Patris mei, percípite regnũ, allelúia: quod vobis parátum eſt ab orígine mundi, allelúia, allelúia, allelúia.

Pſalmus. Cantáte Dómino cánticũ nouum: quia mirabília fecit. Collecta.

DEus, qui nos reſurrectiónis Domínicæ ánnua ſolemnitáte lætíficas: concéde propítius: vt per temporália feſta, quæ ágimus: peruenire ad gaúdia ætérna mereámur. Per eúndem Dóminum.

Lectio actuum Apoſtolórum. cap. 3.

IN diébus illis. Apériens Petrus os ſuum, dixit. Viri Iſraelítæ, & qui timétis Deum: audíte. Deus Abráham, & Deus Iſaac, & Deus Iácob, Deus Patrum noſtrórum glorificáuit Filium ſuum Ieſum: quẽ vos quidem tradidíſtis, & negáſtis ante fáciẽ Piláti, iudicánte illo dimítti. Vos autem ſanctum, & iuſtum negáſtis: & petíſtis virum homicídam donári vobis. Authórem verò vitæ interfecíſtis: quem Deus ſuſcitáuit à mórtuis, cuius nos teſtes ſumus. Et nunc fratres: ſcio quia per ignorántiã fecíſtis, ſicut & Príncipes veſtri. Deus autem, qui prænũtiáuit per os ómnium Prophetárum pati Chriſtum ſuum: impléuit ſic. Pœnitémini igitur, & conuertímini: vt deleántur veſtra peccáta.

℟. Hæc dies, quam fecit Dóminus: exultémus, & lætémur in ea ℣. Déxtera Dómini fecit virtútem: déxtera Dómini exaltáuit me. Allelúia. ℣. Surréxit Dóminus, & occúrrens muliéribus, ait, auéte tunc acceſſérunt, & tenuérunt pedes eius, allelúia.

Secúndum Ioánnem. cap. 21.

IN illo témpore. Manifeſtáuit ſe íterum Iéſus diſcípulis ſuis ad mare Tiberíadis: manifeſtáuit autem ſic. Erant ſimul Simō Petrus & Thomas, qui dícitur Dídimus, & Nathanáel, qui erat à Chana Galilǽæ & filij Zebedǽi: & álij ex diſcípulis eius duo. Dicit eis Simon Petrus. Vado piſcári. Dicunt ei. Venímus & nos tecum. Et exiérunt, & aſcendérunt nauém: & illa nocte nihil prendidérunt. Mane autem iam facto, ſtetit Iéſus in líttore: non tamen cognouérunt diſcípuli, quia Iéſus eſt. Dixit ergo eis Iéſus. Púeri: nunquid pulmentárium habétis? Reſpondérunt ei. Nō. Dixit eis. Míttite in déxteram nauígij rete: & inueniétis. Miſérunt ergo: & iam non valébant illud tráhere præ multitúdine píſcium. Dicit ergo diſcípulus ille, quem diligébat Iéſus, Petro. Dóminus eſt. Simō Petrus cùm audíſſet, quia Dóminus eſt: túnica ſuccínxit ſe (erat enim nudus) & miſit ſe in mare. A'lij autem diſcípuli: nauígio venérunt. Non enim longè erant à terra: ſed quaſi cúbitis ducéntis trahéntes rete píſcium. Vt ergo deſcendérunt in terram: vidérunt prunas pófitas, & piſcem ſuperpóſitum, & panem. Dicit eis Iéſus. Afférte de píſcibus: quos prendidíſtis nunc. Aſcéndit Simon Petrus: & traxit rete in terram plenum magnis píſcibus centum quinquaginta tribus. Et cùm tanti eſſent: non eſt ſciſſum rete. Dicit eis Iéſus. Veníte: prādéte. Et nemo audébat diſcumbéntium interrogáre eum, Tu quis es: ſciéntes quia Dóminus eſt. Et venit Iéſus, & accépit panē, & dabat eis: & piſcem ſimíliter. Hoc iam tértiò manifeſtátus eſt Iéſus diſcípulis ſuis: cùm reſurrexíſſet à mórtuis.

Offertorium. Portas cœli apéruit Dóminus, & pluit illis manna, vt éderent: panem cœli dedit illis, panem Angelórum manducáuit homo, allelúia.

Secreta

SAcrifícia, Dómine, Paſchálibus gaúdiis immolámus, quibus Eccléſia tua mirabíliter & páſcitur, & nutrítur. Per Dóminum.

Præfatio cum cæteris vt in die.

Communio. Chriſtus reſúrgens ex mórtuis, iam nō móritur, allelúia, mors illi vltra non dominábitur, allelúia, allelúia.

Poſtcommunio.

AB omni nos, quǽſumus, Dómine vetuſtáte purgatos ⁊ ſacraménti tui veneránda percéptio in nouam tránsferat creatúram. Per Dóminum noſtrum.

FERIA QVINTA.

Statio ad SS. duodecim Apoſtolos.

Introitus.

VIctrícē manum tuam, Dómine, laudauérūt páriter, allelúia: quia ſapiéntia apéruit os mutum, & línguas infántiū fecit diſértas, allelúia, allelúia.

Pſalmus. Confitémini Dómino quóniam bonus: quóniam in ſæculum miſericórdia eius.

Collecta

DEus, qui diuerſitátem Géntium in cōfeſſióne tui nóminis adunáſti: da, vt renátis fonte baptíſmatis, vna ſit fides méntium ⁊ & píetas actiónum. Per Dóminum.

Hac die & deinceps fit commem. de feſtis occurrentibus & de B. Maria.

Léctio áctuum Apoſtolórū. cap. 8.

IN diébus illis. A'ngelus Dómini locútus eſt ad Philíppum, dicens. Surge, & vade contra meridiánum, ad viam, quę deſcéndit ab Ierúſalem

in Gazam : hæc eſt deſérta. Et ſurgens, ábiit. Et ecce vir Æ'thiops Eunúchus potẽs Cándacis Regínæ Æthíopum, qui erat ſuper omnes gazas eius, vénerat adoráre in Ieruſalẽ:& reuertebátur ſedens ſuper currum ſuum, legénſque Iſaíam Prophétam. Dixit autẽ Spíritus Philíppo. Accéde:& adiúnge te ad currum iſtum. Accúrrens autem Philíppus, audíuit illum legéntem Iſaíam Prophétam : & dixit. Putáſne intélligis quæ legis? Qui ait. Et quómodo poſſum, niſi áliquis oſténderit mihi? Rogauítque Philíppum : vt aſcénderet, & ſedéret ſecum. Locus autem ſcriptúræ, hic erat : quam legébat. Tanquam ouis ad occiſiónẽ ductus eſt : & ſicut agnus corã tondénte ſe, ſine voce, ſic non apéruit os ſuum. In humilitáte iudícium eius ſublátum eſt: generatiónem eius quis enarrábit? Quóniam tollétur de terra vita eius. Reſpóndens autem Eunúchus Philíppo: dixit. O'bſecro te: de quo Prophéta dicit hoc, de ſe, an de álio áliquo? Apériens autem Philíppus os ſuum, & incípiens à ſcriptúra iſta: euangelizáuit illi Iéſum. Et dum irẽt per viam : venérunt ad quandam aquam. Et ait Eunúchus. Ecce aqua. Quis próhibet me baptizári? Dixit autem Philíppus. Si credis ex toto corde: licet. Et reſpóndens, dixit. Credo Fílium Dei eſſe Iéſum. Et iuſſit ſtare currũ. Et deſcendérunt vtérque in aquam Philíppus & Eunúchus: & baptizáuit eum. Cùm autẽ aſcẽdíſſet de aqua : Spíritus Dómini rápuit Philíppum, & ámpliùs non vidit eum Eunúchus. Ibat autẽ per viam ſuam gaudens : Philíppus autem inuéntus eſt in Azóto. Et pertránſiens euangelizábat ciuitátibus cunctis donec veníret Cæſáream: nomen Dómini noſtri Iéſu Chriſti.

℣. Hæc dies, quam fecit Dóminus : exultémus & lætémur in ea. ℟. Lapidem, quem reprobauérunt ædificántes, hic factus eſt in caput ánguli, à Dómino factum eſt, & eſt mirábile in óculis noſtris.

A llelúia. Chriſtus reſúrgens ex mórtuis iam non móritur: mors illi vltra non dominábitur. Allelúia.

Secúndum Ioánnem. cap. 20.

IN illo témpore. María ſtabat ad monuméntũ foris plorans. Dum ergo fleret, inclináuit ſe, & proſpéxit in monuméntum : & vidit duos A'ngelos in albis ſedéntes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi póſitũ fúerat corpus Iéſu. Dicunt ei illi. Múlier : quid ploras? Dicit eis. Quia tulérũt Dóminum meum : & néſcio vbi poſuérunt eum. Hæc cùm dixíſſet : conuérſa eſt retrórſum. Et vidit Iéſum ſtantem : & neſciébat, quia Iéſus eſt. Dicit ei Iéſus. Múlier : quid ploras? Quem quæris? Illa exíſtimãs quia hortulánus eſſet: dicit ei. Dómine: ſi tu ſuſtuliſti eum dícito mihi, vbi poſuíſti eum, & ego eum tollam. Dicit ei Iéſus. María. Conuérſa illa : dicit ei. Rabbóni : quod dícitur magíſter. Dicit ei Iéſus. Noli me tángere. Nondum enim aſcéndi ad Patrem meum. Vade autem ad fratres meos: & dic eis. Aſcéndo ad Patrem meũ, & Patrem veſtrum : ad Deum meum, & Deũ veſtrum. Venit María Magdaléne annúntians diſcípulis quia vidi Dóminum : & hæc dixit mihi.

Offertorium In die ſolemnitátis veſtræ dicit Dóminus, indúcam vos in terram fluéntem lac & mel, allelúia.

Secreta.

SVſcipe, quæſumus, Dómine múnera populórum tuórũ propítius: vt confeſſióne tui nóminis, & baptiſmate renouáti, ſempitérnam beatitúdinẽ conſequántur. Per Dóminum noſtrum Iéſum Chriſtum.

Præfatio cum cæteris vt in die

Communio Pópulus acquiſitiónis annuntiáte virtútes eius, allelúia, qui vos de téne-

bris vocáuit in admirábile lumen ſuum, allelúia. *Poſtcommunio.*

EXaúdi, Dómine, preces noſtras: vt redemptiónis noſtræ ſacroſáncta cõmércia, & vitæ nobis cónferant præſéntis auxílium: & gáudia ſempitérna concílient. Per Dóminum noſtrum.

FERIA SEXTA.

Statio ad S. Mariam ad martyres.

Introitus.

EDuxit eos Dóminus in ſpe, allelúia, & inimícos eórum opéruit mare, allelúia, allelúia, allelúia. *Pſalmus.* Atténdite pópule meus legem meam: inclináte aurem veſtram in verba oris mei. *Collecta.*

OMnipotens ſempitérne Deus, qui Paſchále ſacraméntum in reconciliatiónis humánæ fœdere contuliſti: da méntibus noſtris, vt quod profeſſióne celebrámus: imitémur affectu. Per Dóminum.

Léctio Epiſtolæ: beáti Petri Apóſtoli. 1. cap. 3.

CHariſſimi: Chriſtus ſemel pro peccátis noſtris mórtuus eſt iuſtus pro iniúſtis, vt nos offérret Deo: mortificátos quidem carne, viuificátos autem ſpíritu. In quo, & his qui in cárcere erant, ſpirítibus véniens prædicáuit: qui incréduli fúerant aliquándo, quando expectábant Dei patiéntiam in diébus Noe, cum fabricarétur arca, in qua pauci, id eſt, octo ánimæ ſaluæ factæ ſunt per aquam. Quod & vos nunc ſímilis formæ ſaluos facit baptíſma: non carnis depoſítio ſórdium, ſed conſciéntiæ bonæ interrogátio in Deum: per reſurrectiónem Dómini noſtri Iéſu Chriſti: qui eſt in déxtera Dei.

℟. Hæc dies, quam fecit Dóminus: exultémus & lætémur in ea. ℣. Benedíctus, qui venit in nómine Dómini: Deus Dóminus & illúxit nobis. Allelúia, ℣. In die reſurrectiónis meæ, dicit Dóminus, præcédam vos in Galilæam, allelúia.

Secundum Matthæum. cap. 28.

IN illo témpore. Vndecim diſcípuli abiérunt in Galilæam: in mõtem vbi conſtitúerat eis Iéſus. Et vidéntes eum adorauérunt: quidam autem dubitauérunt. Et accédens Iéſus: locútus eſt eis, dicens. Data eſt mihi omnis poteſtas: in cœlo & in terra. Euntes ergo docéte omnes Gentes, baptizántes eos in nómine Patris, & Filij, & Spíritus ſancti: docéntes eos ſeruáre ómnia, quæcúnque mandáui vobis. Et ecce ego vobíſcum ſum ómnibus diébus: vſque ad conſummatiónem ſæculi.

Offertorium. Erit vobis hic dies memoriális, allelúia, & diem feſtum celebrábitis ſolémnem Dómino, in progénies veſtras: legítimum ſempitérnum diem, allelúia, allelúia, allelúia.

Secreta.

HOſtias, quæſumus, Dómine placátus aſſúme: quas & pro renatórum expiatióne peccáti deférimus: & pro acceleratióne cœléſtis auxílij. Per Dóminum.

Præfatio cum cæteris vt in die.

Communio. Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra, allelúia, eúntes docéte omnes Gentes, baptizántes eos in nómine Patris, & Filij, & Spíritus Sancti, allelúia. allelúia, allelúia.

Poſtcommunio.

REſpice, quæſumus, Dómine pópulum tuum: & quem ætérnis dignátus es renouáre myſtériis: à temporálibus culpis dignánter abſólue. Per Dóminum noſtrũ Iéſum Chriſtum Filium tuum. Qui.

SABBATO.
Statio, ad S. Ioannem in Laterano.

Introitus.

EDúxit Dóminus pópulum ſuum in exultatióne, allelúia, & eléctos ſuos in lætítia, allelúia, allelúia. Pſalmus Confitémini Dómino, & inuocáte nomen eius: annūtiáte inter Gentes ópera eius.

Collecta

COncéde, quǽſumus, omnípotens, Deus: vt qui feſtᵃ Paſchália venerándo égimusꝰ per hæc contíngere ad gaudia ætérna mereámur. Per Dóminum.

Léctio Epiſtolæ beáti Petri Apóſtoli. 1. cap. 2.

CHariſſimi: Deponéntes omnē malítiam, & omnem dolum, & ſimulatiónes, & inuídias, & omnes detractiónesꝰ ſicut modò géniti infántes rationábiles ſine dolo, lac concupíſcite, vt in eo creſcátis in ſalútem: ſi tamen guſtáſtis, quóniam dulcis eſt Dóminus. Ad quem accedéntes lápidem viuum, ab homínibus quidem reprobátum, à Deo autem eléctum & honorificátū: & ipſi tanquam lápides viui ſuperædificámini domos ſpiritáles, ſacerdótium ſanctum, offérre ſpiritáles hóſtias acceptábiles Deo per Iéſum Chriſtum. Propter quod cóntinet ſcriptúra: Ecce ponam in Sion lápidem ſummū anguIárem, eléctum, pretióſum: & omnis, qui credidérit in eum, non confundétur. Vobis ígitur honor credéntibus: non credéntibus autem lapis (quem reprobauérunt ædificántes,) hic factus eſt in caput ánguli. Et lapis offenſiónis, & petra ſcándali: his, qui offéndunt verbo, nec credunt, in quo & póſiti ſunt. Vos autem genus eléctum, regále ſacerdótium, gens ſancta, pópulus acquiſitiónis: vt virtútes annuntiétis eius, qui de ténebris vos vocáuit in admirábile lumen ſuum. Qui aliquándo non pópulus Dei: nunc autem pópulus Dei. Qui non conſecúti miſericórdiam: nunc autem miſericórdiam conſecúti.

Ab hac die vſque ad Sabbatum hebdo. Pentecoſtes incluſiuè in ſolemnibus Miſſis, vt quæ in conuentu ſolent celebrari cū duobus miniſtris (exceptis Miſſis defunctorum) loco reſp. dicitur j. **allelúia,** cum j. verſu poſt quem non repetitur **allelúia,** at in non ſolemnibus vnicus dicitur verſus, poſt quem repetitur **allelúia,** vt poſt ſecūdum verſum cum dicuntur duo verſus: quod ſi plura duobus dicantur vt in dicti Sabbati Miſſa poſt ſolum vltimū verſum ſcilicet **Laudáte Dóminum omnes.** repetitur **allelúia.**

Allelúia. ℣. **Hæc dies, quā fecit Dóminus: exultémus, & lætémur in ea.**

Allelúia. ℣. **Laudáte púeri Dóminum, laudáte nomen Dómini: ſit nomē Dómini benedíctum ex, hoc nunc & vſque in ſæculum, Allelúia.**

Secúndum Ioánnem. cap. 20.

IN illo témpore. Vna Sábbati María Magdaléne venit mane, cùm adhuc ténebræ eſsēt ad monuméntum:ꝰ & vidit lápidē ſublátum à monuménto. Cucúrrit ergo, & venit ad Simónem Petrum, & ad álium diſcípulum, quem amábat Iéſus: & dicit eis. Tulérunt Dóminum de monuménto: & neſcímus vbi poſuérūt eum. E'xiit ergo Petrus, & ille álius diſcípulus: & venérunt ad monuméntum. Currébant autem duo ſimul: & ille álius diſcípulus præcucúrrit cítiùs Petro, & venit primus ad monuméntum. Et cùm ſe inclináſſet: vidit linteámina póſita, non tamen introíuit. Venit ergo Simon Petrus ſequens eum: & introíuit in monuméntum. Et vidit linteámina pósita: & ſudárium, quod fúerat

ſuper

ſuper caput eius, non cum linteamínibus pósitum: ſed ſeparátim inuolútum in vnum locum. Tunc ergo introíuit & ille diſcípulus, qui vénerat primus ad monuméntum: & vidit, & crédidit. Nondùm enim ſciébant ſcriptúrã: quia oportéret eum à mórtuis reſúrgere.

Offertorium. B enedíctus qui venit in nómine Dómini, benedíximus vos de domo Dómini Deus Dóminus & illúxit nobis, allelúia, allelúia. Secreta

COncéde, quæſumus, Dómine ſemper nos per hæc myſtéria Paſchália gratulári: vt contínua noſtræ reparatiónis operátio, perpétuę nobis fiat cauſa lætítiæ. Per Dóminum noſtrum.

Præfatio cum cæteris vt in die.

Communio. O mnes, qui in Chriſto baptizáti eſtis, Chriſtum induíſtis, allelúia.

Poſtcommunio.

REdẽptiónis noſtræ múnere vegetáti? quæſumus, Dómine, vt hoc perpétuæ ſalútis auxílium, fides ſemper vera perfíciat. Per Dóminũ noſtrum Iéſum Chriſtum.

DOMINICA POST ALBAS.

Statio ad S. Pancratium.

Prima Miſſa vt in die Paſchæ, niſi feſtum xij. lect. vel præſens deſanct. impedierit. Et ad maiorem Miſſam. Introitus.

QVaſi modo géniti infántes, allelúia, rationábiles ſine dolo lac concupíſcite, allelúia, allelúia, allelúia.

Pſalmus. E xultáte Deo adiutóri noſtro: iubiláte Deo Iácob. Collecta

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus: vt qui feſta Paſchália perégimus? hæc, te largiénte, móribus & vita teneámus. Per Dóminum noſtrum Iéſum Chriſtum Fílium tuũ.

Lectio Epiſtolæ beáti Ioánnis Apóſtoli. 1. Cap. 5.

CHariſſimi: Omne quod natum eſt ex Deo: vincit mundum. Et hæc eſt victória, quæ vincit mundum: fides noſtra. Quis eſt autem qui vincit mundum, niſi qui credit quóniam Iéſus eſt Fílius Dei? Hic eſt qui venit per aquam & ſánguinem: Iéſus Chriſtus. Non in aqua ſolum: ſed in aqua, & ſá[n]guine. Et Spíritus eſt qui teſtificátur: quóniã Chriſtus eſt véritas. Quóniam tres ſunt, qui teſtimónium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spíritus ſanctus. Et hi tres vnũ ſunt. Et tres ſunt qui teſtimónium dant in terra: ſpíritus, aqua, & ſánguis. Et hi tres vnũ ſunt. Si teſtimóniũ hóminum accípimus: teſtimónium Dei maius eſt. Quóniã hoc eſt teſtimónium Dei, quod maius eſt: quóniam teſtificátus eſt de Fílio ſuo. Qui credit in Fíliũ Dei: habet teſtimónium Dei in ſe.

A llelúia. ℣. Poſt dies octo, iánuis clauſis, ſtetit Iéſus in médio diſcipulórum ſuórum, & dixit: Pax vobis.

A llelúia. ℣ ſus. Surréxit Dóminus de ſepúlchro: qui pro nobis pepéndit in ligno, Allelúia.

Secúndum Ioánnem. cap. 20.

IN illo témpore. Cùm eſſet ſero die illo, vna Sabbatórum? & fores eſſent clauſæ, vbi erant diſcípuli congregáti propter metum Iudæórum: venit Iéſus, & ſtetit in médio, & dicit eis. Pax vobis. Et cùm hoc dixíſſet: oſténdit eis manus & latus. Gauíſi ſunt ergo diſcípuli: viſo Dómino. Dixit ergo eis íterum. Pax vobis. Sicut miſit me Pater: & ego mitto vos. Hoc cùm dixíſſet: inſufflávit, & dixit illis. Accípite Spíritum Sanctum. Quorum remiſéritis peccáta, remittúntur eis: & quorum retinuéritis, reténta ſunt. Priuatis diebus diuiſio Thomas autem vnus de duódecim, qui dicitur Dídimus: nõ

:rat cum eis, quando venit Iéſus.
)ixérunt ergo ei álij diſcípuli. Vídi-
nus Dóminum. Ille autem dixit eis.
Niſi vídero in mánibus eius fixúram
:lauórum, & mittam digitũ meum
n locum clauórum ⁊ & mittam ma-
ıum meam in latus eius: nõ credam.
Et poſt dies octo: íterum erant diſcí-
)uli eius intus, & Thomas cum eis.
Venit Iéſus iánuis clauſis: & ſtetit in
nédio, & dixit. Pax vobis. Deínde
licit Thomæ. Infer dígitum tuum
ıuc, & vide manus meas ⁊ & affer
nanum tuã, & mitte in latus meũ:
& noli eſſe incrédulus, ſed fidélis.
Reſpóndit Thomas: & dixit ei. Dó-
ninus meus: & Deus meus. Dicit ei
Ieſus. Quia vidíſti me Thoma, credi-
díſti: beáti qui non vidérunt, & cre-
didérũt. Multa quidem & ália ſigna
fecit Iéſus in conſpéctu diſcipulό-
rum ſuórum: quæ non ſunt ſcripta
n libro hoc. Hæc autẽ ſcripta ſunt,
vt credátis, quia Iéſus eſt Chriſtus Fí-
lius Dei: & vt credéntes, vitam ha-
beátis: in nómine eius.

Offertorium. A ngelus Dómini deſcéndit
de cœlo, & dixit muliéribus: quem quæritis,
ſurréxit ſicut dixit, allelúia.

Secreta.

SV'ſcipe múnera, quæſumus, Dó-
mine exultántis Eccléſiæ, & cui
cauſam tanti gaúdij præſtitíſti ⁊ per-
pétuum fructum concéde lætitiæ.
Per Dóminum noſtrum.

Præfatio & Communicántes. & Hanc ígi-
tur oblatiónem. vt in die Paſchæ.

Communio. Mitte manum tuam, & cognó-
ſce loca clauórum, allelúia, & noli eſſe in-
crédulus, ſed fidélis, allelúia, allelúia.

Poſtcommunio.

QVæſumus, Dómine Deus no-
ſter: vt ſacroſáncta myſtéria,
quæ pro reparatiónis noſtræ muní-
mine contulíſti ⁊ & præſens nobis
remédium eſſe fácias, & futúrum.
Per Dóminum noſtrum.

DOMINICA PRIMA POST
octa. Paſchæ. in qua & ſequentibus Domi-
nicis vſque ad Aſcenſionem prima Miſſa di-
catur ſicut in die Paſchæ ſed tamen in Col-
lecta nõ dicatur (hodiérna die, nec Reſp)
quòd ſi fuerit impedimentum: fiat tamen
commemoratio Reſurrectionis ſumendo
Collectam. D eus qui per vnigénitum.

AD MAIOREM MISSAM.

Introitus.

MIſericórdia Dó-
mini plena eſt
terra, allelúia:
verbo Dei cœli
firmáti ſunt, alle-
lúia, allelúia.

Pſalmus. E xultáte
iuſti in Dómino: rectos decet collaudátio.

Collecta.

DEus, qui in Fílij tui humilitáte
iacéntem mundum erexíſti ⁊ fi-
délibus tuis perpétuam concéde læ-
títiam: vt quos perpétuæ mortis eri-
puíſti cáſibus ⁊ gaúdiis fácias ſempi-
térnis pérfrui. Per eúndem.

Léctio Epiſtolæ: beáti Petri Apó-
ſtoli. j. cap. 2.

CHariſſimi: Chriſtus paſſus eſt
pro nobis, vobis relinquens
exémplum: vt ſequámini veſtígia
eius. Qui peccátum non fecit: nec
inuéntus eſt dolus in ore eius. Qui
cum maledicerétur: non maledicé-
bat. Cum paterétur: non commina-
bátur. Tradébat autem iudicánti ſe
iniúſtè: qui peccáta noſtra ipſe pér-
tulit in córpore ſuo ſuper lignũ, vt
peccátis mórtui, iuſtítiæ viuámus,
cuius liuóre ſanáti eſtis. Erátis enim
aliquándo ſicut oues errántes: ſed
conuérſi eſtis nunc ad paſtórem, &
Epíſcopum: animárum veſtrárum.

A llelúia. ℣. Ego ſum paſtor bonus, & co-
gnóſco oues meas: & cognóſcunt me meæ.
A llelúia. ℣. A'ngelus Dómini deſcéndit de
cœlo: & accédens reuóluit lápidem, & ſe-
débat ſuper eum: & reſpóndens dixit mu-

liéribus:

l:éribus: quem quæritis? illæ autem dixérũt Iéſum Nazarénum. Allelúia.

Secúndum Ioánnem. cap. 10.

IN illo témpore. Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Ego ſum paſtor bonus. Bonus paſtor ánimam ſuam dat pro óuibus ſuis. Mercenárius autem, & qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oues própriæ: videt lupum veniéntem, & dimíttit oues, & fugit. Et lupus rapit: & diſpérgit oues. Mercenárius autem fugit, quia mercenárius eſt: & nõ pértinet ad eum de óuibus. Ego ſum paſtor bonus. Et cognóſco meas: & cognóſcunt me meæ. Sicut nouit me Pater, & ego agnóſco Patrem: & ánimam meam pono pro óuibus meis. Et álias oues hábeo, quæ non ſunt ex hoc ouíli: & illas opórtet me addúcere, & vocem meam aúdient. Et fiet vnum ouíle: & vnus paſtor.

Offertorium. Deus, Deus meus, ad te de luce vígilo: & in nómine tuo leuábo manus meas, allelúia. Secreta.

BEnedictiónem Dómine, nobis cónferat ſalutárẽ ſacra ſemper oblátio, vt quod agit myſtério, virtúte perfíciat. Per Dóminum.

Communio. Ego ſum paſtor bonus, allelúia, & cognóſco oues meas: & cognóſcunt me meæ, allelúia, allelúia.

Poſtcommunio.

PRæſta nobis, quæſumus, omnípotẽs Deus: vt viuificatiónis tuæ grátiam conſequéntes, in tuo ſemper múnere gloriémur. Per Dómi.

DOMINICA SECVNDA poſt octauas Paſchæ. *Introitus.*

IVbiláte Deo omnis terra, allelúia: pſalmum dícite nómini eius, allelúia date glóriã laudi eius, allelúia, allelúia, allelúia. Pſalmus. Dícite Deo, quam terríbilia ſunt, ópera tua Dómine: in multitúdine virtútis tuæ. Collecta.

DEus, qui errántibus, vt in viam poſſint redíre iuſtítiæ, veritátis tuæ lumen oſténdis: da cunctis, qui Chriſtiána profeſſióne cenſéntur, & illa reſpúere, quæ huic inimíca ſunt nómini, & ea, quæ ſunt apta, ſectári. Per Dóminum noſtrum Iéſum Chriſtum Fílium tuum.

Léctio Epiſtolæ beáti Petri Apóſtoli. j. cap. 2.

CHaríſſimi: Obſecro vos tanquã áduenas & peregrínos, abſtinére vos à carnálibus deſidériis, quæ mílitant aduérſus ánimam: conuerſatiónem veſtram inter Gentes habéntes bonam, vt in eo, quòd detréctant de vobis, tanquam de malefactóribus, ex bonis opéribus vos cõſiderántes, gloríficent Deum, in die viſitatiónis. Subiécti eſtóte omni humánæ creatúræ, propter Deum: ſiue Regi, quaſi præcelléntí, ſiue Dúcibus, tanquam ab eo miſſis, ad vindíctam malefactórum, laudẽ verò bonórũ. Quia ſic eſt volúntas Dei: vt benefaciéntes obmutéſcere faciátis imprudéntium hóminum ignorántiam. Quaſi liberi, & non quaſi velámen habéntes malítiæ libertátem: ſed ſicut ſerui Dei. Omnes honoráte: fraternitátem dilígite. Deũ timéte: Regem honorificáte. Serui ſúbditi eſtóte in omni timóre dóminis: non tantum bonis & modéſtis, ſed étiam díſcolis. Hæc eſt enim grátia. In Chriſto Iéſu: Dómino noſtro.

Allelúia. ℣. Módicùm, & non vidébitis me, dicit Dóminus íterum módicùm, & vidébitis me: quia vado ad patrem.

Allelúia. ℣. Surréxit paſtor bonus, qui póſuit ánimam ſuam pro óuibus ſuis: & pro ſuo grege mori dignátus eſt, allelúia.

Secúndum Ioánnem. cap. 16.

IN illo témpore. Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Módicùm & iam nõ vi-

débitis me, & íterum módicùm, & vidébitis me: quia vado ad Patrem. Dixérunt ergo ex diſcípulis eius ad inuicē. Quid eſt hoc quod dicit nobis, módicùm, & non vidébitis me, & íterū módicùm, & vidébitis me, & quia vado ad Patrem? Dicébant ergo. Quid eſt hoc, quod dicit, módicùm? Néſcimus quid lóquitur. Cognóuit autem Iéſus, quia volébant eū interrogáre: & dixit eis. De hoc quærítis inter vos, quia dixi módicùm, & non vidébitis me, & íterū módicùm, & vidébitis me? Amen amen díco vobis: quia plorábitis, & flébitis vos, mundus autem gaudébit. Vos autem contriſtabímini: ſed triſtítia veſtra vertétur in gaúdium. Múlier, cùm parit, triſtítiam habet: quia venit hora eius. Cum autem pepérerit púerum: iam non méminit preſſúræ, propter gaúdium, quia natus eſt homo in mūdum. Et vos ígitur: nūc quidem triſtítiam habétis. I'terum autem vidébo vos: & gaudébit cor veſtrum. Et gaúdium veſtrum: nemo tollet à vobis.

Offertorium. **Lauda ánima mea Dóminum: laudábo Dóminum in vita mea: pſallā Deo meo quándiu ero, allelúia.**

Secreta.

HIs nobis, Dómine myſtériis conferátur, quò terréna deſidéria mitigántes, diſcámus amáre cæléſtia. Per Dóminum.

Communio. **Módicùm, & non vidébitis me, allelúia, íterum módicùm, & vidébitis me, quia vado ad Patrem, allelúia, allelúia.**

Poſtcommunio.

SAcraménta quæ ſúmpſim⁹, quæſumus Dómine, & ſpiritálibus nos inſtruant aliméntis? & corporálibus tueántur auxíliis. Per Dóminum noſtrum.

DOMINICA TERTIA.

Introitus.

CAntáte Dómino cánticū nouum, allelúia: quia mirabília fecit Dóminus, allelúia: ante conſpéctum Géntium reueláuit iuſtítiam ſuam, allelúia, allelúia.

Pſalmus **Saluáuit ſibi déxtera eius: & bráchium ſanctum eius.**

Collecta

DEus, qui fidélium mētes vnius éfficis voluntátis? da pópulis tuis id amáre, quod præcipis, id deſideráre, quod promíttis: vt inter mundánas varietátes ibi noſtra fixa ſint corda? vbi vera ſunt gaúdia. Per Dóminum noſtrum.

Léctio Epíſtolæ beáti Iacóbi. cap. 1.

CHariſſimi: Omne datum óptimum, & omne donum perféctum déſurſum eſt: deſcéndens à Patre lúminum. Apud quē non eſt trāſmutátio: nec viciſſitúdinis obumbrátio. Voluntáriè enim génuit nos verbo veritátis: vt ſimus inítium áliquod creatúrę eius. Scitis fratres mei dilectíſſimi. Sit autem omnis homo velox ad audiéndum, tardus autem ad loquéndum: & tardus ad irā. Ira enim viri: iuſtítiam Dei non operátur. Propter quod abiiciéntes omnē immūdítiam? & abundántiam malítiæ: in manſuetúdine ſuſcípite ínſitum verbum. Quod poteſt ſaluáre: ánimas veſtras.

Allelúia. ℣. Vado ad eum, qui miſit me: ſed quia hæc locútus ſum vobis, triſtítia impléuit cor veſtrum. Allelúia. ℣. Stetit Iéſus in médio diſcipulórū ſuórum, & dixit eis: pax vobis, ego ſum, nolíte timére, allelúia.

Secúndum Ioánnem. cap. 16.

IN illo témpore. Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Vado ad eū, qui me miſit: & nemo ex vobis intérrogat me, quò vadis. Sed quia hæc locútus ſum vobis: triſtítia impléuit cor veſtrū.

Sed

Sed ego veritátem dico vobis:éxpedit vobis, vt ego vadam. Si enim nō abíero: Paraclétus nō véniet ad vos. Si autē abíero: mittam eum ad vos. Et cùm vénerit: ille árguet mūdum de peccáto, & de iuſtítia, & de iudício. De peccáto quidem: quia non credidérunt in me. De iuſtítia verò: quia ad Patrem vado, & iam non vidébitis me. De iudício autem: quia princeps mundi huius iam iudicátus eſt. Adhuc multa hábeo vobis dícere: ſed non potéſtis portáre modò. Cùm autem vénerit ille Spíritus veritátis: docébit vos omnem veritátem. Non enim loquétur à ſemetípſo: ſed quæcúnque áudiet loquétur, & quæ ventúra ſunt, annuntiábit vobis. Ille me clarificábit: quia de meo accípiet: & annuntiábit vobis.

Offertorium: Iubiláte Deo vniuérſa terra: pſalmum dícite nómini eius, veníte & audíte, & narrábo vobis omnes qui timétis Deum, quanta fecit Dóminus ánimæ meæ, allelúia.

Secreta.

DEus, qui nos per huius ſacrifícij veneránda cōmércia, vníus ſummæ diuinitátis partícipes effeciſti, præſta, quæſumus, vt ſicut tuam cognóſcimus veritátem, ſic eam dignis móribus aſſequámur. Per Dóminum noſtrum.

Communio. Dum vénerit Paraclétus Spíritus veritátis, ille árguet mundum de peccáto, & de iuſtítia, & de iudício, allelúia, allelúia.

Poſtcommunio.

ADeſto nobis Dómine Deus noſter: vt per hæc, quæ fidéliter ſúmpſimus, & purgémur à vítiis, & à perículis ómnibus exuámur. Per Dóminum noſtrū Iéſum Chriſtum Filium tuum. Qui tecum viuit.

DOMINICA QVART[A]

Introitus.

VOcem iucūditá tis annuntiáte, & audiátur, allelúi annūtiáte vſqu ad extrémū ter ræ: liberáuit Dó minus pópulur ſuum, allelúia, allelúia.

Pſalmus. Iubiláte Deo omnis terra: pſalmu[m] dícite nómini eius, date glóriam laudi eiu[s]

Collecta.

DEus, à quo bona cuncta procé dunt, largíre ſupplícibus, v cogitémus, te inſpiránte, quæ rect ſunt, & te gubernánte eádem faciá mus. Per Dóminum.

Léctio Epiſtolæ beáti Iacóbi Apó ſtoli. cap. 1.

CHariſſimi. Eſtóte factóres ve[r] bi, & non auditóres tantū, fal léntes voſmetípſos: quia ſi quis au ditor eſt verbi, & non factor, hic cō parábitur viro conſideránti vultu[m] natiuitátis ſuæ in ſpéculo. Conſide ráuit enim ſe, & ábiit: & ſtatim obl[i] tus eſt, qualis fúerit. Qui autem pe[r] ſpéxerit in legē perféctam libertáti[s] & permánſerit non audítor obliui[o] ſus factus, ſed facto óperis: hic be[á] tus in facto ſuo erit. Si quis autē pu tat ſe religióſum eſſe, non refrǽna[ns] linguā ſuam, ſed ſedúcens cor ſuū huius vana eſt relígio. Relígio mun da, & immaculáta apud Deū & Pa trem, hæc eſt: viſitáre pupíllos & v duas in tribulatióne eórū. Et imma culátū ſe cuſtodíre: ab hoc ſǽculo.

Allelúia. ℣. Vſque modò non petíſtis qui quam in nómine meo, pétite, & accipiéti

Allelúia. ℣. Surréxit Dóminus, & occúrr[ens] muliéribus ait, auéte tunc acceſſérunt, [&] tenuérunt pedes eius, allelúia.

Secúndum Ioánnem. cap. 16.

IN illo témpore. Dixit Iéſus diſc[i] pulis ſuis. Amen amen dico vobi[s]

ſi quid petiéritis Patrem in nómine meo, dabit vobis. Vſque modò nõ petiſtis quícquam in nómine meo. Pétite, & accipiétis: vt gaúdium veſtrum ſit plenum. Hæc in prouérbiis locútus ſum vobis. Venit hora, cum iam non in prouérbiis loquar vobis: ſed palam de Patre annuntiábo vobis. Illo die: in nómine meo petétis: Et non dico vobis: quia ego rogábo Patrem de vobis. Ipſe enim Pater amat vos: quia vos me amátis, & credidíſtis, quia ego à Deo exíui. Exíui à Patre: & veni in mundum. I'terum relínquo mundum: & vado ad Patrem. Dicunt ei diſcípuli eius. Ecce nũc palam lóqueris: & prouérbium nullum dicis. Nunc ſcimus quia ſcis ómnia: & non opus eſt tibi, vt quis te intérroget. In hoc crédimus: quia à Deo exíſti.

Offertorium. Benedícite Gentes D ó minum Deum noſtrum, & obaudíte vocem laudis eius, qui póſuit ánimam meam ad vitam, & non dedit commouéri pedes meos: benedíctus Dóminus, qui non amóuit deprecatiónem meam, & miſericórdiam ſuam à me, allelúia. Secreta.

SV'ſcipe Dómine fidélium preces cum oblatiónibus hoſtiárum: vt per hæc piæ deuotiónis officia, ad cœléſtem glóriam tranſeámus. Per Dóminum noſtrum.

Communio. Cantáte Dómino, allelúia, cãtáte, & benedícite nomen eius: benè nuntiáte de die in diem ſalutáre eius, allelúia, allelúia. Poſtcommunio.

TRíbue nobis Dómine cœléſtis menſæ virtúte ſatiátis: & deſideráre quæ recta ſunt, & deſideráta percípere. Per Dóminum.

IN LITANIA MAIORE.

Feria ſecunda.

Statio ad S. Mariam Maiorem.

FERIA TERTIA.

Statio ad S. Ioannem in Laterano.

Require litaniam in fine libri. Introitus.

EXaudíuit de tẽplo ſancto ſuo vocẽ meam, allelúia: & clamor meus in conſpéctu eius introíuit in aures eius, allelúia, allelúia. Pſalmus. Díligam te Dómine virtus mea: Dóminus firmaméntũ meum, & refúgium meũ, & liberátor meus. Collecta.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus: vt qui in afflictióne noſtra de tua pietáte confídimus: contra aduérſa ómnia, tua ſemper protectióne muniámur. Per Dóminum.

Léctio Epiſtolæ: beáti Iacóbi. Apóſtoli. cap. 5.

CHariſſimi: Confitémini altérutrum peccáta veſtra: & oráte pro ínuicem vt ſaluémini. Multum enim valet deprecátio iuſti aſsídua. Elías homo erat ſímilis nobis paſsíbilis: & oratiónem oráuit vt non plúeret ſuper terrã, & non pluit annos tres, & mẽſes ſex. Et rurſum oráuit: & cœlum dedit plúuias & terra dedit fructum ſuũ. Si quis autem erráuerit ex vobis à veritáte, & conuérterit quis eum: ſcire debet quóniam qui conuérti fécerit peccatórem ab erróre viæ ſuæ, ſaluábit ánimam eius à morte. Et óperit: multitúdinem peccatórum.

Allelúia. ℣. Cõfitémini Dómino quóniam bonus: quóniam in ſæculum miſericórdia eius, allelúia.

Secúndum Lucam. cap. 11.

IN illo témpore. Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Quis veſtrum habébit amícum, & ibit ad illum média nocte, & dicet illi, amíce cómmoda mihi tres panes, quóniã amícus meus venit de via ad me, & non hábeo,

quod ponam ante illum, & ille déintus reſpóndens, dicat, noli mihi moléſtus eſſe, iam óſtium clauſum eſt, & púeri mei mecum ſunt in cubíli, nō poſſum ſúrgere, & dare tibi? Et ille ſi perſeueráuerit pulſans? dico vobis, & ſi non dabit illi, ſurgens eo quòd amícus ei⁹ ſit: pro pter improbitátem tamen eius ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſſários. Et ego vobis dico. Pétite: & dábitur vobis. Quǽrite: & inueniétis. Pulſáte: & aperiétur vobis. Omnis enim qui petit áccipit: & qui quærit ínuenit: & pulſánti aperiétur. Quis autē ex vobis patrem petit panem? Nunquid lápidem dabit illi? Aut piſcem? Nunquid pro piſce ſerpéntem dabit illi? Aut ſi petíerit ouum: nunquid pórriget ei ſcorpiónem? Si ergo vos, cum ſitis mali noſtis bona data dare filiis veſtris: quantò magis Pater veſter de cœlo dabit Spíritum bonum: peténtibus ſe.

Offertorium. Confitébor Dómino nimis in ore meo: & in médio multórum laudábo eum: qui áſtitit ad déxteram páuperis, vt ſaluam fáceret à perſequéntibus ánimam meam, allelúia. Secreta.

HÆc múnera, quǽſumus, Dómine, & víncula noſtræ prauitátis abſóluant, & tuæ nobis misericórdiæ dona concílient. Per Dóminum noſtrum.

Communio. Pétite, & accipiétis, quærite, & inueniétis, pulſáte, & aperiétur vobis: omnis enim qui petit, áccipit: & qui quærit ínuenit: & pulſánti aperiétur, allelúia.

Poſtcommunio.

VOta noſtra, quǽſumus, Dómine pio fauóre proſéquere: vt dum dona tua in tribulatióne percépimus? de conſolatióne noſtra in tuo amóre creſcámus. Per Dóminū noſtrum Iéſum Chriſtum.

IN VIGILIA ASCENSIONIS DOMINI.

Statio ad S. Petrum.

Introitus.

OMnes Gentes plaúdite mánib⁹, iubiláte Deo in voce exultatiónis, allelúia, allelúia, allelúia. Pſalmus. Subiécit pópulos nobis: & Gentes ſub pédibus noſtris. Collecta.

PRæſta, quǽſumus, omnípotens Deus: vt noſtræ mētis inténtio, quò ſolemnitátis ventúræ glorióſus author ingréſſus eſt, ſemper inténdat? & quò fide pergit, conuerſatióne peruéniat. Per eúndē Dóminum.

Ad Ephéſios. cap. 4.

FRatres: Vnicuíque noſtrum data eſt grátia: ſecúndum menſúram donatiónis Chriſti. Propter quod dicit. Aſcéndens in altum, captíuam duxit captiuitátem: dedit dona homínibus. Quod autē aſcéndit, quid eſt, niſi quia & deſcéndit primùm in inferióres partes terræ? Qui deſcéndit: ipſe eſt, & qui aſcéndit, ſuper omnes cœlos vt adimpléret ómnia. Et ipſe dedit quoſdam quidem Apóſtolos, quoſdam autē Prophétas, álios verò Euangeliſtas, álios autem Paſtóres, & Doctóres, ad conſummatiónem Sanctórum, in opus miniſtérij in ædificatiónē córporis Chriſti: donec occurrámus omnes in vnitátem fídei & agnitiónis Filij Dei in virum perféctum in menſúram ætátis: plenitúdinis Chriſti.

Allelúia ℣. Omnes Gentes plaúdite mánibus: iubiláte Deo in voce exultatiónis, allel.

Secúndum Ioánnem. cap. 17.

IN illo témpore. Subleuátis Iéſus óculis in cœlum: dixit. Pater: venit hora: clarífica Fílium tuum, vt Fílius tuus claríficet te. Sicut dediſti ei poteſtátem omnis carnis: vt om-

ne quod dedíſti ei, det eis vitam ætérnam. Hæc eſt autem vita ætérna: vt cognóſcāt te, ſolum verum Deū, &, quem miſíſti, Iéſum Chriſtū. Ego te clarificáui ſuper terrā: opus conſummáui, quod dedíſti mihi, vt fáciam. Et nunc clarífica me tu Pater apud temetípſum: claritáte, quam hábui, priúſquā mundus eſſet, apud te. Manifeſtáui nomen tuum homínibus: quos dedíſti mihi de mundo. Tui erant: & mihi eos dedíſti, & ſermónem tuum ſeruauérunt. Nunc cognouérunt, quia ómnia, quæ dedíſti mihi, abs te ſunt: quia verba, quæ dedíſti mihi, dedi eis. Et ipſi accepérunt: & cognouérūt verè, quia à te exiui, & credidérūt, quia tu me miſíſti. Ego pro eis rogo. Non pro mundo rogo: ſed pro his, quos dedíſti mihi, quia tui ſunt. Et mea ómnia tua ſunt, & tua mea ſunt: & clarificátus ſum in eis. Etiam non ſum in mundo: & hi in mundo ſunt: & ego ad te vénio.

Offertorium. Aſcéndit Deus in iubilatióne, & Dóminus in voce tubæ, allelúia.

Secreta.

Sacrificium, Dómine, ſúpplices pro Filij tui venerábili quam preuenimus nunc, Aſcenſióne deférimus, præſta quæſumus, vt & nos per ipſum his commérciis ſacroſánctis ad cæléſtia conſurgámus. Qui tecum viuit.

Communio. Pater, cùm eſſem cum eis, ego ſeruábam eos, quos dedíſti mihi, allelúia, nunc autem ad te vénio: non rogo vt tollas eos de mundo, ſed vt ſerues eos à malo, allelúia, allelúia.

Poſtcommunio.

Tribue, quæſumus, omnípotens Deus: vt per hęc ſacta, quæ ſúmpſimus, illuc tendat Chriſtiánæ deuotiónis affectus: quò tecū eſt noſtra ſubſtántia Iéſus Chriſtus Fílius tuus Dóminus noſter Qui tecum.

IN DIE ASCENSIONIS DOMINI.

Statio ad S. Petrum.

Introitus.

Viri Galilæi, quid admirámini aſpiciéntes in cœlū, allelúia: quēádmodum vidíſtis eum aſcendéntem in cœlum, ita véniet, allelúia, allelúia, allelúia.

Pſalmus. Cumque intueréntur in cœlū eúntem illum: ecce duo viri aſtitérunt iuxta illos, in véſtibus albis. Collecta.

Concéde, quæſumus, omnípotēs Deus: vt qui (hodiérna die) Vnigénitum tuū Redēptórem noſtrū ad cœlos aſcendíſſe crédimus: ipſi quoque mente in cœléſtibus habitémus. Per eúndem.

Hac die nulla fit cōmem. de feſt. occurrent. niſi ſit xij. Lect. & vnius Miſſæ de quo fit cōm. in prima Miſſa, quæ eſt de Aſcenſ.

Léctio Actuū Apoſtolórum.

Cap. 1.

Primum quidem ſermónem feci de ómnibus, ò Theóphile, quæ cœpit Iéſus fácere, & docére: vſque in diem, qua præcípiens Apóſtolis (per Spíritum Sanctum quos elégit) aſſúmptus eſt. Quibus & præbuit ſeípſum viuum poſt paſſiónem ſuam in multis arguméntis, per dies quadragínta appárens eis: & loquens de regno Dei. Et conuéſcens præcépit eis, ab Ieroſólymis ne diſcéderent, ſed expectārēt promiſſiónem Patris, quā audíſtis (inquit) per os meum: quia Ioánnes quidem baptizáuit aqua, vos autem baptizabímini Spíritu Sancto, nō poſt multos hos dies. Igitur qui conuénerant: interrogábant eum, dicéntes. Dómine: ſi in témpore hoc reſtítues regnū Iſráel? Dixit autem eis. Non eſt veſtrū noſſe témpora, vel moménta, quæ Pater

póſuit in ſua poteſtáte: ſed accipiétis virtútem ſuperueniéntis Spíritus Sancti in vos, & éritis mihi teſtes in Ierúſalem, & in omni Iudǽa, & Samária, & vſque ad vltimum terræ. Et cùm hæc dixiſſet: vidéntibus illis eleuátus eſt, & nubes ſuſcépit eum ab óculis eórum. Cumque intueréntur in cœlũ eúntem illum: ecce duo viri aſtitérunt iuxta illos in véſtibus albis, qui & dixérunt. Viri Galilǽi, quid ſtatis aſpiciéntes in cœlum? Hic Ieſus, qui aſsúmptus eſt à vobis in cœlum: ſic véniet, quemádmodum vidíſtis eum: eúntem in cœlum.

Allelúia. ℣. Aſcéndit Deus in iubilatióne, & Dóminus in voce tubæ. Allel. ℣. Aſcéndens Chriſtus in altum, captíuam duxit captiuitátem: dedit dona homínibus, allel.

Secúndum Marcum. cap. 16.

IN illo témpore: Recumbéntibus vndecim diſcípulis: appáruit illis Ieſus, & exprobráuit incredulitátẽ illórum, & durítiam cordis, quia his, qui víderant eum reſurrexiſſe, non credidérunt. Et dixit eis. Eúntes in mundum vniuérſum: prædicáte Euangéliũ omni creatúræ. Qui crédiderit, & baptizátus fúerit: ſaluus erit. Qui verò non crédiderit: condemnábitur. Signa autem eos, qui credíderint: hæc ſequéntur. In nómine meo dæmónia eiícient: linguis loquéntur nouis, ſerpéntes tollent. Et ſi mortíferum quid bíberint: non eis nocébit. Super ægros manus impónent: & benè habébunt. Et Dóminus quidem Ieſus poſtquam locútus eſt eis, aſsúmptus eſt in cœlũ: & ſedit à dextris Dei. Illi autem profécti prædicauérunt vbique: Dómino cooperánte, & ſermónem cõfirmánte: ſequéntibus ſignis. Credo.

Offertorium. Viri Galilæi, quid admirámini aſpiciéntes in cœlum? hic Ieſus qui aſſúmptus eſt à vobis in cœlũ: ſic véniet, quemádmodum vidíſtis eum aſcendéntem in cœlũ, allelúia.

Secreta.

SVſcipe Dómine, múnera, quæ pro Filij tui glorióſa Aſcenſióne deférimus: & concéde propítius, vt à præſéntibus perículis liberémur, & ad vitam perueniámus ætérnam. Per eúndem Dóminum.

Præfatio. Qui poſt reſurrectiónem.

Infra actionẽ Communicántes & diẽ. quæ per oct. ad præſentem Miſſam dicuntur.

Communio Pſállite Dómino, qui aſcéndit ſuper cœlos cœlórum ad oriéntem, allelúia.

Poſtcommunio.

PRæſta, quæſumus, omnípotens & miſéricors Deus: vt quæ viſibílibus myſtériis ſuménda percépimus ⁊ inuiſíbili conſequámur effé̃ctu. Per Dóminum.

DOMINICA INFRA OCT. Aſcenſ. 1. Miſſ.

Introitus.

EXaúdi Dómine vocem meã, qua clamáui ad te, allelúia: tibi dixit cor meum, quæſiui vultum tuũ: vultũ tuum Dómine, requíram: ne auértas fáciem tuam à me, allelúia, allelúia.

Pſalmus. Dóminus illuminátio mea, & ſalus mea: quem timébo?

Collecta.

OMnípotens ſempitérne Deus fac nos tibi ſemper & deuótam gérere voluntátem⁊ & maieſtáti tuæ ſincéro corde ſeruíre. Per Dóminũ.

Léctio Epiſtolæ. B. Petri Apóſt. 1. c. 4.

CHariſſimi: Eſtóte prudéntes: & vigiláte in oratiónibus. Ante ómnia autem mútuam in vobiſmetípſis charitátem contínuam habéntes: quia cháritas óperit multitúdinẽ peccatórum. Hoſpitáles ínuicẽ: ſine murmuratióne. Vnuſquíſque ſicut accépit grátiam, in altérutrum illam adminiſtrántes: ſicut boni diſpenſatóres multifórmis grátię Dei. Si quis lóquitur: quaſi ſermónes Dei. Si quis

miniſtrat: tanquã ex virtúte, quam adminiſtrat Deus, vt in ómnibus honorificétur Deus. Per Iéſum Chriſtum: Dóminum noſtrum.

Allelúia. ℣. Dóminus in Sinai ſancto, aſcéndẽs in altum captiuam duxit captiuitátem, allelúia.

Secundum Ioánnem. cap. 15.

IN illo témpore. Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Cùm vénerit paraclétus quem ego mittã vobis à Patre ſ Spíritum veritátis, qui à Patre procédit: ille teſtimónium perhibébit de me. Et vos teſtimóniũ perhibébitis: quia ab inítio mecum eſtis. Hæc locútus ſum vobis: vt non ſcandalizémini. Abſque Synagógis fácient vos. Sed venit hora: vt omnis, qui intérficit vos, arbitrétur obſéquium ſe præſtáre Deo. Et hæc fácient vobis: quia non nouérunt Patrem, neque me. Sed hæc locútus ſum vobis: vt, cùm vénerit hora, eórum reminiſcámini: quia ego dixi vobis.

Offertorium. Aſcéndit Deus in iubilatióne, & Dóminus in voce tubæ, allelúia. Secreta.

SAcrificia nos, Dómine, immaculáta puríficent: & méntibus noſtris ſupérnæ grátiæ dent vigórem. Per Dóminum.

Ad hanc miſſam non dicitur Præfatio nec Communicantes de Aſcenſione.

Communio. Pater, cùm eſſem cum eis, ego ſeruábam eos, quos dediſti mihi, allelúia: nunc autem ad te vénio: non rogo vt tollas eos de mundo, ſed vt ſerues eos à malo, allelúia, allelúia. Poſtcommunio.

REpléti, Dómine, munéribus ſacris?da, quæſumus, vt in gratiárum ſẽper actióne maneámus. Per.

In octaua Aſcenſionis Introitus, & cætera omnia ſicut in die præter ſequens Euangelium ſecundum Lucam. Cap. 24.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Hæc ſunt verba, quæ locútus ſum ad vos, cùm adhuc eſſem obíſcum: quóniam neceſſe eſt impléri ómnia, quæ ſcripta ſunt in lege Móyſi, & Prophétis, & Pſalmis de me. Tunc apéruit illis ſenſum: vt intellígerent ſcriptúras. Et dixit eis. Quóniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportébat Chriſtũ pati, & reſúrgere à mórtuis die tértia: & prædicári in nómine eius pœniténtiã, & remiſſiónem peccatórum in omnes Gentes, incipiéntibus ab Ieroſólyma. Vos autẽ: eſtis teſtes horum. Et ego mitto promíſſum Patris mei in vos. Vos autẽ ſedéte in ciuitáte: quoadúſque induámini virtúte ex alto. Edúxit autẽ eos foras in Bethániam: & eleuátis mánibus ſuis, benedíxit eis. Et factum eſt, dum benedíceret illis, receſſit ab eis: & ferebátur in cœlum. Et ipſi adorántes regréſſi ſunt in Ierúſalem cum gaúdio magno: & erãt ſemper in templo: laudántes, & benedicéntes Deum. non dicitur Credo.

In craſtino octa. Aſcen. Miſſa ſit de feſto occurrente ſi habuerit Miſſam, vel de Dominica infra Aſcenſio. niſi fuerit celebrata, ad quam pro comme. de tempore dicatur collecta Concéde. &c. vt in die Aſcenſionis non tamen dicatur in ea (hodiérna die.) aliàs Miſſa ſit pro defunctis: quia nõ fuit celebrata in ea hebdomada propter oct. Aſcẽ.

IN VIGILIA PENTECOSTES.

Statio ad S. Ioannem in Laterano.

Lectio j. quæ legitur ſine titulo vt ſequẽtes. cum autẽ legitur, Sacerdos ſolus veniat ad altare poſt vj. vt ordin[illegible] eſt in vigil. Paſch.

TEntáuit Deus Abráhã: & dixit ad eum. Abráhã, Abráham. At ille reſpóndit. Adſum. Ait illi. Tolle filiũ tuum vnigénitũ, quem díligis I'ſaac: & vade in terrã viſiónis, atque offer eum ibi in holocaúſtum ſuper vnũ móntium, quem monſtráuero tibi. I'gitur Abráham de nocte conſúrgens, ſtrauit áſinum ſuum: ducens ſecum duos iúuenes, & I'ſaac filium ſuum. Cumque concidiſſet ligna in holocaúſtum: ábiit ad locũ quem, præcéperat ei Deus. Die autem tértio Gen. 22.

eleuátis

eleuátis óculis vidit locum procul: dixítque ad púeros ſuos. Expectáte hîc cum áſino: ego & puer illuc vſque properántes, poſtquam adoraúerimus, reuertémur ad vos. Tulit quoque ligna holocauſti: & impóſuit ſuper I'ſaac filium ſuũ. Ipſe verò portábat in mánibus ignem & gládium. Cumque duo pérgerẽt ſimul: dixit I'ſaac patri ſuo. Pater mi. At ille reſpóndit. Quid vis fili? Ecce, inquit, ignis & ligna? vbi eſt víctima holocáuſti? Dixit Abráham. Deus prouidébit ſibi víctimam holocaúſti, fili mi. Pergébãt ergo páriter: venerúntque ad locum, quem oſténderat ei Deus. In quo ædificáuit altáre: & déſuper ligna cõpóſuit. Cumque colligáſſet I'ſaac filium ſuũ: póſuit eum in altári ſuper ſtruem lignórum. Extendítque manum, & arrípuit gládium: vt immoláret filium ſuum. Et ecce A'ngelus Dómini de cœlo clamáuit, dicens. Abráham, Abráham. Qui reſpóndit. Adſum. Dixítque ei. Non exténdas manum tuam ſuper púerum: neque fácias illi quicquam. Nunc cognóui quòd tímeas Dóminum: & non pepercíſti filio tuo vnigénito propter me. Leuáuit Abrahã óculos? vidítque poſt tergum aríetem inter vepres hæréntem córnibus: quem aſſúmens óbtulit holocaúſtũ pro filio. Appellauítque nomen loci illius Dóminus videt: vnde vſque hódie dícitur, In monte Dóminus vidébit. Vocáuit autem A'ngelus Dómini Abráham ſecúndò de cœlo, dicens. Per memetípſum iurávi, dicit Dóminus? quia fecíſti rem hanc, & non pepercíſti filio tuo vnigénito, propter me: benedícã tibi, & multiplicábo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli? & velut arénam, quæ eſt in líttore maris. Poſſidébit ſemen tuum portas inimicorũ ſuórum: & benedicéntur in ſémine tuo omnes Gẽtes terræ? quia obedíſti voci meę. Reuérſus eſt Abráham ad púeros ſuos: abierúntque Berſabée ſimul, & habitáuit ibi. Orémus.

Deus qui in Abráhæ fámuli tui ópere, humáno géneri obediẽtiæ exémpla prębuíſti: cõcéde nobis & noſtræ voluntátis prauitátẽ frángere? & tuórum pręceptórũ rectitúdinem in ómnibus adimplére. Per.

Lectio ſecunda. Deut. Cap. 31.

IN diébus illis. Scripſit Móyſes cánticum: & dócuit filios Iſráel. Præcepítque Dóminus Ióſue filio Nun: & ait. Cõfortáre, & eſto robúſtus? tu enim introdúces filios Iſráel, in terram, quam pollícitus ſum: & ego ero tecum. Poſtquam ergo ſcripſit Móyſes verba legis huius in volúmine, atque compléuit: præcépit Leuítis, qui portábant arcam fœderis Dómini, dicens. Tóllite librum iſtum? & pónite illum in látere arcæ fœderis Dómini Dei veſtri: vt ſit ibi cõtra te, in teſtimónium. Ego enim ſcio contentiónem tuam: & ceruícem tuam duríſſimam. Adhuc viuénte me, & ingrediénte vobíſcum, ſemper contentióſè egíſtis contra Dóminũ? quantò magis cum mórtuus fúero? Congregáte ad me omnes maióres natu per Tribus veſtras, atque Doctóres? & loquar audiéntibus eis, ſermónes iſtos: & inuocábo cõtra eos cœlum, & terram. Noui enim quòd poſt mortem meam iníquè agétis? & declinábitis citò de via, quam præcépi vobis: & occúrrent vobis mala in extrémo témpore? quando fecéritis malum in conſpéctu Dómini, vt irritétis eum per ópera mánuum veſtrárum. Locútus eſt ergo Móyſes audiénte vniuérſo cœtu filiórum Iſráel verba cárminis huius: & ad finem vſque compléuit. Tractus.

Atténde cælum, & loquar: & aúdiat terra verba ex ore meo. ℣. Expectétur ſicut plúuia elóquium meum: & delcén-

dant ſicut ros verba mea: ſicut imber ſuper grámina: & ſicut nix ſuper fœnum, quia nomen Dómini inuocábo. ℣. Date magnitúdinem Deo noſtro, Deus vera ópera eius, & omnes viæ eius iudícia. ℣. Deus fidélis, in quo non eſt iníquitas: iuſtus, & ſanctus Dóminus. Orémus.

Deus, qui nobis per Prophetárũ ora præcepíſti tẽporália relínquere, atque ad ætérna gaúdia feſtináre: da fámulis tuis, vt quæ iuſſa cognóuimus, implére cœléſti inſpiratióne valeámus. Per Dóminum.

Lectio iij. Apprehéndent ſeptem.

Tractus. Vínea facta eſt. Require in vigil. Paſchæ. Orémus.

Deus, qui nos ad celebrãdam hanc feſtiuitátem vtriúſque teſtaménti páginis ínſtruis, da nobis intellígere miſericórdiã tuam: vt ex perceptióne præſéntiũ múnerũ, firma ſit expectátio futurórũ. Per Dó.

Lectio quarta. Baruch. cap. 3.

Audi Iſráel mandáta vitæ: áuribus pércipe, vt ſcias prudéntiã. Quid eſt Iſráel quod in terra inimicórum es, inueteráſti in terra aliéna, coinquinátus es cũ mórtuis? deputátus es, cum his qui in inférno ſunt, Dereliquíſti fontem ſapiéntię. Nam ſi in via Dei ambuláſſes: habitáſſes vtique in pace ſuper terrã. Diſce vbi ſit ſapiéntia, vbi ſit virtus, vbi ſit prudéntia: vt ſcias ſimul vbi ſit longitúrna vita, & virtus, vbi ſit lumen oculórum, & pax. Quis inuénit locum eius? & quis introíuit in theſaúros eius? Vbi ſunt príncipes Géntiũ, & qui dominántur ſuper béſtias, quę ſunt ſuper terram, qui in áuib⁹ cœli ludunt? qui argéntum theſaurízant, & aurum, in quo confídunt hómines, & non eſt finis poſſeſſiónis eórum, qui argéntum fábricant, & ſolíciti ſunt, nec eſt inuéntio óperum illórum? Et tamẽ extermináti ſunt, & ad ínferos deſcendérunt: & álij in locum illórum ſurrexérunt. Iúuenes vidérunt lumen: & habitauérunt ſuper terram. Viam autẽ diſciplínæ neſciérunt, neque intellexérunt ſémitas eius: neque ſuſcepérunt eã filij eórum. A fácie illórum longè facta eſt. Nõ eſt audíta in Chánaan: neque viſa eſt in Themã. Filij quoque Agar, qui exquírunt prudéntiam, quæ de terra eſt: negotiatóres terrę Themã, & fabulatóres, & exquiſitóres prudéntiæ, & intelligéntię, viam autem ſapiéntiæ neſciérunt: neque meminérunt ſemitárũ eius. O Iſráel, quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſiónis eius: magnus, & non habet conſummatiónem, excélſus, & imménſus. Ibi fuérunt Gigántes nomináti, illi qui ab inítio fuérunt ſtatúra magna, ſciéntes bellum. Nõ hos elégit Dóminus, neque viã diſciplínæ inuenérunt: proptérea periérunt. Et quóniam non habuérũt ſapiéntiam: periérunt propter ſuam inſipiéntiã. Quis aſcéndit in cœlum & accépit eam? & dedúxit eã de núbibus? Quis transfretáuit mare, & inuénit eam? & áttulit eã ſuper aurum eléctum? Nõ eſt qui ſciat viam ei⁹: neque excógitet ſémitas eius. Sed qui ſcit vniuérſa nouit illam: & adinuénit eã prudéntia ſua. Qui perfécit terram in ſempitérno témpore: & adimpléuit eam pecúdibus. Vocáuit eam: & audíuit eã in tremóre. Stellæ autem dedérunt lumẽ in cuſtódiis ſuis: & lætátæ ſunt. Vocátæ ſunt, & dixérunt ádſumus: & luxérunt ei cum iucunditáte. Qui fecit illas, hic Deus noſter eſt: & non æſtimábitur álius ad illum. Hic adinuénit omnem viam diſciplínæ, & dedit illam Iácob púero ſuo: & Iſráel diléčto ſuo. Poſt hæc ſuper terram viſus eſt: & cum homínibus conuerſátus eſt. Orémus.

Deus incommutábilis virtus, & lumen ętérnum, réſpice propítius ad totíus Eccléſiæ mirábile ſacraméntum:

cramentū:& da fámulis tuis, vt hoc, quod deuórè ágimus, ſériam rectitúdine vitæ teneámus. Per Dó. Tractus

Sicut ceruus deſiderat ad fontes aquárū: ita deſíderat ánima mea ad te Deus. ℣. Sitíuit ánima mea ad Deū viuum: quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei mei. ℣. Fuérunt mihi láchrymæ meæ panes die ac nocte: dum dícitur mihi per ſingulos dies vbi eſt Deus tuus? Orémus.

Concéde, quæſumus, omnípotens Deus: vt qui ſolemnirárem doni Spíritus Sancti cólimus, cœléſtibus deſidériis accénſi fonrem viræ ſitiámus. Per eiúſdem.

Sequitur litania, quam reperies in fine libri, qua completa, loco introitus miſſæ chorus dicat Kyrie eleiſon. Deinde Sacerdos incipiat Glória in excélſis. eoque finito dicat. Dóminus vobíſcum. Orémus.

Præſta, quæſumus, omnípotens Deus: vt claritátis tuæ ſuper nos ſplendor effúlgeat, & lux ruæ lucis corda eórum, qui per gráriam tuam renáti ſunt, Sancti Spíritus illuſtratióne confírmet. Per eiúſdem.

Léctio áctuum Apoſt. Cap. 19.

In diébus illis: Factū eſt cùm Apóllo eſſet Corínthi, vt Paulus, peragrátis ſuperióribus pártibus, veníret Ephéſum, & inueníret quoſdam diſcípulos: dixítque ad eos. Si Spíritum Sanctum accepíſtis credénres? At illi dixérunt ad eum. Sed neque ſi Spíritus Sanctus eſt, audíuimus. Ille verò air. In quo ergo baptizáti eſtis? Qui dixérunt. In Ioánnis baptíſmate. Dixit autem Paulus. Ioánnes baprizáuit baptíſmo pœniténtię pópulum, dicens, in eum qui ventúrus eſt poſt ipſum, vt créderent: hoc eſt, in Iéſum. His audíris: baptizáti ſunt in nómine Dómini Iéſu. Et cùm impoſuíſſet illis manus Paulus: venit Spíritus Sanctus ſuper eos, & loquebántur linguis, & propherábant. Erant autem omnes viri: ferè duódecim. Introgréſſus autem Synagógā Paulus, cum fidúcia loquebátur per rres menſes: diſputans & ſuádens: de regno Dei.

Allelúia ℣. Confitémini Dómino quóniam bonus: quóniam in ſæculum miſericórdia eius. Tractus

Laudáte Dóminum omnes Gentes: & collaudáte eum omnes pópuli. ℣. Quóniā confirmáta eſt ſuper nos miſericórdia eius: & véritas Dómini manet in ætérnum.

Secúndum Ioánnem. Cap. 14.

In illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Si diligitis me: mandáta mea ſeruáre. Et ego rogábo Patrem: & álium Paraclétum dabit vobis, vt máneat vobíſcum in ætérnum, Spíritum veritátis, quē mundus nō poteſt accípere, quia non vidit eū, nec ſcit eum. Vos autē cognoſcétis eum: quia apud vos manébit, & in vobis erit. Non relínquam vos órphanos: véniam ad vos. Adhuc módicum: & mundus me iam nō videt. Vos autē vidétis me: quia ego viuo & vos vivétis. In illo die vos cognoſcétis quia ego in Parre meo, & vos in me: & ego in vobis. Qui habet mandáta mea, & ſeruat ea: ille eſt qui díligit me. Qui autem díligit me: diligétur à Patre meo. Et ego díligā eum: & manifeſtábo ei meipſū. *Non dicitur* Credo.

Offertorium. Emítte Spíritū tuum & creabúntur, & renouábis fáciem terræ ſit glória Dómini in ſæcula, allelúia. Secreta.

Múnera Dómine, quæſum⁹, obláta ſanctífica, & corda noſtra Sācti Spíritus illuſtratióne emúnda. Per eiúſdem. Præfatio. Qui aſcéndēs. Cōmunicántes. Hanc ígitur. Agnus Dei. Communio. Vltimo feſtiuitátis die dicébat Iéſus: qui in me credit, flúmina de ventre eius fluent aquæ viuæ: hoc autem dixit de Spíritu, quem acceptúri erant credéntes in eum, allelúia, allelúia. Poſtcōmunio

Sancti Spíritus, Dómine, corda noſtra mundet infúſio: & ſui roris íntima aſperſióne fœcúndet. Per eiúſdem.



Omnia Sub ſterili languebant frigida mundo,
Rarus et humanis mentibus ardor erat.
Idcirco ignitas emittunt Sydera flammas.
Sanctus et accendit ſpiritus ecce focos.

Digitized by Google

IN DIE SANCTO PENTECOSTES.

Statio ad S. Paulum.

Introitus.

SPíritus Dómini repléuit orbē terrárū, allelúia: & hoc, quod cóntinet ómnia, ſciéntiam habet vocis, allelúia, allel. allel. Pſalmus. Omnium eſt enim ártifex, omnem habens virtútem: ómnia proſpíciens. Collecta.

DEus, qui hodiérna die corda fidélium Sancti Spíritus illuſtratióne docuíſti: da nobis in eódē Spíritu recta ſápere? & de eius ſemper cōſolatióne gaudére. Per. eiúſdem.

Léctio A'ctuum Apoſtolórū. Cap. 2.

IN diébus illis: Cùm cōpleréntur dies Pentecóſtes: erant omnes diſcípuli páriter in eódem loco. Et factus eſt repénte de cœlo ſonus tanquā aduenièntis ſpíritus vehemén tis: & repléuit totā domum vbi erāt ſedéntes. Et apparuérunt illis diſpertítæ linguæ tanquam ignis: ſedítque ſupra ſingulos eorū. Et repléti ſunt omnes Spíritu ſancto: & cœpérunt loqui váriis linguis, prout Spíritus Sanctus dabat éloqui illis. Erant autem in Ieruſalē habitántes Iudæi viri religióſi: ex omni natióne, quæ ſub cœlo eſt. Facta autem hac voce, cōuénit multitúdo, & mente confúſa eſt: quóniam audiébat vnuſquíſque lingua ſua illos loquéntes. Stupébāt autem omnes: & mirabántur, dicéntes. Nonne ecce omnes iſti, qui loquúntur, Galilæi ſunt? Et quómodo nos audíuimus vnuſquíſque linguā noſtram, in qua nati ſumus? Parthi, & Medi & Elamítæ, & qui hábitant Meſopotámiā, Iudæam, & Cappadóciam, Pontum, & A'ſiam, Phrýgiam, & Pamphýliam? Ægýptum & partes Lýbiæ, quæ eſt circa Cyrénē, & áduenæ Románi? Iudæi quoque & proſélyti? Cretes & A'rabes audíuimus eos loquéntes noſtri linguis: magnália Dei.

A lleluia. ℣. Veni Sancte Spíritus, reple tuórum corda fidélium: & tui amóris in eis igne accénde.

A lleluia. ℣. Paraclétus Spíritus Sanctus quem mittet Pater in nómine meo: ille vos docebit omnem veritátem, allelúia.

Secúndum Ioánnem. Cap. 14.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Si quis díligit me: ſermónem meum ſeruábit. Et Pater meus díliget eum: & ad eum veniémus, & manſiónem apud eū faciémus. Qui non díligit me: ſermónes meos non ſeruat. Et ſermónē, quem audíſtis, non eſt meus: ſed eius, qui miſit me, Patris. Hæc locútus ſum vobis: apud vos manens. Paraclétus autem Spíritus Sanctus, quem mittet Pater in nómine meo: ille vos docébit ómnia, & ſúggeret vobis ómnia, quæcúnque díxero vobis. Pacem relínquo vobis: pacem meam do vobis. Non quómodo mūdus dat: ego do vobis. Non turbétur cor veſtrum: neque formídet. Audíſtis quia ego dixi vobis: vado, & vénio ad vos. Si diligerétis me, gauderétis vtique, quia vado ad Patrē: quia Pater maior me eſt. Et nunc dixi vobis, priúſquam fiat: vt cùm factū fúerit, credátis. Iam non multa loquar vobíſcum. Venit enim princeps mundi huius: & in me nō habet quicquam. Sed vt cognóſcat mundus, quia díligo Patrem: & ſicut mandátum dedit mihi Pater: ſic fácio. Credo.

Offertorium. Confirma hoc Deus, quod operátus es in nobis, à templo tuo, quod eſt in Ieruſalem, tibi ófferent Reges múnera, allelúia. Secreta.

MV'nera Dómine, quǽſumus, obláta ſanctífica:& corda noſtra Sancti Spíritus illuſtratióne emúnda.Per.eiúſdem.

Præfatio. Qui aſcéndens. Communicántes. Hanc ígitur. Quæ dicuntur per octa. ad vtramque Miſſam.

Communio. Factus eſt repénte de cœlo ſonus adueniéntis ſpíritus vehemẽtis vbi erãt ſedéntes, allelúia, & repléti ſunt omnes Spíritu Sancto loquéntes magnália Dei, allelúia, allelúia. Poſtcommunio.

SAncti Spíritus, Dómine, corda noſtra mundet infúſio⁊& ſui roris íntima aſperſióne fœcúndet. Per. eiúſdem.

FERIA SECVNDA.

Statio ad S. Petrum ad Vincula.

Introitus.

CIbáuit eos ex ádipe fruménti, allelúia: & de petra melle ſaturáuit eos, allelúia, allelúia, allelúia.

Pſalm. Exultáte Deo adiutóri noſtro: iubiláte Deo Iácob.

Collecta.

DEus, qui Apóſtolis tuis Sãctum dediſti Spíritum⁊ cõcéde plebi tuæ piæ petitiónis effe͂ctum: vt quibus dediſti fidem⁊ largiáris & pacẽ. Per. eiúſdem.

Léctio Actuum Apoſtolórum. Cap. 10.

IN diébus illis: Apériens Petrus os ſuum, dixit. Viri fratres, & patres: nobis præcépit Dóminus prædicáre pópulo, & teſtificári, quia ipſe eſt, qui conſtitútus eſt à Deo iudex viuórum, & mortuórum. Huic omnes Prophétæ teſtimóniũ pérhibẽt: remiſſiónem peccatórum accípere per nomen eius, omnes qui credunt in eum. Adhuc loquénte Petro verba hæc: cécidit Spíritus Sanctus ſuper omnes, qui audiébant verbum. Et obſtupuérunt ex circunciſióne fidéles, qui vénerãt cum Petro: quia & in natiónes grátia Spíritus Sancti effúſa eſt. Audiébant enim illos loquéntes linguis: & magnificántes Deum. Tunc reſpóndit Petrus. Nũquid aquam quis prohibére poteſt, vt non baptizéntur hi, qui Spíritum Sanctum accepérunt, ſicut & nos? Et iuſſit eos baptizári: in nómine Dómini noſtri Iéſu Chriſti.

Allelúia. ℣. Emítte Spíritum tuum, & creabúntur: & renouábis fáciem terræ.

Allelúia. ℣. Spíritus Sanctus procédens à throno Apoſtolórum péctora inuiſíbili hódie perluſtráuit poténtia, allelúia.

Secúndum Ioannem. Cap. 3.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Sic Deus diléxit mundum, vt Filium ſuum Vnigénitum daret: vt omnis, qui credit in ipſum, non péreat, ſed hábeat vitam ætérnam. Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, vt iúdicet mundum: ſed vt ſaluétur mundus per ipſum. Qui credit in eum: non iudicátur. Qui autem non credit, iam iudicátus eſt: quia non credit in nómine Vnigéniti Filij Dei. Hoc eſt autem iudícium: quia lux venit in mũdum, & dilexérũt hómines magis ténebras, quàm lucem. Erant enim eórũ mala ópera. Omnis enim, qui malè agit, odit lucem: & non venit ad lucem, vt non arguántur ópera eius. Qui autem facit veritátem, venit ad lucem: vt manifeſténtur ópera eius: quia in Deo ſunt facta.

Offertorium. Intónuit de cœlo Dóminus, & Altíſſimus dedit vocem ſuam: & apparuérunt fontes aquárum, allelúia.

Secreta.

PRopítius, quǽſumus, Dómine hæc dona ſanctífica: & hóſtiæ

ſpiritális oblatióne ſuſcépta, noſmetipſos tibi pérfice munus ætérnũ. Per Dóminum.

Communio. Spíritus Sanctus docébit vos, allelúia, quæcúnque díxero vobis, allelúia, allelúia. Poſtcommunio.

ADéſto Dómine, quæſumus, pópulo tuo: & quẽ myſtériis cœléſtibus imbuíſti ꝛ ab hóſtium furóre defénde. Per Dóminum.

FERIA TERTIA.

Statio ad S. Anaſtaſiam.

Introitus.

ACcípite iucunditátem glóriæ veſtræ, allelúia: grátias agéntes Deo, allelúia: qui vos ad cœléſtia regna vocáuit, allelúia, allelúia, allelúia.

Pſalmus. Atténdite pópule meus legem meam: inclináte aurem veſtrã in verba oris mei. Collecta.

ADſit nobis, Dómine, quæſum' virtus Spíritus Sancti: quæ & corda noſtra cleménter expúrgetꝛ & ab ómnibus tueátur aduérſis. Per eiúſdem.

Léctio Actuum Apoſtolórum. Cap. 8.

IN diébus illis: Cùm audíſsẽt Apóſtoli qui erant Ieroſólymis, quia recépit Samária verbum Dei: miſérunt ad illos Petrum & Ioánnem. Qui cum veniſſent: orauérunt pro ipſis, vt accíperent Spíritũ Sanctum. Nõdum enim in quemquã illórum vénerat: ſed baptizáti tantum erant in nómine Dómini Iéſu. Tunc imponébant manus ſuper illos: & accipiébant Spíritum ſanctum.

Allelúia. ℣ſus. Loquebántur váriis linguis Apóſtoli magnália Dei. Allelúia. ℣. Non vos relínquam órphanos, vado, & vénio ad vos & gaudébit cor veſtrum, allelúia.

Secúndum Ioánnem. cap. 10.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Amen amen dico vobis: qui non intrat per óſtium in ouíle ouium, ſed aſcéndit aliúnde, ille fur eſt & latro. Qui autẽ intrat per óſtiũ: paſtor eſt óuium. Huic oſtiárius ápérit: & oues vocem eius aúdiunt. Et próprias oues vocat nominátim: & edúcit eas. Et cũ próprias oues emíſerit, ante eas vadit: & oues illum ſequúntur, quia ſciunt vocem eius. Aliénum autem non ſequúntur, ſed fúgiunt ab eo: quia non nouérunt vocẽ alienórum. Hoc prouérbium dixit eis Iéſus: illi autem non cognouérunt, quid loquerétur eis. Dixit ergo eis íterum Iéſus. Amen amen dico vobis: quia ego ſum óſtium óuium. Omnes, quotquot venérũt, fures ſunt, & latrónes: ſed non audiérunt eos oues. Ego ſum óſtium. Per me ſi quis introíerit ſaluábitur: & ingrediétur, & egrediétur, & páſcua inuéniet. Fur non venit niſi vt furétur: & mactet, & perdat. Ego veni vt vitam hábeant: & abundántiùs hábeant.

Offertorium. Portas cœli apéruit Dóminus, & pluit illis manna vt éderent, panem cœli dedit illis: panem Angelórum manducáuit homo, allelúia.

Secreta.

PVríficet nos, Dómine quæſum', múneris præſéntis oblátio: & dignos ſacra participatióne perficiat. Per Dóminum.

Communio. Spíritus qui à Patre procédit, allelúia: ille me clarificábit, allelúia, allel.

Poſtcommunio.

MEntes noſtras, quæſumus Dómine, Spíritus Sanctus diuínis réparet Sacraméntis ꝛ quia ipſe eſt remíſſio ómnium peccatórum. Per eiúſdem.

FERIA QVARTA.

Statio ad S. Mariam maiorem.

Ad primam Miſſam. Introitus.

DEus dum egrederéris corã pópulo tuo, allelúia, iter fáciẽs eis, allelúia: hábitãs in illis, allelúia, allelúia. Pſalmus. Exúrgat Deus, & diſſipéntur inimíci eius: & fúgiãt qui odérunt eum, à fácie eius.

Ad hanc miſſam non dicitur. Glória in excélſis. ſed dicitur ad maiorem miſſam, quæ celebratur ſicut in die Pentecoſt.

Hîc dicitur. Collecta

MEntes noſtras, quǽſumus, Dómine, Paraclétus qui à te procédit, illúminet; & indúcat in omnem, ſicut tuus promíſit Fílius, veritátem. Qui tecum viuit & regnat in vnitáte eiúſdem.

j. Léctio A'ctuum Apoſt. Cap. 2.

IN diébus illis. Stans Petrus cum vndecim: leuáuit vocem ſuam, & locútus eſt eis. Viri Iudǽi, & qui habitátis Ierúſalem vniuérſi: hoc vobis notum ſit, & aúribus percípite verba mea. Nõ enim (ſicut vos æſtimátis) hi ébrij ſunt, cùm ſit hora diéi tértia: ſed hoc eſt, quod dictum eſt per Prophétam Ióel. Et erit in nouíſſimis diébus, dicit Dóminus: effúndam de Spíritu meo ſuper omnem carnem; & prophetábunt filij veſtri, & filiæ veſtræ. Iúuenes veſtri viſiónes vidébunt: & ſenióres veſtri ſómnia ſomniábunt. Et quidem ſuper ſeruos meos, & ſuper ancillas meas in diébus illis effúndam de Spíritu meo: & prophetábunt. Et dabo prodígia in cœlo ſurſum; & ſigna in terra deórſum: & ſánguinẽ & ignẽ, & vapórem fumi. Sol conuertétur in ténebras, & Luna in ſánguinem: ántequam véniat dies Dómini magnus, & maniféſtus. Et erit omnis, quicúnque inuocáuerit nomen Dómini: ſaluus erit.

A llelúia. ℣. Spíritus Dómini replévit orbẽ terrárum: & hoc, quod cóntinet ómnia, ſciéntiam habet vocis.

Hîc non dicitur. Dóminus vobíſcum. ſed dicitur. Orémus. Collecta

PRæſta, quǽſumus, omnípotens Deus: vt Spíritus Sanctus aduéniens; templum nos glóriæ ſuæ dignánter inhabitándo perfíciat. Per Dóminum noſtrum. eiúſdem.

Léctio A'ctuum Apoſt. Cap. 5.

IN diébus illis: Per manus Apoſtolórum fiébant ſigna, & prodígia multa in plebe. Et erãt omnes vnanímiter: in pórticu Salomónis. Cæterórum autem nemo audébat coniúngere ſe illis: ſed magnificábat eos pópulus. Magis autem augebátur credéntium in Dómino multitúdo virórum, ac mulíerum: ita vt in platéas eiícerent infírmos, & pónerent in léctulis, & in grabátis, vt veniénte Petro, ſaltẽ vmbra illíus obumbráret quemquam illórum, & liberaréntur ab infirmitátibus ſuis. Concurrébat autem & multitúdo vicinárum ciuitátũ Ierúſalem: afferéntes ægros & vexátos à ſpíritibus immúndis: qui curabántur omnes.

A llelúia. ℣. Factus eſt repéntè de cœlo ſonus aduenientis ſpíritus vehementis, allel.

Secúndum Ioánnem. Cap 6.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Nemo poteſt veníre ad me: niſi Pater, qui miſit me, tráxerit eum. Et ego reſuſcitábo eum: in nouíſſimo die. Eſt ſcriptum in Prophétis: erunt omnes docíbiles Dei. Omnis qui audíuit à Patre & dídicit: venit ad me. Non quia Patrẽ vidit quíſquam: niſi is, qui eſt à Deo, hic vidit Patrem. Amen amen dico vobis: qui credit in me, habet vitam ætérnam. Ego ſum panis vitæ. Patres veſtri manducauérunt manna in deſérto:

& mórtui

& mórtui ſunt. Hic eſt panis de cœlo deſcéndens: vt ſi quis ex ipſo manducáuerit, non moriátur. Ego ſum panis viuus: qui de cœlo deſcéndi. Si quis manducáuerit ex hoc pane: viuet in ætérnum. Et panis, quem ego dabo, caro mea eſt: pro mundi vita.

Offertorium. **M editábor in mandátis tuis, quæ diléxi valde: & leuábo manus meas ad mandáta tua, quæ diléxi, allelúia.** Secreta.

ACcipe, quǽſum⁹, Dómine, munus oblátum, & dignánter operáre: vt quod myſtériis ágimus, piis afféctibus celebrémus. Per Dóminũ.

Communio. **P acem meã do vobis allelúia: pacem relínquo vobis, allelúia, allelúia.**

Poſtcommunio.

SVméntes, Dómine, cœléſtia ſacraménta ⁊ quǽſumus clementiam tuam: vt quod temporáliter gérimus ⁊ ætérnis gaúdiis conſequámur. Per Dóminum.

FERIA QVINTA.

Statio ad S. Laurentium extra muros.

Introitus, & cætera omnia, vt in die præter Epiſtolam & Euangel. & Credo. non enim dicitur, fiant commemorationes Sanctorum occurrentium.

Léctio A'ctuum Apoſt. Cap. 8.

IN diébus illis: Philíppus deſcéndens in ciuitátem Samáriæ: prædicábat illis Chriſtum. Intendébãt autem turbæ his, quæ à Philíppo dicebántur: vnanímiter audiéntes, & vidéntes ſigna, quæ faciébat. Multi enim eórum, qui habébant ſpíritus immúndos: clamántes voce magna, exíbant. Multi autem paralýtici, & claudi: curáti ſunt. Factum eſt ergo magnum gaúdium: in illa ciuitáte.

Secúndum Lucam. Cap. 9.

IN illo témpore: Conuocátis Ieſus duódecim Apóſtolis: dedit illis virtútem, & poteſtátem ſuper ómnia dæmónia, & vt languóres curárẽt. Et miſit illos prædicáre regnum Dei: & ſanáre infirmos. Et ait ad illos. Nihil tuléritis in via: neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecúniam, neque duas túnicas habeátis. Et in quamcúnque domum intrauéritis: ibi manéte, & inde ne exeátis. Et quicúnque non recéperint vos: exeúntes de ciuitáte illa, étiam púluerem pedum veſtrórum excútite, in teſtimónium ſuper illos. Egréſſi autem circuíbant per caſtélla euangelizántes: & curántes vbique.

FERIA SEXTA.

Statio ad SS. duodecim Apoſtolos.

Introitus.

REpleátur os meũ laude tua, allelúia, vt poſſim cãtáre, allelúia: gaudébũt lábia mea, dum cantáuero tibi, allelúia, allelúia. Pſalmus. **I n te Dómine, ſperáui, non confúndar in ætérnum: in iuſtítia tua líbera me, & éripe me.** Hic non dicitur Glória in excélſis Deo. Collecta

DA, quǽſumus, Eccléſiæ tuæ miſéricors Deus: vt Spíritu Sancto congregáta ⁊ hoſtíli nullátenus incurſióne turbétur. Per. eiúſdem.

Léctio A'ctuum Apoſt. Cap. 2.

IN diébus illis: Apériens Petrus os ſuum, dixit. Viri Iſraëlítæ: audíte verba hæc. Ieſum Nazarénũ virum approbátum à Deo in vobis, virtútibus, & ſignis, & prodígiis, quæ fecit per illum Deus in médio veſtri, ſicut vos ſcitis: hunc definíto conſílio, & præſciéntia Dei tráditum, per manus iniquórũ affigéntes interemíſtis. Quem Deus ſuſcitáuit, ſolútis dolóribus inférni: iuxta quod impoſſíbile erat tenéri illum ab eo. Dauid enim dicit in eum. Prouidébam Dóminum coram me ſemper: quóniã à dextris eſt mihi, ne cõmóuear. Propter hoc lætátum eſt cor meum,

Digitized by Google

& exultáuit lingua mea, inſuper & caro mea requiéſcet in ſpe: quóniã non derelínques ánimam meam in inférno, neque dabis Sanctum tuũ vidére corruptiónem. Notas mihi fecíſti vias vitæ: replébis me iucunditáte: cum fácie tua.

Allelúia. ℣. Cháritas Dei diffúſa eſt in córdibus noſtris, per Spíritum Sanctum, qui datus eſt nobis. Allelúia.

℣ſus. Veni Sancte Spíritus, reple tuórum corda fidélium: & tui amóris in eis ignem accénde. Allelúia.

Secúndum Lucam. Cap. 5.

IN illo témpore: Factũ eſt in vna diérum: & Iéſus ſedébat docens. Et erant Phariſǽi ſedéntes, & Legis Doctóres, qui vénerant ex omni caſtéllo Galilǽæ, & Iudǽæ, & Ierúſalem: & virtus Dómini erat ad ſanándum eos. Et ecce viri portantes in lecto hóminem, qui erat paralýticus: & quærébant eum inférre, & pónere ante eum. Et non inueniéntes, qua parte illũ inférrent, præ turba: aſcendérunt ſupra tectum, & per tégulas ſummiſérunt eum, cum lecto in médium ante Iéſum. Quorum fidem vt vidit: dixit. Homo: remittúntur tibi peccáta tua. Et cœpérunt cogitáre Scribæ & Phariſǽi: dicéntes. Quis eſt hic, qui lóquitur blaſphémias? Quis poteſt dimíttere peccáta, niſi ſolus Deus? Vt cognóuit autem Iéſus cogitatiónes eórum: reſpóndens dixit ad illos. Quid cogitátis mala in córdibus veſtris? Quid eſt facílius dícere, dimittúntur tibi peccáta, an dícere ſurge, & ámbula? Vt autem ſciátis, quia Fílius hóminis poteſtátem habet in terra dimíttere peccáta ait paralýtico. Tibi dico, ſurge: tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et conféſtim ſurgẽs coram illis, tulit lectum, in quo iacébat: & ábiit in domum ſuam, magníficãs Deum. Et ſtupor apprehéndit omnes: & magnificábant Deum. Et repléti ſunt timóre, dicéntes: quia vídimus mirabília hódie.

Offertorium. Lauda ánima mea Dóminum: laudábo Dóminum in vita mea: pſallã Deo meo quándiu ero, allelúia. Secreta.

SAcrifícia, Dómine, tuis obláta conſpéctibus ignis ille diuínus abſúmat, qui diſcipulórum Chriſti tui, per Spíritum Sanctum, corda ſuccéndit. Per eúndem. eiúſdem.

Præfatio &c. vt in die.

Communio. Spíritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, allelúia: ſed non ſcis vnde véniat, aut quò vadat, allelúia, allelúia, allelúia. Poſtcommunio

SV'mpſimus, Dómine, ſacri dona myſtérij humíliter deprecántes: vt, quæ in tui cõmemoratióne nos fácere præcepíſti: in noſtræ profíciant infirmitátis auxílium. Qui viuis & regnas cum Deo Patre.

SABBATO IN XII. lectionibus.

Statio ad S. Petrum.

Introitus

CHáritas Dei diffúſa eſt in córdibus noſtris, allelúia: per inhabitántẽ Spíritum eius in nobis, allelúia, allelúia.

Pſalmus. Dómine Deus ſalútis meæ: in die clamáui, & nocte coram te. Hîc non dicitur Glória in excélſis. nec Dóminus vobíſcum. ſed Orémus.

ME'ntibus noſtris, quǽſumus, Dómine Spíritum Sanctum benígnus infúnde: cuius & ſapiéntia cónditi ſumus: & prouidéntia gubernámur. Per Dóminum. in vnitáte eiúſdem.

j. Léctio Ioélis Prophétæ. Cap. 2.

HÆc dicit Dómin⁹ Deus. Effúndam de Spíritu meo ſuper omnem carnem: & prophetábunt fílij veſtri, & fíliæ veſtræ. Senes veſtri

ſómnia

ſómnia ſomniábunt: & iúuenes veſtri viſiónes vidébunt. Sed & ſuper ſeruos meos, & ancíllas meas in diébus illis effúndam de Spíritu meo: & dabo prodígia in cœlo & in terra: & ſánguinē, & ignem, & vapórem fumi. Sol conuertétur in ténebras, & luna in ſánguinem: ántequam véniat dies Dómini magnus, & maniféſtus. Et erit, omnis quicúnque inuocáuerit nomen Dómini: ſaluus erit. A lleluia. ℣. Emítte Spíritum tuum, & creabúntur: & renouábis fáciem terræ.

O rémus.

I Llo nos igne, quæſumus, Dómine, Spíritus Sanctus inflámmet: quem Dóminus noſter Ieſus Chriſtus miſit in terram, & vóluit veheménter accéndi. Qui tecum viuit, & regnat in vnitáte eiúſdem Spíritus.

ij. Léctio libri Deuteronómij. cap. 16.

I N diébus illis: Dixit Móyſes fíliis Iſráel. Septem hebdómadas numerábis tibi, à die, qua falcem in ſégetem míſeris, & celebrábis diem feſtum hebdomadárum Dómino Deo tuo oblatiónem ſpontáneam manus tuæ quam ófferes iuxta benedictiónē Dómini Dei tui: & epuláberis coram Dómino Deo tuo, tu, & fílius tuus, & fília tua, & ſeruus tuus, & ancílla tua, & Leuítes, qui eſt intra portas tuas: & áduena, ac pupíllus, & vídua, qui morántur vobíſcum in loco, quem elégerit Dóminus Deus tuus, vt hábitet nomen eius ibi: & recordáberis quóniā ſeruus fúeris in Ægýpto: cuſtodiéſque, ac fácies quæ præcépta ſunt. Solemnitátē quoque tabernaculórum celebrábis per ſeptem dies, quādo collégeris de área, & de torculári fruges tuas: & epuláberis in feſtiuitáte tua, tu & fílius tuus, & fília, & ſeruus tuus, & ancílla: Leuítes quoque, & áduena, & pupíllus, ac vídua: qui intra portas tuas ſunt. Septem diébus Dómino Deo tuo feſta celebrábis in loco, quē elégerit Dóminus: benedicétque tibi Dóminus Deus tuus in cunctis frúgibus tuis: & in omni ópere mánuum tuárum: eríſque in lætítia. Dicit Dóminus omnípotens.

A lleluia ℣ ſus. Loquebántur váriis linguis Apóſtoli magnália Dei. O rémus.

D Eus, qui ad animárum medélam ieiúnij deuotióne caſtigári córpora præcepíſti: concéde nobis propítius & mente & córpore ſemper tibi eſſe deuótos. Per Dóminum.

iij. Léctio libri Deuteronómij.

Cap. 26.

I N diébus illis: Dixit Móyſes. Audi Iſráel: quæ ego præcípio tibi hódie. Cùm intráueris terram, quam Dóminus Deus tuus tibi datúrus eſt poſſidéndam, & obtinúeris eam, atque habitáueris in illa: tolles de cūctis frúgibus tuis primítias, & pones in cartállo: pergénſque ad locum, quem Dóminus Deus tuus elégerit, vt ibi inuocétur nomen eius: accédes ad Sacerdótem, qui fúerit in diébus illis: & dices ad eum. Profitéor hódie coram Dómino Deo tuo qui exaudíuit nos, & reſpéxit humilitátem noſtram, & labórem, atque angúſtiam, & edúxit nos de Ægýpto in manu forti, & bráchio exténto: in ingénti pauóre, in ſignis atque porténtis: & introdúxit ad locum iſtum, & trádidit nobis terrā lacte, & melle manántē. Et idcírco nunc óffero primítias frugum terræ: quā Dóminus Deus dedit mihi. Et dimíttes eas in conſpéctu Dómini Dei tui: & (adoráto Dómino Deo tuo) epuláberis in ómnibus bonis, quæ Dóminus Deus tuus déderit tibi.

A lleluia. ℣. Factus eſt repénte de cœlo ſonus adueniéntis ſpíritus veheméntis.

O rémus.

P Ræſta, quæſumus, omnípotens Deus: vt ſalutáribus ieiúniis erudíti, ab ómnibus étiam vítiis abſti-

néntes⁊& propitiatiónem tuam facíliùs impetrémus. Per Dóminum.

iiij. Léctio libri Leuítici. Cap. 26.

IN diébus illis: Dixit Dóminus ad Móyſen. Si in præcéptis meis ambulauéritis, & mandáta mea cuſtodiéritis, & fecéritis ea: dabo vobis plúuias tempóribus ſuis⁊& terra gignet germen ſuum: & pomis árbores replebúntur. Apprehéndet méſſium tritúra vindémiam: & vindémia occupábit seméntem. Et comedétis panem veſtrum in ſaturitáte: & abſq; pauóre habitábitis in terra veſtra. Dabo pacē in finibus veſtris: dormiétis, & non erit, qui extérreat. Aúferam malas béſtias: & gládius non tranſíbit términos veſtros. Perſequímini inimícos veſtros: & córruent coram vobis. Perſequéntur quinque de veſtris centum aliénos: & céntum ex vobis decē míllia. Cadent inimíci veſtri in conſpéctu veſtro, gládio. Reſpíciā vos, & créſcere fáciam: multiplicabímini, & firmábo pactum meum vobíſcum. Comedétis vetuſtíſſima véterum: & vetera nouis ſuperueniéntibus proiiciétis. Ponam tabernáculum meum in médio veſtri: & non abiíciet vos ánima mea. Ambulábo inter vos, & ero veſter Deus: voſque éritis pópulus meus. Dicit Dóminus omnípotens. Allelúia, ℣. **Veni Sancte Spíritus reple tuórum corda fidélium: & tui amóris in eis ignem accénde.** Orémus.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus, ſic nos ab épulis carnálibus abſtinére ⁊ vt à vítiis irruéntibus páriter ieiunémus. Per Dóminum.

v. Léctio Daniélis Prophétæ. Cap. 3.

IN diébus illis: Angelus Dómini deſcéndit cū Azaría & ſóciis eius in fornácem ⁊ & excúſſit flammam ignis de fornáce: & fecit médiū fornácis quaſi ventum roris flantem. Flamma autem diffúſa eſt ſuper fornácem cúbitis quadraginta nóuem: & incéndit, quos réperit iuxta fornácem de Chaldǽis, miníſtros Regis, qui eam incendébant. Illos autem omnínò non tétigit ignis, neque cōtriſtáuit: nec quicquā moléſtiæ íntulit. Tunc hi tres quaſi ex vno ore hymnum dicébant: & magnificábant Deum in fornáce, dicéntes.

Allelúia, ℣. **Benedíctus es Dómine Deus patrum noſtrórum: & laudábilis in ſæcula.** Hic dicitur **Dóminus vobíſcū.** Orémus.

DEus, qui tribus púeris mitigáſti flammas ígnium ⁊ cōcéde propítius, vt nos fámulos tuos non exúrat flamma vitiórum. Per Dóminū.

Sequitur collecta de feſto occurrēt. vel pro præſenti defunct. ſi contigerit, deinde **Concéde nos fámulos.** nec vlla ampliùs.

Léctio Actuum Apoſtolórū Cap. 13.

IN diébus illis: Conuénit vniuérſa ciuitas audíre verbū Dómini. Vidéntes autem turbas Iudǽi, repléti ſunt zelo: & contradicébāt his, quæ à Paulo dicebántur, blaſphemántes. Tunc conſtánter Paulus & Bárnabas dixérunt. Vobis oportébat primùm loqui verbum Dei: ſed quóniam repéllitis illud, & indígnos vos iudicátis ætérnæ vitæ, ecce conuértimur ad Gentes. Sic enim præcépit nobis Dóminus. Póſui te in lucem Géntibus: vt ſis in ſalútem vſque ad extrémum terræ. Audiéntes autem Gentes gauíſæ ſunt, & glorificábant verbum Dómini: & credidérunt quotquot erant præordináti ad vitam ætérnam. Diſſeminabátur autem verbum Dómini: per vniuérſam regiónē. Diſcípuli autem replebántur gaúdio: & Spíritu Sancto.

Allelúia, ℣. **Laudáte Dóminū omnes Gentes, & collaudáte eū omnes pópuli, allelúia**

Secúndum Lucam. Cap. 4.

IN illo témpore: Surgens Iéſus de Synagóga: introíuit in domū Simónis. Socrus autem Simónis: tenebátur magnis fébribus. Et rogauérūt illum pro ea. Et ſtans ſuper illam

imperáuit febri: & dimíſit illam. Et contínuò ſurgens: miniſtrábat illis. Cùm ſol autẽ occidíſſet: omnes, qui habébant infirmos váriis languóribus, ducébant illos ad eum. At ille ſíngulis manus impónens: curábat eos. Exíbãt autem dæmónia à multis clamántia, & dicéntia: quia tu es Fílius Dei. Et íncrepans non ſinébat ea loqui: quia ſciébant ipſum eſſe Chriſtum. Facta autem die, egréſſus ibat in deſértum locum: & turbæ requirébant eum. Et venérunt vſque ad ipſum: & detinébant illum, ne diſcéderet ab eis. Quibus ille ait. Quia & áliis ciuitátibus opórtet me euangelizáre regnũ Dei: quia ídeo miſſus ſum. Et erat prædicans: in Synagógis Galilǽæ.

Offertorium. Dómine Deus ſalútis meæ, in die clamáui, & nocte coram te: intret orátio mea in conſpéctu tuo, Dómine, allelúia.

Secreta.

VT accépta tibi ſint, Dómine, noſtra ieiúnia, præſta nobis, quæſumus, hui' múnere ſacraménti, purificátum tibi pectus offérre. Per Dóminum. Præfatio, &c. vt in die

Communio. Non vos relínquam órphanos, véniam ad vos íterum, allelúia: & gaudébit cor veſtrum, allelúia, allelúia.

Poſtcommunio.

PRæbeant nobis, Dómine diuínum tua ſancta feruórem: quo eórum páriter & actu delectémur, & fructu. Per Dóminum.

DOMINICA PRIMA POST Pentecoſten fit de Sanctiſſima Trinitate. Introitus.

BEnedícta ſit ſancta Trínitas, atq; indiuíſa vnitas, confitébimur ei, quia fecit nobíſcum miſericórdiam ſuam.

Pſalmus. Benedicámus Patrem, & Fílium: cum Sancto Spíritu. Collecta.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui dedíſti fámulis tuis, in confeſſióne veræ fídei, ætérnæ Trinitátis glóriam agnóſcere: & in poténtia maieſtátis adoráre vnitátẽ: quæſumus, vt eiúſdem fídei firmitáte ab ómnibus ſemper muniámur aduérſis. Per Dóminum.

Ad Corinthios. 2.Cap.13.

FRatres: Gaudéte: perfécti eſtóte: exhortámini, idem ſápite. Pacẽ habéte: & Deus dilectiónis, & pacis erit vobíſcum. Grátia Dómini noſtri Iéſu Chriſti: & cháritas Dei: & communicátio Sancti Spíritus: ſit cum ómnibus vobis.

℟. Benedíctus es Dómine, qui intuéris abyſſos, & ſedes ſuper Chérubin. ℣. Benedíctus es Dómine, in firmaménto cœli, & laudábilis in ſæcula, allelúia.

℣. Benedíctus es Dómine Deus patrũ noſtrórum, & laudábilis in ſæcula, allelúia.

Secúndum Ioánnem. Cap.15.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Cùm vénerit paraclétus, quem ego mittã vobis à Patre: Spíritum veritátis, qui à Patre procédit: ille teſtimónium perhibébit de me. Et vos teſtimónium perhibébitis: quia ab inítio mecum eſtis. Hæc lo- cap 16.
cútus ſum vobis: vt non ſcandalizémini. Abſque Synagógis fácient vos. Sed venit hora: vt omnis, qui intérficit vos, arbitrétur obſéquium ſe præſtáre Deo. Et hæc fácient vobis: quia non nouérunt Patrem, neque me. Sed hæc locútus ſum vobis: vt cùm vénerit hora, eórum reminiſcámini: quia ego dixi vobis.

Offertorium. Benedíctus ſit Deus Pater, vnigenitúſque Dei Fílius, Sanctus quoque Spíritus, quia fecit nobíſcum miſericórdiam ſuam. Secreta.

SAnctífica, quæſumus, Dómine Deus noſter, per tui ſancti nóminis inuocatiónem, huius oblatiónis hóſtiam, & per eam noſmetípſos

tibi pérfice munus ætérnum. Per Dóminum noſtrum.

Præfatio. Qui cum vnigénito.

Communio. Benedícimus Deum cœli, & coram ómnibus viuéntibus confitébimur ei: quia fecit nobíſcum miſericórdiã ſuam.

Poſtcommunio.

PRofíciat nobis ad ſalútem córporis & ánimæ, Dómine Deus noſter, huius ſacraménti ſuſcéptio; & ſempitérnæ ſanctę Trinitátis confeſſio. Per Dóminum.

IN SOLEMNITATE Sacramenti Altaris.

Introitus.

CIbáuit eos ex ádipe fruménti, allelúia: & de petra melle ſaturáuit eos, allelúia, allelúia, allelúia. Pſalm. Exultáte Deo adiutóri noſtro: iubiláte Deo Iacob. Collecta.

DEus, qui nobis ſub Sacraménto mirábili paſſiónis tuæ memóriam reliquíſti; tríbue quæſumus: ita nos córporis & ſánguinis tui ſacra myſtéria venerári; vt reſurrectiónis tuæ fructum in nobis percípere mereámur. Qui viuis.

Léctio epiſtolæ. Ad Corinthios. 1. Cap. 11.

FRatres: Ego accépi à Dómino quod & trádidi vobis: quóniam Dóminus Iéſus, in qua nocte tradebátur accépit panẽ, & grátias agens fregit, & dixit. Accípite: & manducáte. Hoc eſt corpus meũ, quod pro vobis tradétur: hoc fácite in meam commemoratiónẽ. Simíliter & cálicem: poſtquam cœnáuit, dicens. Hic calix nouum teſtaméntum eſt in ſánguine meo: hoc fácite, quotieſcúmque bibétis, in meam commemoratiónem. Quotieſcúmque enim manducábitis panem hunc, & cálicem bibétis: mortem Dómini annuntiábitis, donec véniat. Itaque quicúnque manducáuerit panem, vel bíberit cálicem Dómini indígnè: reus erit córporis & ſánguinis Dómini. Probet autem ſeípſum homo: & ſic de pane illo edat, & de cálice bibat. Qui enim mandúcat & bibit indígnè: iudícium ſibi mandúcat & bibit: non diiúdicans corpus Dómini.

℟. Oculi ómnium in te ſperant Dómine: & tu das illis eſcam in témpore opportúno.

℣. Aperis tu manum tuam, & imples omne ánimal benedictióne. Allelúia.

℣. Demus glóriam Deo, quia venérunt núptiæ Agni, & vxor eius præparáuit ſe biſſíno ſplendénte cándido coopérta, allelúia.

Tempore Paſchali ſecundum Allelúia.

℣. O ſalutáris hóſtia, ſuauitátis épulum, de cœlo rorans cópia delitioſitátis, Abráhæ veri filius conuíuia perénnia fac præuia renátis, allelúia.

Secúndum Ioánnem. Cap. 6.

IN illo témpore: Dixit Iéſus turbis Iudæórum. Caro mea verè eſt cibus: & ſanguis meus verè eſt potus. Qui mãdúcat meam carnem, & bibit meum ſánguinem: in me manet, & ego in illo. Sicut miſit me viuens Pater: & ego viuo propter Patrem. Et qui mandúcat me: & ipſe viuet propter me. Hic eſt panis: qui de cœlo deſcéndit. Nõ ſicut manducauérunt patres veſtri manna: & mórtui ſunt. Qui mandúcat hunc panem: viuet in ætérnum. Credo.

Offertorium. Offerent filij Iſráel Dómino panes abſque ferménto, cũ hóſtia gratiárũ, quæ pro pacíficis immolátur: & qui mundus fúerit veſcétur ex ea, allelúia.

Secreta.

ECcléſiæ tuæ, quæſumus, Dómine vnitátis & pacis propítius dona concéde: quæ ſub oblátis munéribus myſticè deſignántur. Per Dó.

Præfatio. Quia per incarnati. vt in natali Domini.

Communio. Panem de cœlo dediſti nobis Dómine, habéntem omne delectaméntum, & omnem ſapórem ſuauitátis, allelúia, allelúia, allelúia.

Poſtcommunio.

FAc nos, quæſumus, Dómine diuinitátis tuæ ſempitérna fruitióne repléri ⁊ quam pretióſi córporis, & ſánguinis tui tēporális percéptio præfigúrat. Qui viuis & regnas.

DOMINICA SECVNDA.

Introitus.

DOmine in tua miſericórdia ſperáui: exultáuit cor meū in Salutári tuo: cātábo Dómino, qui bona tríbuit mihi.

Pſalmus. V'ſquequo Dómine obliuíſceris me in finem: vſquequo auértis fáciem tuam à me.

Collecta.

DEus in te ſperántium fortitúdo ⁊ adéſto propítius inuocatiónibus noſtris: & quia ſine te nihil poteſt mortális infírmitas ⁊ præſta auxílium grátiæ tuæ, vt in exequéndis mandátis tuis, & voluntáte tibi, & actióne placeámus. Per Dóminū noſtrum Ieſum Chriſtum.

Léctio epiſtolæ: beáti Ioánnis Apóſtoli. 1. Cap. 4.

CHariſſimi: Deus cháritas eſt. In hoc appáruit cháritas Dei in nobis: quóniam Filiū ſuum Vnigénitum miſit Deus in mundum, vt viuámus per eum. In hoc eſt cháritas: non quaſi nos dilexérimus Deū, ſed quóniam ipſe prior diléxit nos, & miſit Fílium ſuū propitiatiónem pro peccátis noſtris. Chariſſimi: ſi Deus diléxit nos: & nos debémus ínuicem dilígere. Deum nemo vidit vnquā. Si diligámus ínuicem: Deus in nobis manet, & cháritas eius in nobis perfécta eſt. In hoc intellígimus quóniā in eo manémus, & ipſe in nobis: quóniam de Spíritu ſuo dedit nobis. Et nos vídimus, & teſtificámur: quóniā Pater miſit Fílium ſuum Saluatórem mundi. Quiſquis conféſſus fúerit, quóniam Ieſus eſt Fílius Dei: Deus in eo manet, & ipſe in Deo. Et nos cognóuimus, & credídimus charitáti: quā habet Deus in nobis. Deus cháritas eſt. Et qui manet in charitáte, in Deo manet: & Deus in eo. In hoc perfécta eſt cháritas nobíſcum, vt fidúciam habeámus in die iudícij: quia ſicut ille eſt, & nos ſumus in hoc mundo. Timor non eſt in charitáte: ſed perfécta cháritas foras mittit timórem, quóniam timor pœnam habet. Qui autem timet: non eſt perféctus in charitáte. Nos ergo diligámus Deū: quóniā ipſe Deus prior diléxit nos. Si quis díxerit quóniam díligo Deū, & fratrem ſuum odit: mendax eſt. Qui enim nō díligit fratrem ſuum, quem videt: Deum, quem non videt, quómodo poteſt dilígere? Et hoc mandátum habémus à Deo: vt qui díligit Deum: díligat & fratrem ſuum.

℞. Ego dixi, Dómine miſerére mei, ſana ánimam meam, quóniam peccáui tibi.

℣. Beátus, qui intélligit ſuper egénū, & paúperem: in die mala liberábit eum Dóminus.

Allelúia. ℣. Verba mea aúribus pércipe Dómine, intéllige clamórē meum, allelúia.

Secúndum Lucam. Cap. 16.

IN illo témpore: Dixit Ieſus diſcípulis ſuis. Homo quidam erat diues, & induebátur púrpura, & byſſo: & epulabátur quotídie ſplendídè. Et erat quidam mendícus nómine Lázarus: qui iacébat ad iánuā eius, vlcéribus plenus, cúpiens ſaturári de micis, quæ cadébant de mēſa díuitis, & nemo illi dabat. Sed & canes veniébant: & lingébant vlcera eius. Factū eſt autem vt morerétur mendícus: & portarétur ab Angelis

n ſinum Abráhæ. Mórtuus eſt autem & diues: & ſepúltus eſt in inférno. E'leuans autē óculos ſuos, cùm eſſet in torméntis: vidit Abráham à longè, & Lázarū in ſinu eius. Et ipſe clamans, dixit. Pater Abráham, miſerére mei: & mitte Lázarum, vt intíngat extrémū dígiti ſui in aquam, vt refrígeret linguam meam, quia crúcior in hac flamma. Et dixit illi Abráham. Fili: recordáre, quia recepíſti bona in vita tua: & Lázarus ſimíliter mala. Nunc autem, hic conſolátur: tu verò cruciáris. Et in his ómnibus inter nos & vos chaos magnum firmátum eſt: vt hi, qui volunt hinc transíre ad vos, nō poſſint, neque inde huc tranſmeáre. Et ait. Rogo ergo te pater: vt mittas eum in domum patris mei. Hábeo enim quinque fratres, vt teſtétur illis: ne & ipſi véniant in locum hunc tormentórum. Et ait illi Abráham. Habent Móyſen, & Prophétas: áudiāt illos. At ille dixit. Non, pater Abráham: ſed ſi quis ex mórtuis íerit ad eos, pœniténtiam agent. Ait autem illi. Si Móyſen & Prophétas non áudiunt: neque ſi quis ex mórtuis reſurréxerit: credent.

Offertorium. Inténde voci oratiónis meæ Rex meus, & Deus meus, quóniam ad te orábo Dómine. Secreta.

HOſtias noſtras Dómine tibi dicátas placátus aſſúme: & ad perpétuum nobis tríbue proueníre ſubſídium. Per Dóminum.

Communio. Narrábo ómnia mirabília tua, lætábor, & exultábo in te pſallā nómini tuo Altíſſime. Poſtcommunio.

TAntis, Dómine, replétis munéribus præſta, quæſumus: vt & ſalutária dona capiámus: & à tua nunquam laude ceſſémus. Per Dóminū noſtrum Iéſum Chriſtum Filium tuum. Qui tecum.

DOMINICA TERTIA.

Introitus.

FActus eſt Dómin' protéctor meus, & edúxit me in latitúdinem: ſaluū me fecit, quóniam vóluit me. Pſalmus. Dilígam te Dómine virtus mea: Dóminus firmaméntum meum, & refúgium meum, & liberátor meus. Collecta.

SAncti nóminis tui Dómine, timórem páriter & amórē fac nos habére perpétuum: quia nunquam tua gubernatióne deſtítuis: quos in ſoliditáte tuæ dilectiónis inſtítuis. Per Dóminum.

Léctio epiſtolæ: beáti Ioánnis Apóſtoli. 1. Cap. 3.

CHariſſimi: Nolite mirári: ſi odit vos mundus. Nos ſcimus quóniam tranſláti ſumus: de morte ad vitam: quóniam dilígimus fratres. Qui non díligit: manet in morte. Omnis, qui odit fratrem ſuum: homicída eſt. Et ſcitis: quóniam omnis homicída nō habet vitam ætérnam in ſe manéntē. In hoc cognóſcimus charitátem Dei: quóniam ille pro nobis ánimam ſuam póſuit: & nos debémus pro frátribus ánimas pónere. Qui habúerit ſubſtántiam huius mundi, & víderit fratrem ſuum neceſſe habére, & cláuſerit víſcera ſua ab eo: quómodo cháritas Dei manet in eo? Filíoli mei: non diligámus verbo, neque lingua: ſed ópere, & veritáte.

℟. Ad Dóminum cùm tribulárer, clamáui, & exaudíuit me. ℣. Dómine líbera ánimam meam à lábiis iníquis, & à lingua dolóſa.

Allelúia. ℣. Deus iudex iuſtus, fortis, & pátiens: nunquid iráſcitur per ſíngulos dies, allelúia.

Secúndum Lucam. Cap. 14.

IN illo témpore: Dixit Ieſus diſcípulis ſuis ſimilitúdinem hanc. Homo

moquidam fecit cœnam magnam: & vocáuit multos. Et miſit ſeruum ſuum hora cœnæ dícere inuitátis, vt venírent: quia iam paráta ſunt ómnia. Et cœpérunt ſimul omnes excuſáre. Primus dixit illi. Villam emi: & neceſſe hábeo exíre, & vidére illam. Rogo te: habe me excuſátum. Et alter dixit. Iuga boum emi quinque: & eo probáre illa. Rogo te: habe me excuſátum. Et álius dixit. Vxórem duxi: & ídeo non poſſum veníre. Et reuérſus ſeruus: nuntiáuit hæc Dómino ſuo. Tũc irátus paterfamílias: dixit ſeruo ſuo. Exi citò in platéas, & vicos ciuitátis: & paúperes, ac débiles, cæcos, & claudos, intróduc huc. Et ait ſeruus, Dómine: factum eſt vt imperáſti: & adhuc locus eſt. Et ait Dóminus ſeruo. Exi in vias, & ſepes, & compélle intráre: vt impleátur domus mea. Dico autẽ vobis: quòd nemo virórum illórum, qui vocáti ſunt: guſtábit cœnam meam.

Offertorium. Dómine conuértere, & éripe ánimam meam: ſaluum me fac propter miſericórdiam tuam. Secreta.

OBlátio nos, Dómine, tuo nómini dicánda puríficet, & de die in diem ad cœléſtis vitæ tránsferat actiónem. Per Dóminum.

Communio. Cantábo Dómino, qui bona tríbuit mihi: & pſallam nómini Dómini Altiſſimi. Poſtcommunio.

SVmptis munéribus ſacris, quǽſumus, Dómine: vt cum frequẽtatióne myſtérij ꝛ creſcat noſtræ ſalútis effectus. Per Dóminum.

DOMINICA QVARTA.

Introitus.

RE'ſpice in me, & miſerére mei Dómine: quóniã vnicus, & pauper ſum ego, vide humilitátẽ meam, & labórem meũ: & dimítte ómnia peccáta mea Deus meus. Pſalmus. Ad te Dómine leuáui ánimam meam: Deus meus in te confído, non erubéſcam. Collecta.

DEprecatiónem noſtram, quǽſumus, Dómine benígnus exaúdi: & quibus ſupplicándi præſtas affectum ꝛ tríbue defenſiónis auxílium. Per Dóminum.

Léctio epiſtolæ beáti Petri Apóſtoli. 1. Cap. 5.

CHariſſimi: Humiliámini ſub poténti manu Dei, vt vos exáltet in témpore viſitatiónis: omnem ſolicitúdinem veſtram proiiciéntes in eum, quóniam ipſi cura eſt de vobis. Sóbrij eſtóte, & vigiláte: quia aduerſárius veſter diábolus, tanquam leo rúgiens, círcuit quærens quem déuoret. Cui reſiſtite fortes in fide: ſciéntes eándem paſſiónem ei, quæ in mundo eſt, veſtræ fraternitáti fíeri. Deus autem omnis grátiæ, qui vocáuit nos in ętérnam ſuam glóriam, in Chriſto Ieſu módicum paſſos: ipſe perfíciet, confirmábit, ſolidabítque. Ipſi glória & impérium: in ſǽcula ſæculórum. Amen.

℟. Iacta cogitátum tuum in Dómino, & ipſe te enútriet. ℣. Dum clamárem ad Dóminum, exaudíuit vocem meam ab his, qui appropínquant mihi.

Allelúia. ℣. Díligã te Dómine virtus mea: Dóminus firmaméntũ meum, & refúgium meum, & liberátor meus, allelúia.

Secúndum Lucam. Cap. 15.

IN illo témpore: Acceſſérunt ad Iéſum publicáni, & peccatóres: vt audírent illũ. Et murmurábant Phariſǽi & ſcribę, dicéntes: quia hic peccatóres récipit, & mandúcat cũ illis. Et ait ad illos parábolam iſtam: dicens. Quis ex vobis homo, qui habet cẽtum oues? Et ſi perdíderit vnã ex illis: nonne dimíttit nonagintanóuem in deſérto, & vadit ad illam, quæ períerat, donec inuéniat illam? Et cùm inuénerit eam: impónit in

húmeros ſuos gaudens. Et véniens domum: cónuocat amícos, & vicínos, dicens illis. Cōgratulámini mihi: quia inuéni ouem meã, quæ períerat. Dico vobis: quòd ita gaúdiũ erit in cælo ſuper vno peccatóre pœniténtiam agénte, quàm ſuper nonagínta nouem iuſtis, qui non índigent pœniténtia. Aut quæ múlier habens dragmas decem, ſi perdíderit dragmam vnam, nonne accéndit lucérnam, & euértit domum, & quærit diligénter, donec inuéniat? Et cùm inuénerit: cónuocat amícas, & vicínas, dicens. Congratulámini mihi: quia inuéni dragmam, quam perdíderam. Ita dico vobis. gaúdiũ erit coram A'ngelis Dei, ſuper vno peccatóre: pœniténtiam agénte.

Offertorium. Sperent in te omnes, qui novérunt nomẽ tuum, Dómine, quóniam non derelínquis quæréntes te: pſállite Dómino, qui hábitat in Sion, quóniam nõ eſt oblítus oratiónem paúperum. Secreta.

MV'nera Dómine obláta ſanctífica, vt tui nobis Vnigéniti corpus & ſanguis fiant. Per eúndem.

Communio. Ego clamáui, quóniam exaudíſti me Deus: inclína aurem tuã, & exáudi verba mea. Poſtcommunio.

HÆc nos commúnio, Dómine, purget à crímine: & cœléſtis remédij fáciat eſſe conſórtes. Per Dóminum noſtrum.

DOMINICA QVINTA.

Introitus.

DO'minus illuminátio mea, & ſalus mea: quẽ timébo? Dóminus defénſor vitæ meæ: à quo trepidábo? qui tríbulãt me inimíci mei infirmáti ſunt, & cecidérunt. Pſalmus. Vnam pétij à Dómino, hãc requíram: vt inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ. Collecta.

PRotéctor in te ſperántiũ Deus, ſine quo nihil eſt válidum, nihil ſanctum: multíplica ſuper nos miſericórdiam tuam: vt te rectóre, te duce, ſic tranſeámus per bona temporália: vt non amittámus ætérna. Per Dóminum.

Ad Romános. Cap. 8.

FRatres: Exíſtimo quòd non ſunt condígnæ paſſiónes huius témporis: ad futúram glóriam, quæ reuelábitur in nobis. Nam expectátio creatúræ: reuelatiónem filiórũ Dei expéctat. Vanitáti enim creatúra ſubiécta eſt non volens, ſed propter eum, qui ſubiécit eam in ſpe: quia & ipſa creatúra liberábitur à ſeruitúte corruptiónis, in libertátem glóriæ filiórũ Dei. Scimus enim quòd omnis creatúra ingemíſcit: & párturit vſque adhuc. Non ſolũ autem illa: ſed & noſipſi primítias Spíritus habéntes, & ipſi intra nos gémimus, adoptiónem filiórum expectántes, redemptiónem córporis noſtri. In Chriſto Ieſu: Dómino noſtro.

℟. Propítius eſto Dómine peccátis noſtris: nequándo dicant Gentes, vbi eſt Deus eórum. ℣. A'diuua nos Deus Salutáris noſter: & propter honórem nóminis tui Dómine, líbera nos.

Allelúia. ℣ Dómine in virtúte tua lætábitur Rex: & ſuper Salutáre tuum exultábit veheménter, allelúia.

Secúndum Matthǽum. Cap. 6.

IN illo témpore: Dixit Ieſus diſcípulis ſuis. Eſtóte miſericórdes: ſicut & Pater veſter miſéricors eſt. Nolíte iudicáre: & non iudicabímini. Nolíte condemnáre: & non condemnabímini. Dimíttite: & dimittémini. Date: & dábitur vobis. Menſúram bonam & cõfértam, & coagitátam, & ſupereffluéntem: dabũt in ſinum veſtrum. Eádem quippe menſúra, qua menſi fuéritis: remetiétur vobis. Dicébat autem & illis

ſimilitúdinem.

ſimilitúdinē. Nunquid poteſt cæcus cæcum dúcere? Nonne ambo in fóueam cadunt? Non eſt diſcípulus ſuper magíſtrum. Perféctus autem omnis erit: ſi ſit ſicut magíſter eius. Quid autem vides feſtúcā in óculo fratris tui, trabem autē, quę in óculo tuo eſt, non consíderas? Et quómodo potes dícere fratri tuo, frater ſine, eiíciam feſtúcam de óculo tuo ipſe in óculo tuo trabem non vides? Hypócrita: éiice primùm trabē de óculo tuo: & tunc perſpícies, vt edúcas feſtúcā: de óculo fratris tui.

Offertorium. **Illúmina óculos meos, nequándo obdórmiam in morte: nequándo dicat inimícus meus, præuálui aduérſus eū.**

Secreta.

RE'ſpice Dómine múnera ſupplicántis Eccléſiæ & ſalúti credéntium perpétua ſanctificatióne ſuménda concéde. Per Dóminum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Communio. **Dóminus firmaméntū meum, & refúgium meum, & liberátor meus, Deus meus adiútor meus.**

Poſtcommunio.

SAncta tua nos Dómine, ſumpta viuíficent, & miſericórdiæ, ſempitérnæ præparent expiátos. Per Dóminum noſtrum Iéſum Chriſtum.

DOMINICA SEXTA.

Introitus.

EXaúdi Dómine vocem meam, qua clamáui ad te: adiútor meus eſto, ne derelínquas me, neque deſpícias me Deus Salutáris meus.

Pſalmus. **Dóminus illuminátio mea & ſalus mea: quem timébo?**

Collecta.

DA nobis, Dómine, quæſumus: vt & mundi curſus pacíficè nobis tuo órdine dirigátur, & Eccléſia tua tranquílla deuotióne lætétur. Per Dóminum.

Léctio epiſtolæ beáti Petri Apóſtoli. 1. Cap. 3.

CHariſſimi: Omnes vnánimes in oratióne eſtóte: compatiéntes, fraternitátis amatóres, miſericórdes, húmiles, non reddéntes malum pro malo, vel maledíctum pro maledícto, ſed econtrárió benedicéntes, quia in hoc vocáti eſtis, vt benedictiónē hęreditáte poſſideátis. Qui enim vult vitam dilígere, & vidére dies bonos: coérceat linguam ſuam à malo, & lábia eius ne loquántur dolum. Declínet autem à malo, & fáciat bonum: inquírat pacem & ſequátur eam: quia óculi Dómini ſuper iuſtos, & aures eius ad preces eórum. Vultus, autem Dómini: ſuper faciéntes mala. Et quis eſt, qui vobis nóceat, ſi boni æmulatóres fuéritis? Sed & ſi quid patímini propter iuſtítiam: beáti. Timórem autem eórum ne timuéritis: vt non conturbémini. Dóminum autem Chriſtum ſanctificáte: in córdibus veſtris.

℟. **Protéctor noſter áſpice Deus: & réſpice ſuper ſeruos tuos.** ℣. **Dómine Deus Virtútū exaúdi preces ſeruórum tuórum.**

Allelúia. ℣. **In te Dómine ſperáui, non confúndar in ætérnū: in tua iuſtítia líbera me, & éripe me: inclína ad me aurem tuam, accélera, vt erípias me, allelúia.**

Secúndum Lucam. Cap. 5.

IN illo témpore: Cū turbæ irrúerent ad Iéſum, vt audírēt verbum Dei: & ipſe ſtabat ſecus ſtagnū Genézareth. Et vidit duas naues, ſtantes ſecus ſtagnum: piſcatóres autem deſcénderant, & lauábant rétia. Aſcéndēs autem in vnam nauem, quæ erat Simónis: rogáuit eum à terra redúcere puſillùm. Et ſedens: docébat de nauícula turbas. Vt ceſſáuit autem loqui: dixit ad Simónē. Duc in altum: & laxáte rétia veſtra in captúram. Et reſpóndens Simon: dixit illi. Præcéptor: per totā noctem laborántes nihil cépimus: in verbo au-

tem tuo laxábo rete. Et cùm hoc feciſſent: concluſérunt píſcium multitúdinem copióſam. Rumpebátur autem eórum rete. Et annuérunt ſóciis, qui erant in ália naui: vt venírent, & adiuuárent eos. Et venérũt: & impleuérunt ambas nauículas, ita vt mergeréntur. Quod cùm vidéret Simon Petrus: prócidit ad génua Iéſu, dicẽs. Exi à me: quia homo peccátor ſum Dómine. Stupor enim circũdéderat eum, & omnes qui cum illo erant: in captúra píſcium, quam céperant. Simíliter autem Iacóbum & Ioánnem fílios Zebedǽi: qui erãt ſócij Simónis. Et ait ad Simónem Iéſus. Noli timére: ex hoc iam hómines eris cápiens. Et ſubdúctis ad terram náuibus: relíctis ómnibus: ſecúti ſunt eum.

Offertorium. **Benedícam Dóminum, qui tríbuit mihi intelléctum: prouidébam Deũ in conſpéctu meo ſemper: quóniam à dextris eſt mihi, ne commóuear.** Secreta.

OBlatiónibus, quǽſumus, Dómine placáre ſuſcéptis, & ad te noſtras étiam rebélles compélle propítius voluntátes. Per Dóminũ.

Communio. **Vnam pétij à Dómino, hanc requíram: vt inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ.**

Poſtcommunio.

MYſtéria nos, Dómine, ſancta puríficẽt: & ſuo múnere tueántur. Per Dóminum.

DOMINICA SEPTIMA.

Introitus.



DO'minus fortitúdo plebis ſuæ, & protéctor ſalutárium Chriſti ſui eſt: ſaluũ fac pópulum tuum Dómine: & bénedic hæreditáti tuæ: & rege eos vſque in ſǽculum.

Pſalmus. Ad te Dómine clamábo, Deus meus ne ſíleas à me, nequándo táceas à me: & aſſimilábor deſcendéntibus in lacum.

Collecta.

DEus, qui diligéntibus te bona inuiſibília præparáſti: infúnde córdibus noſtris tui amóris affectũ: vt te in ómnibus, & ſuper ómnia diligéntes: promiſſiónes tuas, quæ omne deſidérium ſúperant, conſequámur. Per Dóminum.

Ad Romános. Cap. 6.

FRatres: Quicúnque baptizáti ſumus in Chriſto Iéſu: in morte ipſíus baptizáti ſumus. Conſepúlti enim ſumus cũ illo per baptíſmũ in mortem: vt quómodo ſurréxit Chriſtus à mórtuis per glóriam Patris, ita & nos in nouitáte vitæ ambulémus. Si enim complantáti facti ſumus ſimilitúdini mortis eius, ſimul & reſurrectiónis érimus: hoc ſciéntes, quia vetus homo noſter ſimul crucifíxus eſt, vt deſtruátur corpus peccáti, vt vltra non ſeruiámus peccáto. Qui enim mórtuus eſt: iuſtificátus eſt à peccáto. Si autẽ mórtui ſumus cum Chriſto, crédimus quia ſimul étiam viuémus cum ipſo: ſciéntes, quod Chriſtus reſúrgens ex mórtuis iam non móritur, mors illi vltra non dominábitur. Quòd enim mórtuus eſt peccáto: mórtuus eſt ſemle. Quòd autem viuit: viuit Deo. Ita & vos exiſtimáte, vos mórtuos quidem eſſe peccáto: viuéntes autẽ Deo. In Chriſto Iéſu: Dómino noſtro.

℟. Conuértere Dómine aliquántulùm, & deprecáre ſuper ſeruos tuos. ℣. Dómine refúgiũ factus es nobis: à generatióne, & progénie. Allelúia. ℣. E'ripe me de inimícis meis Deus meus: & ab inſurgéntibus in me líbera me, allelúia.

Secúndum Matthǽum. Cap. 5.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Amen dico vobis: niſi abũdáuerit iuſtítia veſtra pluſquam Scribárum, & Phariſæórum nõ in-

trábitis

intrábitis in regnum cœlórum. Audíſtis: quia dictum eſt antíquis. Non occídes. Qui autem occíderit: reus erit iudício. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui iráſcitur fratri ſuo, reus erit iudício. Qui autem díxerit fratri ſuo racha: reus erit concílio. Qui autē díxerit fátue: reus erit gehénnæ ignis. Si ergo offers munus tuū ad altáre, & ibi recordátus fúeris, quia frater tuus habet áliquid aduérſum te: relínque ibi munus tuū ante altáre, & vade priùs reconciliári fratri tuo. Et tunc véniens: ófferes munus tuum.

Offertorium. Pérfice greſſus meos in ſémitis tuis, vt non moueántur veſtígia mea: inclína aurem tuam, & exáudi verba mea: miríﬁca miſericórdias tuas, qui ſaluos facis ſperántes in te, Dómine.

Secreta.

PRopitiáre Dómine ſupplicatiónibus noſtris, & has oblatiónes famulórū famularúmque tuárum benígnus aſſúme: vt quod ſinguli obtulérunt ad honórem nóminis tui, cunctis profíciat ad ſalútem. Per Dóminum noſtrum.

Communio. Circuíbo & immolábo, in tabernáculo eius hóſtiam iubilatiónis, cantábo, & pſalmum dicam Dómino.

Poſtcommunio.

QVos cœléſti, Dómine, dono ſatiáſti; præſta, quæſumus: vt à noſtris mundémur occúltis; & ab hóſtium liberémur inſídiis. Per Dóminum noſtrum.

DOMINICA OCTAVA.

Introitus.

OMnes Gentes plaúdite mánibus: iubiláte Deo in voce exultatiónis.

Pſalm. Subiécit pópulos nobis: & Gentes ſub pédibus noſtris.

Collecta.

DEus virtútum, cuius eſt totū, quod eſt óptimum, ínſere pectóribus noſtris amórem tui nóminis; & præſta in nobis religiónis augméntum: vt quæ ſunt bona nútrias; ac pietátis ſtúdio, quæ ſunt nutríta cuſtódias. Per Dóminum.

Ad Romános. Cap. 6.

FRatres: Humánum dico: propter infirmitátem carnis veſtræ. Sicut enim exhibuíſtis membra veſtra ſeruíre immūdítiæ, & iniquitáti, ad iniquitátem: ita nunc exhibéte membra veſtra ſeruíre iuſtítiæ, in ſanctificatiónē. Cùm enim ſerui eſſétis peccáti: líberi fuíſtis iuſtítiæ. Quem ergo fructum habuíſtis tunc in illis, in quibus nunc erubéſcitis? Nam finis illórum: mors eſt. Nunc verò liberáti à peccáto, ſerui autem facti Deo: habétis fructum veſtrum in ſanctificatiónem, finem verò vitam ætérnam. Stipéndia enim peccáti: mors. Grátia autem Dei: vita ætérna. In Chriſto Ieſu: Dómino noſtro.

℟. Veníte fílij, audíte me, timórem Dómini docébo vos. ℣. Accédite ad eum, & illuminámini & fácies veſtræ non confundéntur. Allelúia. ℣. Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddétur votum in Ieruſalem: Allelúia.

Secúndum Marcum. Cap. 8.

IN illo témpore: Cum turba multa eſſet cū Ieſu, nec habérēt quod manducárent: conuocátis diſcípulis, ait illis. Miſéreor ſuper turbam: quia ecce iam tríduo ſúſtinent me, nec habent quod mandúcent. Et ſi dimíſero eos ieiúnos in domū ſuam: deficient in via. Quidam enim ex eis: de longè venérunt. Et reſpondérunt ei: diſcípuli ſui. Vnde iſtos póterit quis hîc ſaturáre pánibus in ſolitúdine? Et interrogáuit eos. Quot panes habétis? Qui dixérunt. Septem. Et præcépit turbæ: diſcúmbere ſuper terram. Et accípiens ſeptem panes:

grátias agens fregit, & dabat diſcípulis ſuis, vt appónerēt. Et appoſuérunt turbæ. Et habébant piſcículos paucos: & ipſos benedíxit, & iuſſit appóni. Et manducauérunt: & ſaturáti ſunt. Et ſuſtulérunt, quod ſuperáuerat de fragméntis: ſeptē ſportas. Erant autem, qui manducauérunt, quaſi quátuor míllia: & dimíſit eos.

Offertorium. **Sicut in holocaúſtū aríetum, & taurórum, & ſicut in míllibus agnórum pínguium, ſic fiat ſacrificium noſtrum in conſpéctu tuo hódie, vt pláceat tibi: quia non eſt confúſio confidéntibus in te, Dómine.** Secreta

PRopitiáre Dómine ſupplicatiónibus noſtris, & has pópuli tui oblatiónes benígnus aſſúme, & vt nullíus ſit írritum votum, & nullíus vácua poſtulátio, præſta, vt quod fidéliter pétimus, efficáciter conſequámur. Per Dóminum.

Communio. **Inclína aurem tuam, accélera, vt éruas me.** Poſtcommunio

REpléti ſumus, Dómine, munéribus tuis: tríbue, quæſumus: vt eórum & mundémur effectu: & muniámur auxílio. Per Dóminum.

DOMINICA NONA.

Introitus.

SVſcépimus Deus, miſericórdiā tuā in médio templi tui: ſecúndū nomē tuum, Deus, ita & laus tua in fines terræ: iuſtítia plena eſt déxtera tua.

Pſalmus. **Magnus Dóminus, & laudábilis nimis: in ciuitáte Dei noſtri, in monte ſancto eius.** Collecta

DEus, cuius prouidéntia in ſui diſpoſitióne nõ fállitur: te ſúpplices exorámus: vt nóxia cūcta ſubmóueas: & ómnia nobis profutúra concédas. Per Dóminum.

Ad Romános. Cap. 8.

FRatres: Debitóres ſumus non carni: vt ſecúndum carnem viuámus. Si enim ſecúndum carnem vixéritis: moriémini. Si autem ſpíritu facta carnis mortificauéritis: viuétis. Quicúnque enim Spíritu Dei agúntur: hi filij ſunt Dei. Non enim accepiſtis ſpíritum ſeruitútis íterum in timóre: ſed accepiſtis Spíritum adoptiónis filiórum, in quo clamámus, Abba Pater. Ipſe enim Spíritus teſtimónium reddit ſpíritui noſtro: quòd ſumus filij Dei. Si autem filij & hærédes. Hærédes quidē Dei: cohærédes autem Chriſti.

℟. **Eſto mihi in Deum protectórem, & in locum refúgij, vt ſaluum me fácias.**

℣. **Deus in te ſperáui: Dómine, non confúndar in ætérnum.** Allelúia. ℣. **Atténdite pópule meus in legem meam. Allelúia.**

Secúndum Matthæum. Cap. 7.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Atténdite à falſis Prophétis, qui véniunt ad vos in veſtiméntis óuium: intrínſecùs autē ſunt lupi rapáces. A frúctibus eórum: cognoſcétis eos. Nūquid cólligunt de ſpinis vuas, aut de tríbulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor fructus malos facit. Nõ poteſt arbor bona fructus malos fácere: neque arbor mala fructus bonos fácere. Omnis arbor, quę non facit fructum bonum: excidétur, & in ignem mittétur. Ígitur: ex frúctibus eórum cognoſcétis eos. Non omnis qui dicit mihi Dómine, Dómine, intrábit in regnum cœlórum: ſed qui facit voluntátem Patris mei, qui in cœlis eſt: ipſe intrábit in regnum cœlórum.

Offertorium. **Pópulum húmilem ſaluum fácies, Dómine, & óculos ſuperbórum humiliábis, quóniam quis Deus, præter te, Dómine.** Secreta

DEus, qui legálium differéntiam hoſtiárum vnius ſacrificij per-

fectióne

fectióne ſanxíſti, áccipe ſacrifícium à deuótis tibi fámulis, & pari benedictióne, ſicut múnera Abel, ſanctífica, vt quod ſínguli obtulérunt ad maieſtátis tuæ honórẽ, cunctis profíciat ad ſalútem. Per Dóminum.

Communio. Guſtáte, & vidéte quóniam ſuáuis eſt Dóminus: beátus vir, qui ſperat in eo.

Poſtcommunio.

TVa nos, Dómine, medicinális operátio, & à noſtris peruerſitátibus cleménter expédiat, & ad ea, quæ ſunt recta, perdúcat. Per Dó.

DOMINICA DECIMA.

Introitus.

ECce Deus ádiuuat me, & Dóminus ſuſcéptor eſt ánimæ meæ: auérte mala inimícis meis, in veritáte tua diſpérde illos protéctor meus Dómine.

Pſalmus. Deus in nómine tuo ſaluũ me fac: & in virtúte tua iúdica me.

Collecta

LArgíre nobis Dómine, quǽſumus, ſemper ſpíritum cogitándi quæ recta ſunt, propítius & agéndi: vt qui ſine te eſſe non póſſumus, ſecúndũ te víuere valeámus. Per Dóminum noſtrum.

Ad Corínthios. 1. Cap. 10.

FRatres: Non ſimus concupiſcéntes malórum: ſicut & illi concupiérunt. Neque idololátræ efficiámini, ſicut quidam ex ipſis: quemádmodum ſcriptum eſt. Sedit pópulus manducáre, & bíbere: & ſurrexérũt lúdere. Neque fornicémur, ſicut quidam ex ipſis fornicáti ſunt: & cecidérunt vna die vigínti tria míllia. Neque tentémus Chriſtũ, ſicut quidam eórum tentauérũt: & à ſerpéntibus periérunt. Neque murmurauéritis, ſicut quidam eórum murmurauérunt: & periérunt ab exterminatóre. Hæc autem ómnia: in figúra contingébant illis. Scripta ſunt autem ad correctiónem noſtram: in quos fines ſæculórum deuenérunt. Itaque qui ſe exíſtimat ſtare: vídeat, ne cadat. Tentátio vos non apprehéndat: niſi humána. Fidélis autem Deus eſt, qui non patiétur vos tentári ſupra id, quod poteſtis: ſed fáciet cum tentatióne étiam prouéntum: vt poſsítis ſuſtinére.

℞. Dómine, Dóminus noſter quàm admirábile eſt nomen tuum in vniuérſa terra.

℣. Quóniam eleuáta eſt magnificéntia tua ſuper cœlos. Allelúia. ℣. ſus. Propítius eſto Dómine peccátis noſtris: nequándo dicant Gentes, vbi eſt Deus eórum. allelúia.

Secúndum Lucam. Cap. 16.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis parábolam hanc. Homo quidam erat diues, qui habébat víllicum: & hic diffamátus eſt apud illum, quaſi diſsipáſſet bona ipſíus. Et vocáuit illum: & ait illi. Quid hoc áudio de te? Redde ratiónem villicatiónis tuæ. Iam enim non póteris villicáre. Ait autem víllicus intra ſe. Quid fáciam, quia Dóminus meus aufert à me villicatiónem? Fódere non váleo: mẽdicáre erubéſco. Scio quid fáciam: vt cùm amótus fúero à villicatióne, recípiãt me in domos ſuas. Conuocátis ítaque ſíngulis debitóribus Dómini ſui: dicébat primo. Quantum debes Dómino meo? At ille dixit. Centum cados ólei. Dixítque illi. A'ccipe cautiónẽ tuam: & ſede, citò ſcribe quinquagínta. Deínde álij dixit. Tu verò quantum debes? Qui ait. Centum choros trítici. Ait illi. A'ccipe lítteras tuas: & ſcribe octogínta. Et laudáuit, dóminus víllicũ iniquitátis, quia prudénter feciſſet: quia filij huius ſæculi prudentióres fíliis lucis in generatióne ſua ſunt. Et ego vobis dico. Fácite vobis amícos de mámmona iniquitátis: vt cùm defecéritis recí-

pia nt vos: in ætérna tabernácula.

Offertorium. Iuſtitiæ **Dómini rectæ lætificántes corda: & iudícia eius dulcióra ſuper mel & fauũ, nam & ſeruus tuus cuſtódiet ea.**

Secreta.

SVſcipe múnera, quæſumus, Dómine, quæ tibi de tua largitáte deférimus, vt hæc ſacroſáncta myſtéria, grátiæ tuæ operánte virtúte, præſéntis vitæ nos cõuerſatióne ſanctíficent, & ad gaúdia ſempitérna perdúcant. Per Dóminum.

Communio. **Primùm quærite regnum Dei, & ómnia adiiciéntur vobis, dicit Dóminus.**

Poſtcommunio.

SIt nobis Dómine, reparátio mẽtis & córporis cœléſte myſtériũ: vt cuius exéquimur actiónem ⁊ ſentiámus effectum. Per Dóminum.

DOMINICA VNDECIMA.

Introitus.

DVm clamárem ad Dóminũ exaudíuit vocem meã ab his, qui appropínquant mihi, & humiliáuit eos, qui eſt ante ſæcula, & manet in ætérnum: iacta cogitátum tuum in Dómino, & ipſe te enútriet.

Pſalmus. **Exaúdi Deus oratiónem meam, & ne deſpéxeris deprecatiónem meam: inténde mihi, & exáudi me.**

Collecta.

PAteant aures miſericórdiæ tuæ, Dómine, précibus ſupplicántiũ: & vt peténtibus deſideráta concédas ⁊ fac eos, quæ tibi ſunt plácita, poſtuláre. Per Dóminum.

Ad Corínthios. 1. Cap. 12.

FRatres: Scitis quóniam cùm Gẽtes eſſétis: ad ſimuláchra muta prout ducebámini eúntes. Ideo notum vobis fácio: quòd nemo in Spíritu dei loquens, dicit anáthema Ieſu. Et nemo poteſt dícere, Dóminus Ieſus: niſi in Spíritu Sancto. Diuiſiónes verò gratiárum ſunt: idem autem Spíritus Et diuiſiónes miniſtratiónum ſunt: idem autẽ Dóminus. Et diuiſiónes operatiónũ ſunt: idem verò Deus, qui operátur ómnia in ómnibus. Vnicuíque autem datur manifeſtátio Spíritus: ad vtilitátem. Alij quidem per Spíritum datur ſermo ſapiéntiæ: álij ſermo ſciéntiæ, ſecúndum eúndem Spíritum. Alteri fides: in eódem Spíritu. Alij grátia ſanitátum: in vno Spíritu. Alij operátio virtútum, álij prophétia, álij diſcrétio ſpirítuum, álij genera linguárum: álij interpretátio ſermónum. Hæc autem ómnia operátur vnus, atque idem Spíritus: díuidens ſíngulis: prout vult.

℟. **Cuſtódi me Dómine, vt pupíllam óculi: ſub vmbra alárum tuárum prótege me.**

℣. **De vultu tuo iudícium meum pródeat: óculi tui vídeant æquitátes, allelúia.**

℣. **Exultáte Deo adiutóri noſtro, iubiláte Deo Iácob: ſúmite pſalmum iucúndũ cum cíthara, allelúia.**

Secúndum Lucam. Cap. 19.

IN illo témpore: Cum appropinquáret Ieſus Ieruſálem: videns ciuitátem, fleuit ſuper illam, dicens, quia ſi cognouíſſes & tu. Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc verò abſcóndita ſunt ab óculis tuis: quia vénient dies in te, & circúndabunt te inimíci tui vallo, & circúndabunt te, & coanguſtábunt te vndique, & ad terram conſtérnẽt te, & fílios tuos, qui in te ſunt. Et non relínquent in te lápidem ſuper lápidem: eo quòd non cognóueris tempus viſitatiónis tuæ. Et ingréſſus in templum: cœpit eiícere vendéntes in illo, & eméntes, dicẽs illis. Scriptum eſt: quia domus mea, domus oratiónis vocábitur. Vos autem: fecíſtis illam ſpelúncam latrónum. Et erat docens: quotídiè in templo.

Offertoriũ. **Ad te Dómine leuáui ánimam**

meam,

meam, Deus meus in te confido,non erubéſcam, neque irrídeant me inimíci mei, étenim vniuérſi,qui te expéctant, non confundéntur. Secreta

CONcéde nobis hæc, quǽſumus Dómine,frequentáre myſtéria, quia quóties huius hóſtiæ commemorátio celebrátur,opus noſtræ redemptiónis exercétur.Per Dóminũ.

Communio. Acceptábis ſacrificium iuſtitiæ, oblatiónes, & holocaúſta ſuper altáre tuum, Dómine. Poſtcommunio.

TVi nobis, quǽſumus Dómine, commúnio ſacraménti, & purificatiónẽ cónferat, & tríbuat vnitátem.Per Dóminum noſtrum.

DOMINICA XII.

Introitus.

DEus in loco ſãcto ſuo, Deus qui inhabitáre facit vnánimes in domo: ipſe dabit virtútẽ, & fortitúdinẽ plebi ſuæ.

Pſalmus. Exúrgat Deus, & diſſipéntur inimíci eius: & fúgiant, qui odérunt eum,à fácie eius. Collecta

DEus, qui omnipoténtiã tuam parcéndo máximè & miſerándo maniféſtas:multíplica ſuper nos grátiam tuam: vt ad tua promíſſa curréntes, cœléſtium bonórum fácias eſſe consórtes.Per Dóminum.

Ad Corinthios. 1. Cap. 15.

FRatres:Notum vobis fácio Euãgélium, quod prædicáui vobis, quod & accepíſtis, in quo & ſtatis: per quod & ſaluámini, qua ratióne prædicáuerim vobis, ſi tenétis, niſi fruſtra credidíſtis. Trádidi enim vobis in primis, quod & accépi: quóniam Chriſtus mórtuus eſt pro peccátis noſtris, ſecúndum ſcriptúras, & quia ſepúltus eſt, & quia reſurréxit tértia die, ſecúndum ſcriptúras, & quia viſus eſt Cephæ, & poſt hæc vndecim. Deínde viſus eſt pluſquã quingéntis frátribus ſimul: ex quibus multi manẽt vſque adhuc, quidam autem dormiérunt.Deínde viſus eſt Iacóbo: deínde Apóſtolis ómnibus. Nouiſſimè autem ómnium tanquàm abortíuo, viſus eſt & mihi. Ego enim ſum mínimus Apoſtolórum, qui non ſum dignus vocári Apóſtolus: quóniã perſecútus ſum Eccléſiam Dei.Grátia autẽ Dei ſum: id quod ſum. Et grátia eius: in me vácua non fuit.

℟. In Deo ſperáuit cor meum, & adiútus ſum, & reflóruit caro mea:& ex voluntáte mea confitébor illi. ℣. Ad te Dómine, clamáui:Deus meus ne ſíleas,ne diſcédas à me. Allelúia. ℣. Dómine, Deus ſalútis meæ, in die clamáui,& nocte coram te,allelúia.

Secúndum Lucam. Cap. 18.

IN illo témpore: Dixit Iéſus ad quoſdam, qui in ſe confidébant tãquam iuſti, & aſpernabántur cǽteros: parábolam iſtam. Duo hómines aſcendérũt in templum, vt orárent: vnus Phariſǽus, & alter publicánus. Phariſǽus ſtans: hæc apud ſe orábat.Deus: grátias ago tibi: quia non ſum ſicut cǽteri hóminum, raptóres, iniúſti, adúlteri, velut étiam hic publicánus. Ieiúno bis in ſábbato: décimas do ómnium quæ poſſídeo.Et publicánus à longè ſtans: nolébat nec óculos ad cœlum leuáre, ſed percutiébat pectus ſuum, dicẽs. Deus: propítius eſto mihi peccatóri. Dico vobis: deſcéndit hic iuſtificátus in domum ſuã ab illo: quia omnis, qui ſe exáltat, humiliábitur. Et qui ſe humíliat: exaltábitur.

Offertorium Exaltábo te, Dómine, quóniã ſuſcepíſti me, nec delectáſti inimícos meos ſuper me: Dómine, clamáui ad te, & ſanáſti me. Secreta.

TIbi, Dómine, ſacrifícia dicáta reddántur: quę ſic ad honórem nóminis tui deferénda tribuíſti: vt

éadem remédia fieri noſtra præſtáres. Per Dóminum noſtrum.

Communio. Honóra Dóminũ de tua ſubſtántia: & de primítiis frugum tuárum, vt impleántur hórrea tua ſaturitáte, & vino torculária redundábunt.

Poſtcommunio.

QVǽſumus, Dómine Deus noſter: vt quos diuínis reparáre non déſinis ſacraméntis ; tuis non deſtítuas benígnus auxíliis. Per Dóminum noſtrum.

DOMINICA XIII.

Introitus.

DEus in adiutórium meũ inténde: Dómine ad adiuuãdum me feſtína: cõfundántur & reuereántur inimíci mei, qui quærunt ánimam meam.

Pſalmus. Auertántur retrórſum & erubéſcant: qui cógitant mihi mala.

Collecta.

OMnipotens ſempitérne Deus, qui abundántia pietátis tuæ, & mérita ſúpplicum excédis, & vota ; effúnde ſuper nos miſericórdiã tuam: vt dimíttas, quæ conſciéntia métuit; & adiícias, quod orátio non præſúmit. Per Dóminum.

Ad Corínthios. 2. Cap. 3.

FRatres: Fidúciã talem habémus per Chriſtum ad Deum: non quòd ſuff.ciéntes ſimus cogitáre áliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficiéntia noſtra ex Deo eſt. Qui & idóneos nos fecit miníſtros noui teſtaménti: nõ litera, ſed ſpíritu. Litera enim occídit: ſpíritus autem viuíficat. Quòd ſi miniſtrátio mortis líteris deformáta in lapídibus fuit in glória, ita vt non poſſent inténdere filij Iſráel in fáciem Móyſi, propter glóriam vultus eius, quæ euacuátur: quómodo non magis miniſtrátio ſpíritus erit in glória? Nam ſi miniſtrátio damnatiónis in glória eſt: multò magis abúndat miniſtérium iuſtítiæ: in glória.

℟. Benedícam Dóminum in omni témpore, ſemper laus eius in ore meo.

℣. In Dómino laudábitur ánima mea aúdiant manſuéti, & lætentur. Allelúia.

℣. Dómine refúgium factus es nobis à generatióne, & progénie. Allelúia.

Secundum Marcum. Cap. 7.

IN illo témpore: E'xiens Ieſus de fínibus Tyri: venit per Sydónem ad mare Galilǽæ inter médios fines Decapóleos. Et addúcunt ei ſurdum & mutum: & deprecabántur eum, vt impónat illi manum. Et apprehéndens eum de turba ſeórſum, miſit dígitos ſuos in aurículas eius: & éxpuens tétigit linguam eius. Et ſuſpiciẽs in cœlum: ingémuit, & ait illi. Ephphétha: quod eſt, adaperíre. Et ſtatim apértæ ſunt aures eius, & ſolútũ eſt vínculum linguæ eius: & loquebátur rectè. Et præcépit illis: ne cui dícerent. Quantò autem eis præcipiébat: tantò magis plus prædicábant, & eò ámpliùs admirabántur, dicéntes. Benè ómnia fecit: & ſurdos fecit audíre: & mutos loqui.

Offertorium. Precátus eſt Móyſes in conſpéctu Dómini Dei ſui, & dixit, quare Dómine iráſceris in pópulo tuo, parce iræ ánimi tui, meménto Abráham, I'ſaac, & I'acob, quibus iuráſti dare terram fluéntem lac & mel: & placátus factus eſt Dóminus de malignitáte, quam dixit fácere pópulo ſuo.

Secreta.

RE'ſpice Dómine, quǽſumus, noſtram propítius ſeruitútem, vt quod offérimus, ſit tibi munus accéptum, & ſit noſtræ fragilitáti ſubſídium. Per Dóminum.

Communio. De fructu óperum tuórum, Dómine, ſatiábitur terra: vt edúcas panem de terra, & vinum lætíficet cor hóminis: vt

exhilaret

exhilaret fáciem in óleo,& panis cor hóminis confirmet. Poſtcommunio.

SEntiámus, Dómine, quæſumus, tui perceptióne ſacraménti ſubſídium mẽtis & córporis? vt in vtróquè ſaluáti cœléſtis remédij plenitúdine gloriémur. Per Dóminum.

DOMINICA XIIII.

Introitus.

RE'ſpice Dómine, in teſtaméntum tuum, & ánimas paúperum tuórũ ne derelínquas in finẽ: exúrge Dómine, & iúdica cauſam tuam, & ne obliuiſcáris voces quærẽntium te.

Pſalmus **Vt quid Deus repuliſti in finem: irát useſt furor tuus ſuper oues páſcuæ tuæ.**

Collecta.

OMnípotẽs & miſéricors Deus, de cuius múnere venit, vt tibi à fidéli bus tuis dignè, & laudabíliter ſeruiátur? tríbue, quæſumus, nobis, vt ad promiſſiónes tuas ſine offenſióne currámus. Per Dóminum.

Ad Galatas. Cap.3.

FRatres: Abráhæ dictæ ſunt promiſſiónes: & ſémini eius. Non dicit & ſemínibus, quaſi in multis: ſed quaſi in vno, & ſémini tuo, qui eſt Chriſtus. Hoc autem dico teſtaméntum confirmátum à Deo: quæ poſt quadringéntos trigínta annos facta eſt lex, non írritũ facit ad euacuándam promiſſiónem. Nam ſi ex lege hæréditas: iam non ex promiſſióne. Abráhæ autem: per repromiſſiónem donáuit Deus. Quid ígitur lex? Propter tranſgreſſiónes póſita eſt: donec veníret ſemen, cui promíſerat, ordináta per A'ngelos, in manu mediatóris. Mediátor autẽ, vníus non eſt: Deus autem vnus eſt. Lex ergo aduérſus promíſſa Dei? Abſit. Si enim data eſſet lex, quę poſſet viuificáre: verè ex lege eſſet iuſtítia. Sed conclúſit ſcriptúra ómnia ſub peccáto: vt promiſſio ex fide Iéſu Chriſti: darétur credéntibus.

℟. Réſpice Dómine in teſtaméntum tuum: & ánimas paúperum tuórum ne obliuiſcá ris in finem. ℣. Exúrge Dómine, & iúdica cauſam tuam: memor eſto oppróbrij ſeruórum tuórum. Allelúia. ℣. Veníte, exultémus Dómino, iubilémus Deo Salutári noſtro, allelúia.

Secúndum Lucam. Cap.10.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Beáti óculi: qui vident quæ vos vidétis. Dico enim vobis: quòd multi Prophétæ & Reges voluérunt vidére, quæ vos vidétis, & non vidérunt, & audíre quæ audítis, & non audiérunt. Et ecce quidã Legiſperítus ſurréxit: tentãs illum, & dicens. Magíſter: quid faciéndo vitam ætérnam poſſidébo? At ille dixit ad eum. In lege quid ſcriptũ eſt? Quómodo legis? Ille reſpóndẽs: dixit. Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota ánima tua, & ex ómnibus víribus tuis, & ex omni mente tua: & próximum tuum tanquam teipſum. Dixítque illi. Rectè reſpondíſti. Hoc fac: & viues. Ille autem volens iuſtificáre ſeípſum: dixit ad Iéſum. Et quis eſt meus próximus? Suſpíciens autem Iéſus: dixit. Homo quidam deſcendébat ab Ierúſalẽ in Iérico: & íncidit in latrónes. Qui étiam deſpoliauérunt eum: & plagis impóſitis abiérunt, ſemiuíuo relicto. A'ccidit autem vt Sacérdos quidã deſcénderet eádem via: & viſo illo prætériuit. Similiter & Leuíta cũm eſſet ſecùs locum, & vidéret eum: pertránſiit. Samaritánus autẽ quidam iter fáciens, venit ſecus eum: & videns eum, miſericórdia motus eſt. Et apprópians alligáuit vúlnera eius: infúndẽs óleũ & vinum. Et impónens illum in iuméntum ſuum, duxit in ſtábulum:

& curam eius egit. Et áltera die prótulit duos denários: & dedit ſtabulário, & ait. Curam illíus habe. Et quodcúnque ſupererogáueris: ego, cùm rediero, reddam tibi. Quis horum trium vidétur tibi próximus fuiſſe illi, qui íncidit in latrónes? At ille dixit. Qui fecit miſericórdiam in illum. Et ait illi Iéſus. Vade: & tu fac ſimíliter.

Offertorium. In te ſperáui Dómine, dixi tu es Deus meus, in mánibus tuis témpora mea. Secreta.

Hoſtias, quæſumus, Dómine propítius inténde, quas ſacris altáribus exhibémus, vt nobis indulgéntiam largiéndo, tuo nómini dent honórem. Per Dóminum.

Communio. Panem de cœlo dediſti nobis Dómine, habéntem omne delectaméntum, & omnem ſapórem ſuauitátis.

Poſtcommunio.

Viuíficet nos, quæſumus, Dómine, huius participátio ſācta myſterij: & páriter nobis expiatiónem tríbuat & munímen. Per Dóminū.

DOMINICA XV.

Introitus.

Protéctor noſter áſpice Deꝰ, & réſpice in fáciē Chriſti tui: quia mélior eſt dies vna in átriis tuis ſuper míllia.

Pſalmus. Quàm dilécta tabernácula tua: Dómine virtútum. Collecta

Omnípotens ſempitérne Deus da nobis fídei, ſpei, & charitátis augméntum: & vt mereámur áſſequi quod promíttis: fac nos amáre quod prǽcipis. Per Dóminum.

Ad Gálatas. Cap. 5.

Fratres: Spíritu ambuláte: & deſidéria carnis non perficiétis. Caro enim concupíſcit aduérſus ſpíritum: ſpíritus autem aduérſus carnē. Hæc enim ſibi ínuicē aduerſántur: vt non quæcúnq; vultis illa faciátis. Quòd ſi ſpíritu ducímini: non eſtis ſub lege. Manifésta autem ſunt ópera carnis: quæ ſunt fornicátio, immūdítia, impudicítia, luxúria, Idolórū ſeruitus, venefícia, inimicítiæ, contentiónes, æmulatiónes, iræ, rixæ, diſſenſiónes, ſectæ, inuídiæ, homicídia, ebrietátes, comeſſatiónes, & his ſimília, quæ prædíco vobis, ſicut prędíxi, quóniā, qui tália agunt, regnū Dei non conſequéntur. Fructus autē ſpíritus eſt: cháritas, gáudium, pax, patiéntia, longanímitas, bónitas, benígnitas, manſuetúdo, fides, modéſtia, continéntia, cáſtitas. Aduérſus huiúſmodi: nō eſt lex. Qui autem ſunt Chriſti: carnē ſuam crucifixérunt: cum vítiis, & concupiſcéntiis.

℟. Bonum eſt confitéri Dómino, & pſállere nómini tuo Altíſſime. ℣. Ad annuntiándum manè miſericórdiam tuā: & veritátem tuam per noctem. Allelúia. ℣. Quóniam Deus magnus Dóminus, & Rex magnus ſuper omnes deos, allelúia.

Secúndum Lucam. Cap. 17.

In illo témpore. Dum iret Iéſus in Ieruſálem: tranſíbat per médiam Samáriam & Galilǽam. Et cùm ingrederétur quoddam caſtéllum: occurrérunt ei decem viri lepróſi. Qui ſtetérunt à longè: & leuauérunt vocem, dicéntes. Ieſu præcéptor: miſerére noſtri. Quos vt vidit: dixit. Ite: oſténdite vos Sacerdótibus. Et factum eſt dum irent: mundáti ſunt. Vnus autem ex illis, vt vidit quia mundátus eſt: regréſſus eſt cum magna voce magníficans Deum. Et cécidit in fáciem ante pedes eius: grátias agens. Et hic erat Samaritánus. Reſpondēs autem Iéſus: dixit. Nonne decem mundáti ſunt, & nouem vbi ſunt? Non eſt inuéntus, qui redíret, & daret glóriam Deo: niſi hic alienígena. Et ait illi. Surge, vade:

quia fides tua : te ſaluum fecit.

Offertorium. Immíttit A'ngelus Dómini in circúitu timéntium eum, & erípiet eos: guſtáte, & vidéte, quóniā ſuáuis eſt Dóminus.

Secreta.

PRopitiáre Dómine pópulo tuo, propitiáre munéribus : vt hac oblatióne placátus & indulgéntiam nobis tríbuas & poſtuláta cōcédas. Per Dóminum noſtrum.

Communio. Panis, quem ego dédero, caro mea eſt pro ſæculi vita. Poſtcommunio

SVmptis, Dómine, cœléſtibus ſacraméntis; ad redemptiónis ætérnæ, quǽſumus, proficiámus augméntum. Per Dóminum.

FERIA QVARTA.

In ieiunio menſis ſeptimi.

Statio ad S. Mariam maiorem.

Introitus.

EXultáte Deo adiutóri noſtro, iubiláte Deo Iacob: ſúmite pſalmū iucúndum cum cíthara: cánite inítiū menſis tuba, quia præcéptum in Iſráel eſt, & iudícium Deo Iacob.

Pſalmus. Buccináte in neoménia tuba: in insígni die ſolemnitátis noſtræ.

Hic dicitur Dóminus vobíſcum. Collecta.

MIſericórdiæ tuę remédiis, quǽſumus, Dómine, fragílitas noſtra ſubsíſtat: vt, quæ ſua conditióne attéritur; tua cleméntia reparétur. Per Dóminum.

j. Léctio Amos Prophétæ.
Cap. vlt.

HÆc dicit Dóminus. Ecce dies véniūt; & comprehéndet arátor meſſórem: & calcátor vuæ mitténtem ſemen. Et ſtillábunt mōtes dulcédinem: & omnes colles culti erunt. Et conuértam captiuitátem pópuli mei Iſráel: & ædificábunt ciuitátes deſértas; & habitábunt in eis. Et plantábunt víneas: & bibent vinum eárum. Et fácient hortos: & cómedēt fructus eórum. Et plantábo eos ſuper humum ſuam: & non euéllā eos vltra de terra ſua, quam dedi eis. Dicit Dóminus omnípotens.

℟. Beáta gens, cuius eſt Dóminus, Deus eius, pópulus, quem elégit Dóminus in hæreditátem ſibi. ℣. Verbo Dómini cœli firmáti ſunt: & Spíritu oris eius omnis virtus eórum. Hic non repetitur. Dóminus vobíſcum, ſed Orémus.

PRæſta, quǽſumus, Dómine famíliæ ſupplicánti: vt dum à cibis corporálibus ábſtinet; à vítiis mente ieiúnet. Per Dóminum.

ij. Léctio libri Eſdræ. 2. Cap. 8.

IN diébus illis: Congregátus eſt omnis pópulus quaſi vir vnus ad platéam, quæ eſt ante portam aquárum: & dixérunt Eſdræ Scribæ, vt afférret librum legis Móyſi, quē præcépit Dóminus Iſraéli. A'ttulit ergo Eſdras Sacérdos legem coram multitúdine virórum & mulíerum, cunctíſque, qui póterant intellígere, in die prima menſis ſéptimi: & legit in eo apérte in platéa, quæ erat ante portam aquárum, à manè vſque ad médiam diem, in conſpéctu virórū, ac mulíerum, & ſapiéntium. Et aures omnis pópuli erant eréctæ ad librum. Stetit autem Eſdras Scriba ſuper gradum lígneum, quem fécerat ad loquéndum: & ſtetérunt iuxta eum. Et apéruit Eſdras librū coram omni pópulo: & benedíxit Eſdras Dómino Deo magno voce magna. Et reſpóndit omnis pópulus, amen, amen: éleuans manus ſuas. Et incuruáti ſunt: & adorauérunt Deū proni in terram. Porrò Leuítæ ſiléntium faciébant in pópulo: ad audiéndam legē. Pópulus autem ſtabat in gradu ſuo: & legérunt in libro legis Dei, diſtínctè & apértè ad intelligéndum. Dixit autem Nehemías, &

Eſdras Sacérdos & Scriba: & Leuítæ interpretántes, vniuérſo pópulo. Dies ſanctificátus eſt Dómino Deo noſtro: nolíte lugére, & nolíte flere. Et dixit eis. Ite, & comédite pínguia, & bíbite mulſum: & míttite partes eis, qui non præparauérũt ſibi, quia ſanctus dies Dómini eſt, & nolíte contriſtári. Gaúdium étenim Dómini: eſt fortitúdo noſtra.

℟. Quis ſicut Dóminus Deus noſter, qui in altis hábitat: humília réſpicit in cœlo, & in terra. ℣. Suſcitãs à terra ínopem: & de ſtércore érigens paúperem.

Secúndum Marcum. Cap. 9.

IN illo témpore: Reſpóndens vnus de turba: dixit ad Ieſum. Magíſter: áttuli fílium meũ ad te, habentem Spíritum mutum: qui vbicúnque eum apprehénderit, allídit eũ, & ſpumat, & ſtridet déntibus, & aréſcit. Et dixi diſcípulis tuis, vt eiícerent illum: & non potuérunt. Qui reſpóndens eis: dixit. O generátio incrédula: quándiu apud vos ero? Quándiu vos pátiar? Afférte illum ad me. Et attulérunt eum. Et cùm vidíſſet illum: ſtatim ſpíritus conturbáuit eum, & eliſus in terra volutabátur ſpumans. Et interrogáuit patrem eius. Quantum témporis eſt, ex quo hoc ei áccidit? At ille ait. Ab infántia. Et frequénter eum in ignem, & in aquas miſit: vt eum pérderet. Sed ſi quid potes, ádiuua nos: miſértus noſtri. Ieſus autem: ait illi. Si potes crédere: ómnia ſunt poſſibília credénti. Et cõtinuò exclámans pater púeri, cum láchrymis: aiebat. Credo Dómine: ádiuua incredulitátem meam. Et cùm vidéret Ieſus concurréntem turbã: comminátus eſt ſpirítui immúndo, dicens illi. Surde & mute ſpíritus: ego tibi præcípio, exi ab eo, & ámpliùs ne introéas in eum. Et exclamans, & multùm diſcérpẽs eũ: éxiit ab eo. Et factus eſt ſicut mórtuus: ita vt multi dícerent quia mórtuus eſt. Ieſus autem tenens manum eius: eleuáuit eum, & ſurréxit. Et cùm introíſſet in domum: diſcípuli eius ſecréto interrogábant eum. Quare nos non potúimus eiícere eum? Et dixit illis. Hoc genus in nullo poteſt exíre: niſi in oratióne, & ieiúnio.

Offertorium. Meditábor in mandátis tuis, quæ diléxi valde, & leuábo manus meas ad mandáta tua, quæ diléxi.

Secreta.

HÆc hóſtia, Dómine, quæſumus, emúndet noſtra delícta, & ſacrifícium celebrándum ſubditórum tibi córpora mentéſque ſanctíficet. Per Dóminum.

Communio. Comédite pínguia, & bíbite mulſum, & míttite partes eis, qui non præparauérunt ſibi, ſanctus enim dies Dómini eſt, nolíte contriſtári: gaúdium étenim Dómini, eſt fortitúdo noſtra.

Poſtcommunio.

SVméntes, Dómine, dona cœléſtia ſuppliciter deprecámur: vt quæ ſédula ſeruitúte, donánte te gérimus, dignis ſénſibus tuo múnere capiámus. Per Dóminum.

FERIA SEXTA.

Statio ad SS. duodecim Apoſtolos.

Introitus.

LÆtétur cor quæréntium Dóminũ: quǽrite Dóminum, & confirmámini: quǽrite fáciem eius ſemper.

Pſalmus. Confitémini Dómino, & inuocáte nomen eius: annuntiáte inter Gentes ópera eius.

Collecta

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus: vt obſeruatiónes ſacras ánnua deuotióne recoléntes, & córpore tibi placeámus & mente. Per Dóminum noſtrum.

Léctio

Léctio Oſéæ Prophétæ Cap. 14.

HÆc dicit Dóminus Deus. Conuértere Iſráel ad Dóminū Deū tuum: quóniam corruiſti in iniquitáte tua. Tóllite vobíſcum verba: & conuertímini ad Dóminum & dícite ei. Omnem aufer iniquitátem, & áccipe bonum: & reddémus vítulos labiórum noſtrórum. Aſſur non ſaluábit nos: ſuper equos non aſcendémus, nec dicémus vltra dij noſtri ópera mánuum noſtrárum, quia eius, qui in te eſt, miſeréberis pupílli. Sanábo cōtritiónes eórum: díligam eos ſpontáneè, quia auérſus eſt furor meus ab eis. Ero quaſi ros: Iſráel germinábit quaſi lílium. Et erúmpet radix eius vt Líbani: ibunt rami eius. Et erit quaſi olíua glória ei⁹: & odor eius vt Líbani. Conuerténtur ſedéntes in vmbra eius: viuent trítico, & germinábunt quaſi vínea. Memoriále eius: ſicut vinum Líbani. Ego exaúdiam: & dírigam eum, vt abíetem viréntem. Ex me fructus tuus inuéntus eſt. Quis ſápiens, & intélliget iſta, intélligēs, & ſciet hæc? Quia rectæ viæ Dómini: & iuſti ambulábunt in eis.

℟. Conuertére Dómine aliquántulùm, & deprecáre ſuper ſeruos tuos. ℣. Dómine, refúgium factus es nobis, à generatióne, & progénie.

Secúndum Lucam. Cap. 7.

IN illo témpore: Rogábat Iéſum quidam Phariſæus: vt manducáret cum illo. Et ingréſſus domū Phariſæi: diſcúbuit. Et ecce múlier, quæ erat in ciuitáte peccátrix, vt cognóuit quòd Iéſus accubuiſſet in domo Phariſæi: áttulit alabáſtrū vnguénti, & ſtās retrò ſecus pedes eius, láchrymis cœpit rigáre pedes eius, & capíllis cápitis ſui tergébat. Et oſculabátur pedes eius: & vnguénto vngébat. Videns autē Phariſæus, qui vocáuerat eum: ait intra ſe, dicens. Hic ſi eſſet Prophéta, ſciret vtique, quæ, & qualis eſt múlier, quæ tangit eū, quia peccátrix eſt. Et reſpóndens Iéſus: dixit ad illum. Simon: hábeo tibi áliquid dícere. At ille ait. Magíſter: dic. Duo debitóres erant cuídā fœneratóri: vnus debébat denários quingéntos, & álius quinquagínta. Non habéntibus illis vnde rédderēt: donáuit vtríſque. Quis ergo eū plus díligit? Reſpóndens Simon: dixit. Æſtimo: quia is, cui plus donáuit. At ille dixit ei. Rectè iudicáſti. Et conuérſus ad mulíerem: dixit Simóni. Vides hāc mulíerem? Intráui in domum tuam: aquam pédibus meis non dediſti. Hæc autem láchrymis rigáuit pedes meos: & capíllis ſuis terſit. Oſculū mihi non dediſti: hæc autem ex quo intráuit, non ceſsáuit oſculári pedes meos. Oleo caput meum non vnxíſti: hæc autem vnguénto vnxit pedes meos. Propter quod dico tibi: remittúntur ei peccáta multa, quóniā diléxit multùm. Cui autem minùs dimíttitur: minùs díligit. Dixit autem ad illam. Remittúntur tibi peccáta. Et cœpérūt qui ſimul accumbébant dícere intra ſe. Quis eſt hic, qui étiam peccáta dimíttit? Dixit autem ad mulíerem. Fides tua: te ſaluā fecit. Vade: in pace.

Offertorium. Benedic ánima mea Dómino & noli obliuíſci omnes retributiónes eius, & renouábitur ſicut áquilæ iuuéntus tua.

Secreta

ACcépta tibi ſint Dómine quǽſumus, noſtri dona ieiúnij, quæ & expiándo nos tua grátia dignos efficiant, & ad ſempitérna promíſſa perdúcant. Per Dóminum.

Communio. Aufer à me oppróbrium, & cōtémptum: quia mandáta tua exquiſíui, Dómine, nam & teſtimónia tua meditátio mea eſt.

Poſtcommunio.

QVǽſumus omnípotens Deus: vt de percéptis munéribus grátias exhibéntes, beneficia potióra ſumámus. Per Dóminum.

SABBATO IN XII. LECT.

Statio ad S. Petrum

Introitus.

VEníte, adorémus Deum, & procidámus ante Dóminum: plorémus ante eũ, qui fecit nos: quia ipſe eſt Dóminus Deus noſter.

Pſalmus. Veníte, exultémus Dómino: iubilémus Deo ſalutári noſtro. Hic non dicitur. Dóminus vobíſcum, ſed. Orémus.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui per continéntiam ſalutárẽ, & corpóribus medéris, & méntibus: maieſtátem tuam ſúpplices exorámus: vt pia ieiunántium deprecatióne placatus: & præſéntia nobis ſubsídia præbeas, & futúra. Per Dómi.

i Léctio libri Leuítici. Cap. 23.

IN diébus illis: Locútus eſt Dóminus ad Móyſen dicens. Décimo die menſis huius ſéptimi, dies expiatiónum erit celebérrimus: & vocábitur ſanctus. Affligetíſque ánimas veſtras in eo: & offerétis holocauſtũ Dómino. Omne opus non faciétis in témpore diéi huius: quia dies propitiatiónis eſt, vt propitiétur vobis Dóminus Deus veſter. Omnis ánima quæ afflícta non fúerit die hoc: períbit de pópulis ſuis. Et quæ óperis quippiam fécerit: delébo eam de pópulo ſuo. Nihil ergo óperis faciétis in eo. Legítimum ſempitérnum erit vobis: in cũctis generatiónibus, & habitatiónibus veſtris. Sábbatum requietiónis eſt: affligétis ánimas veſtras A die nono menſis ſéptimi à véſpere vſque ad véſperum: celebrábitis Sábbata veſtra. Dicit Dóminus omnípotens.

℟. Propítius eſto Dómine, peccátis noſtris, nequándo dicant Gentes, vbi eſt Deus eórum? ℣. Adiuua nos Deus Salutáris noſter, & propter honórem nóminis tui, Dómine, líbera nos. Orémus.

DA nobis, quæſumus, omnípotẽs Deus: vt ieiunándo tua grátia ſatiémur: & abſtinéndo cunctis efficiámur hóſtibus fortióres. Per Dóminum noſtrum.

ij Léctio libri Leuítici. Cap. 23.

IN diébus illis. Locútus eſt Dóminus ad Móyſen: dicens. A quintadécima die menſis ſéptimi quando congregauéritis omnes fructus terræ veſtræ: celebrábitis férias Dómini ſeptẽ diébus. Die primo & die octáuo, erit Sábbatum: id eſt réquies. Sumetíſque vobis die primo fructus árboris pulchérrimæ ſpatuláſque palmárum, & ramos ligni denſárum fróndium, & ſálices de torrénte: & lætabímini coram Dómino Deo veſtro: celebrabitíſque ſolemnitátem eius ſeptem diébus per annũ. Legítimum ſempitérnum erit in generatiónibus veſtris. Menſe ſéptimo feſta celebrábitis: & habitábitis in vmbráculis ſeptẽ diébus. Omnis qui de génere eſt Iſráel, manébit in tabernáculis: vt diſcant póſteri veſtri: quòd in tabernáculis habitáre fécerim fílios Iſráel, cùm edúcerem eos de terra Ægýpti: ego Dóminus Deus veſter.

℟. Protéctor noſter áſpice Deus, & réſpice ſuper ſeruos tuos. ℣. Dómine Deus virtútũ exáudi preces ſeruórum tuórũ. Orémus.

TVére, quæſumus, Dómine famíliam tuam: vt ſalútis ætérnæ remédia, quæ, te aſpiránte, requírimꝰ: te largiénte conſequámur. Per Dó.

iij Léctio Michææ Prophétæ Cap. 7.

DOmine Deus noſter paſce pópulum tuum in virga tua, gregem hæreditátis tuæ: habitántes terram cum ſalúte, iuxta dies antíquos. Vidébunt Gentes: & confundéntur ſuper omni fortitúdine ſua. Quóniã quis Deus ſimilis tui? qui aufers iniquitátem, & trãſfers peccátum reli-

quiárum hæreditátis tuæ? Non immíttet vltra furórem ſuum in nos: quóniam volens miſericórdiam eſt, reuertétur,& miſerébitur noſtri. Depónet iniquitátes noſtras: & proiíciet in profúndũ maris ómnia peccáta noſtra. Dabis veritatem Iacob, miſericórdiam Abráham: quæ iuráſti pátribus noſtris à diébus antíquis, Dómine Deus noſter.

℟. Dirigátur orátio mea ſicut incénſum in conſpéctu tuo, Dómine. ℣. Eleuátio mánuum meárum ſacrifícium veſpertínum.

Orémus.

PRæſta quǽſumus, Dómine ſic nos ab épulis abſtinére carnálibus? vt à vítiis irruéntibus páriter ieiunémus. Per Dóminum.

iiij. Léctio Zacharíæ Proph. Cap. 8.

IN diébus illis. Factum eſt verbum Dómini ad me, dicens. Sicut cogitáui, vt afflígerem vos cùm me ad iracúndiam prouocáſſent patres veſtri,& non ſum miſértus: ſic conuérſus cogitáui in diébus iſtis, vt benefáciam Ierúſalem, & dómui Iúda. Nolíte timére. Hæc ſunt ergo verba: quæ faciétis. Loquímini veritátem vnuſquíſque cum próximo ſuo? veritátem, & iudícium pacis iudicáte in portis veſtris: & vnuſquíſque malum contra amícum ſuum ne cogitétis in córdibus veſtris? & iuraméntum mendax ne diligátis. Omnia enim hæc ſunt, quæ odi: dicit Dóminus. Et factum eſt verbum Dómini exercítuum ad me, dicens. Hæc dicit Dóminus exercítuum. Ieiúnium quarti, & ieiúnium quinti, & ieiúnium ſéptimi, & ieiúnium décimi erit dómui Iúdæ in gaúdiũ, & in lætítiam: & in ſolemnitátes præcláras. Veritátem tãtùm & pacem dilígite: dicit Dóminus omnípotens.

℟. Conuértere Dómine aliquántulùm, & deprecáre ſuper ſeruos tuos. ℣. Dómine refúgium factus es nobis, à generatióne & progénie.

Orémus.

VT nos Dómine tribuis ſolénne tibi deférre ieiúnium? ſic nobis, quǽſumus, indulgéntiæ præſta ſubſídium. Per Dóminum.

v. Léctio Daniélis Prophétæ. Cap. 3.

IN diébus illis: Angelus Dómini deſcéndit cũ Azaría & ſóciis eius in fornácem ? & excúſſit flammam ignis de fornáce: & fecit médiũ fornácis quaſi ventũ roris flãtem. Flamma autem diffúſa eſt ſuper fornácẽ cúbitis quadragínta nouem: & incéndit, quos réperit iuxta fornácẽ, de Chaldǽis, miníſtros Regis qui eã incendébant. Illos autem omnínò non tétigit ignis, neque cõtriſtáuit: nec quicquã moléſtiæ, íntulit. Tunc hi tres quaſi ex vno ore hymnum dicébant: & magnificábant Deum in fornáce, dicéntes.

Hymnus.

BEnedíctus es Dómine Deus patrũ noſtrórum. Et laudábilis & glorióſus in ſǽcula. Et benedíctum nomen glóriæ tuæ, quod eſt ſanctũ. Et laudábile & glorióſum in ſǽcula.

Benedíctus es in templo ſancto glóriæ tuæ Et laudábilis.

Benedíctus es ſuper thronũ ſanctum regni tui. Et laudábilis.

Benedíctus es ſuper ſceptrũ diuinitátis tuæ. Et laudábilis.

Benedíctus es qui ámbulas ſuper pẽnas ventórum. Et laudábilis.

Benedíctus es qui ſedes ſuper Chérubin íntuens abyſſos. Et laudábilis.

Benedícant te omnes Angeli & Sancti tui. Laudábilem & glorióſum in ſǽcula.

Benedícant te cœli, terra, mare & ómnia: quæ in eis ſunt. Laudábilem.

Glória Patri, & Fílio: & Spirítui Sancto. Laudábili & glorióſo in ſǽcula.

℣. Sicut erat in princípio, & nunc & ſemper: & in ſǽcula ſæculórum, amen.

Et laus & honor, potéſtas & impérium.

Repetitur primus. ℣. Hymni ſcilicet. Benedíctus. Hîc dicitur Dóminus vobíſcum.

Orémus.

DEus qui tribus púeris mitigáſti flammas ígnium: cócéde propítius, vt nos fámulos tuos non exúrat flamma vitiórũ. Per Dóminum.

Sequitur Collecta, de vigilia S. Matthæi ſi hic euenerit, aut de SS. occurrent. aut certe de capituli tricenario ſeu præſenti de functo. Deinde de B. M. Concéde fámulos tuos. nec vlla amplius.

Ad Hebræos. Cap. 9.

FRatres. Tabernáculum factum eſt primum, in quo erant candelábra & menſa & propoſítio panũ: quæ dícitur Sancta. Poſt velaméntũ autem ſecúndum tabernáculum, quod dícitur Sancta Sanctórum: aúreũ habens thuríbulũ, & arcam teſtaménti circuntéctã ex omni parte auro. In qua, vrna aúrea habens manna, & virga A'aron, quæ frondúerat, & tábulæ teſtaménti: ſupérque eam erãt Chérubin glóriæ obũbrántia propitiatórium. De quibus non eſt modò dicéndũ per ſíngula. His verò ita cõpóſitis: in prióri quidem tabernáculo ſemper introíbãt Sacerdótes, ſacrificiórum officia cõſummántes. In ſecúndo verò ſemel in anno ſolus Póntifex, non ſine ſánguine, quem offert pro ſua, & pópuli ignorántia: hoc ſignificánte Spíritu Sancto, nondum propalátam eſſe Sanctórum viam, adhuc prióre tabernáculo habénte ſtatum. Quæ parábola eſt témporis inſtántis: iuxta quam múnera, & hóſtiæ offerúntur, quæ nõ poſſunt iuxta conſciéntiam perféctum fácere ſeruiéntem, ſolúmmodò in cibis, & in pótibus, & váriis baptiſmátibus, & iuſtítiis carnis, vſque ad tempus correctiónis impóſitis. Chriſtus autem aſsíſtens Póntifex futurórũ bonórum per ámplius, & perféctius tabernáculum non manufáctum, id eſt, non huius creatiónis: neque per ſánguinem hircórum aut vitulórum, ſed per próprium ſánguinem introíuit ſemel in Sancta: ætérna redemptióne inuénta.

Tractus.

LAudáte Dóminum omnes Gentes, & collaudáte eum omnes pópuli.

℣. Quóniam confirmáta eſt ſuper nos miſericórdia eius, & véritas Dómini manet in ætérnum.

Secúndum Lucam. Cap. 13.

IN illo témpore. Dicébat Ieſus turbis ſimilitúdinem hãc. A'rborem fici habébat quidam plãtátam in vínea ſua: & venit, quærens fructum in illa, & non inuénit. Dixit autẽ ad cultórem víneæ. Ecce anni tres ſunt, ex quo vénio quærens fructum in ficúlnea hac: & non inuénio. Succíde ergo illam. Vt quid étiam terrã óccupat? At ille reſpóndens: dixit illi. Dómine: dimítte illã, & hoc anno: vſque dum fódiam circa illam, & mittam ſtércora. Et ſi quidem fécerit fructum: ſin autem in futúrum ſuccídes eam. Erat autem docens in Synagóga eórum Sábbatis. Et ecce múlier, quæ habébat ſpíritum infirmitátis annis decem & octo: & erat inclináta, nec omníno póterat ſurſum reſpícere. Quam cùm vidéret Ieſus: vocáuit ad ſe, & ait illi. Múlier: dimíſſa es ab infirmitáte tua. Et impóſuit illi manus: & conféſtim erécta eſt, & glorificábat Deum. Reſpóndens autem Archiſynagógus indígnans quia Sábbato curáſſet Ieſus: dicébat turbæ. Sex dies ſunt: in quibus opórtet operári. In his ergo veníte, & curámini: & non in die Sábbati. Reſpóndit autem ad illum Dóminus & dixit. Hypócritæ: vnuſquíſque veſtrum Sábbato non ſoluit bouem ſuum, aut áſinum à præſépio, & ducit adaquáre? Hanc autẽ filiam Abrahæ, quam alligáuit Sáthanas ecce decem & octo annis, non opórtuit ſolui à vínculo iſto die Sábbati? Et cùm hæc díceret: erubeſcébant

omnes aduerſárij eius. Et omnis pópulus gaudébat in vniuérſis: quæ glorióſè fiébant ab eo.

Offertorium. Dómine Deus ſalútis meæ, in die clamáui, & nocte coram te: intret orátio mea in conſpéctu tuo, Dómine.

Secreta.

COncéde, quǽſumus, omnípotens Deus, vt óculis tuæ maieſtátis munus oblátum, & grátiam nobis deuotiónis obtíneat, & æffétum beátæ perennitátis acquírat. Per Dóminum.

Communio. Menſe ſéptimo feſta celebrábitis, cùm in tabernáculis habitáre fécerim fílios Iſráel, cùm edúcerem eos de terra Aegypti, ego Dóminus Deus veſter.

Poſtcommunio.

PErficiant in nobis, quǽſumus, Dómine, tua ſacraménta quod cóntinent: vt quæ nunc ſpécie gérimus, rerum veritáte capiámus. Per Dóminum noſtrum.

DOMINICA XVI.

Introitus.

INclína Dómine aurem tuam ad me, & exaúdi me, ſaluũ fac ſeruum tuum Deus meus ſperántem in te: miſerére mihi Dómine, quóniam ad te clamáui tota die.

Pſalmus. Cuſtódi ánimam meam, quóniam ſanctus ſum: ſaluum fac ſeruum tuum, Deus meus, ſperántem in te. Collecta

CVſtódi Dómine, quǽſumus, Eccléſiam tuã propitiatióne perpétua: & quia ſine te lábitur humána mortálitas, tuis ſemper auxíliis, & abſtrahátur à nóxiis, & ad ſalutária dirigátur. Per Dóminum.

Ad Galatas. Cap. 5.

FRatres: Si víuimus ſpíritu: ſpíritu & ambulémus. Non efficiámur inánis glóriæ cúpidi: ínuicem prouocántes, ínuicem inuidéntes. Fratres: & ſi præoccupátus fúerit homo in áliquo delícto: vos, qui ſpiritáles eſtis, huiúſmodi inſtrúite in ſpíritu lenitátis, consíderans teípſum, ne & tu tentéris. Alter altérius óneta portáte: & ſic adimplébitis legem Chriſti. Nam ſi quis exíſtimat ſe áliquid eſſe, cùm nihil ſit: ipſe ſe ſedúcit. Opus autem ſuum probet vnuſquíſque: & ſic in ſemetípſo tantũ glóriam habébit, & non in áltero. Vnuſquíſque enim: onus ſuũ portábit. Commúnicet autem is, qui catechizátur verbo, ei qui ſe catechízat: in ómnibus bonis. Nolíte erráre: Deus nõ irridétur. Quæ enim ſemináuerit homo: hæc & metet. Quóniam qui ſéminat in carne ſua: de carne & metet corruptiónem. Qui autem ſéminat in ſpíritu: de ſpíritu metet vitam ætérnam. Bonum autem faciéntes non deficiámus: témpore enim ſuo metémus, non deficiéntes. Ergo dum tempus habémus, operémur bonum ad omnes: máximè autem: ad doméſticos fídei. Cap. 6.

℟. Bonum eſt confídere in Dómino, quàm confídere in hómine. ℣. Bonum eſt ſperáre in Dómino, quàm ſperáre in Princípibus. Allelúia. ℣. Timébunt Gentes nomẽ tuum Dómine, & omnes Reges terræ glóriam tuam. Allelúia.

Secúndum Matthǽum. Cap. 6.

IN illo témpore. Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Nemo poteſt duóbus dóminis ſeruíre. Aut enim vnũ ódio habébit, & álterũ díliget: aut vnum ſuſtinébit, & álterum contémnet. Non potéſtis Deo ſeruíre, & mámmonæ. Ideo dico vobis: ne ſolíciti ſitis ánimæ veſtræ quid manducétis, neque córpori veſtro quid induámini. Nonne ánima plus eſt quàm eſca, & corpus plus quàm veſtiméntum? Reſpícite volatília cœli, quóniam non ſerunt, neque metunt, neque cóngregant in hórrea: & Pater ve-

ſter cœléſtis paſcit illa. Nonne vos magis pluris eſtis illis? Quis autem veſtrum cógitans, poteſt adiícere ad ſtatúram ſuam cúbitum vnum? Et de veſtiménto quid ſolíciti eſtis? Cõſideráte lília agri: quómodo creſcunt. Non labórant: neque nent. Dico autem vobis: quòd nec Sálomon in omni glória ſua coopértus eſt ſicut vnum ex iſtis. Si autem fœnum agri, quod hódie eſt, & cras in clíbanum míttitur, Deus ſic veſtit: quantò magis vos módicę fidei? Nolite ergo ſolíciti eſſe, dicéntes: quid manducábimus, aut quid bibémus, aut quo operiémur. Hæc enim ómnia: Gentes inquírunt. Scit enim Pater veſter: quia his ómnibus indigétis. Quærite ergo primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius: & hæc ómnia: adiiciéntur vobis.

Offertorium. Expéctans expectáui Dóminũ, & reſpéxit me: & exaudíuit deprecatiónem meam, & immíſit in os meum cánticum nouum, hymnum Deo noſtro. Secreta

Concéde nobis Dómine, vt hæc hóſtia ſalutáris & noſtrórũ fiat purgátio delictórum, & tuæ propitiátio poteſtátis. Per Dóminum.

Communio. Qui mãdúcat carnem meam, & bibit ſánguinem meum, in me manet, & ego in eo, dicit Dóminus. Poſtcommunio

PVríficent ſemper & múniãt tua ſacraménta nos, Deus: & ad perpétuæ ducant ſaluatiónis effectum. Per Dóminum.

DOMINICA XVII.

Introitus.

Miſerére mihi Dómine, quóniam ad te clamáui tota die: quia tu Dómine ſuáuis, ac mitis es, & copióſus in miſericórdia ómnibus inuocántibus te.

Pſalmus. Inclína Dómine aurem tuam, & exáudi me: quóniam inops, & pauper ſum ego. Collecta.

Eccléſiam tuam, Dómine, miſerátio contínua mundet & múniat: & quia ſine te non poteſt ſalua conſíſtere: tuo ſemper múnere gubernétur. Per Dóminum.

Ad Epheſios. Cap. 3.

Fratres: Obſecro vos ne deficiátis in tribulatiónibus meis pro vobis: quæ eſt glória veſtra. Huius rei grátia flecto génua mea ad Patrẽ Dómini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis patérnitas in cœlis, & in terra nominátur: vt det vobis ſecúndum diuítias glóriæ ſuæ virtútem corroborári per Spíritum in interióre hómine, habitáre Chriſtum per fidem in córdibus veſtris. In charitáte radicáti & fundáti: vt poſſítis comprehéndere cum ómnibus Sanctis, quæ ſit latitúdo, & longitúdo, & ſublímitas, & profúndum. Scire étiam ſupereminéntẽ ſciéntiæ charitátem Chriſti: vt impleámini in omnẽ plenitúdinem Dei. Ei autem, qui potẽs eſt ómnia fácere ſuperabundánter, quàm pétimus aut intellígimus ſecúndum virtútem, quæ operátur in nobis: ipſi glória in Eccléſia, & in Chriſto Ieſu: in omnes generatiónes ſæculi ſæculórum, amen.

℟. Timébunt Gentes nomen tuum Dómine, & omnes Reges terræ glóriam tuam.

℣. Quóniam ædificáuit Dóminus Sion: & vidébitur in maieſtáte ſua. Allelúia.

℣. Confitémini Dómino, & inuocáte nomen eius: annuntiáte inter Gentes ópera eius, allelúia.

Secúndum Lucam. Cap. 7.

In illo témpore. Ibat Ieſus in ciuitátem, quæ vocátur Naim: & ibãt cum illo diſcípuli eius, & turba copióſa. Cùm autem appropinquáret portæ ciuitátis: ecce defunctus efferebátur, filius vnicus matris ſuæ. Et hæc vídua erat: & turba ciuitátis multa cum illa. Quam cùm vidíſſet

Dóminus: miſericórdia motus ſuper eam, dixit illi. Noli flere. Et accéſſit: & tétigit lóculum. Hi autem, qui portábant: ſtetérũt. Et ait. Adoléſcens: tibi dico ſurge. Et reſédit, qui erat mórtuus: & cœpit loqui. Et dedit illum matri ſuæ. Accépit autẽ omnes timor: & magnificábant Deum, dicéntes. Quia Prophéta magnus ſurréxit in nobis: & quia Deus: viſitáuit plebem ſuam.

Offertorium. **Dómine in auxílium meum réſpice, confundántur, & reuereántur, qui quærunt ánimam meam, vt aúferant eum.**

Secreta.

TVa nos, Dómine, ſacraménta cuſtódiant, & contra diabólicos tueántur ſemper incúrſus. Per Dóminum noſtrum.

Communio. **Dómine memorábor iuſtítiæ tuæ ſolíus: Deus docuíſti me à iuuentúte mea: & vſque in ſenéctam & ſénium, Deus, ne derelínquas me.**

Poſtcommunio.

MEntes noſtras & córpora poſſídeat, quæſumus, Dómine, doni cœléſtis operátio: vt non noſter ſenſus in nobis, ſed iúgiter eius præuéniat effectus. Per Dóminum.

DOMINICA XVIII.

Introitus.

IVſtus es Dómine, & rectum iudíciũ tuum: fac cum ſeruo tuo ſecúndum miſericórdiam tuam. Pſalm. **Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.**

Collecta.

TVa nos, Dómine, quæſumus, grátia ſemper & præuéniat, & ſequátur: ac bonis opéribus iúgiter præſtet eſſe inténtos. Per Dóminum.

Ad Ephéſios. Cap. 4.

FRatres: Obſecro vos ego vinctus in Dómino: vt dignè ambulétis vocatióne, qua vocáti eſtis, cum omni humilitáte, & mãſuetúdine, cum patiéntia, ſupportántes ínuicem in charitáte. Solíciti ſeruáre vnitátem Spíritus: in vínculo pacis. Vnũ corpus & vnus ſpíritus: ſicut vocáti eſtis in vna ſpe vocatiónis veſtræ. Vnus Dóminus: vna fides: vnum baptíſma. Vnus Deus & Pater ómnium qui eſt ſuper omnes, & per ómnia. & in ómnibus nobis. Qui eſt benedíctus: in ſǽcula ſæculórum.

℞. **Beáta gens, cuius eſt Dóminus Deus eius: pópulus, quem elégit Dóminus in hæreditátẽ ſibi. ℣. Verbo Dómini cœli firmáti ſunt: & Spíritu oris eius omnis virtus eórum. Allelúia. ℣. Parátum cor meum Deus: parátum cor meum, cantábo: & pſallam in glória mea. Allelúia.**

Secúndum Lucam. Cap. 14.

IN illo témpore: Cùm intráret Iéſus in domum cuiúſdam Príncipis Phariſæórum Sábbato manducáre panem: & ipſi obſeruábant eum. Et ecce homo quidã hydrópicus: erat ante illum. Et reſpóndẽs Iéſus: dixit ad Legiſperítos & Phariſǽos, dicens. Si licet Sábbato curáre? At illi tacuérunt. Ipſe verò apprehénſum ſanáuit eum: ac dimíſit. Et reſpóndens ad illos, dixit. Cuius veſtrum áſinus, aut bos in púteum cadit, & non contínuò éxtrahet illum die Sábbati? Et non póterant ad hęc reſpondére illi. Dicébat autem & ad inuitátos parábolam: inténdẽs quómodo primos accúbitus elígerent dicens ad illos. Cùm inuitátus fúeris ad núptias, nõ diſcúmbas in primo loco: ne fortè honorátior te ſit inuitátus ab illo, & véniẽs is, qui te, & illum vocáuit, dicat tibi, da huic locum, & tunc incípias cũ rubóre nouíſſimum locum tenére. Sed cùm vocátus fúeris: vade, & recúmbe in nouíſſimo loco, vt cùm vénerit, qui te inuitáuit, dicat tibi, amíce, aſcénde ſupériùs. Tunc erit tibi glória coram ſimul diſcum-

béntibus: quia omnis, qui ſe exáltat, humiliábitur. Et, qui ſe humíliat: exaltábitur.

Offertorium. Oráui Deum meum ego Dániel, dicens: exaúdi Dómine preces ſerui tui, illúmina fáciem tuam ſuper ſanctuárium tuum: & propítius inténde pópulum iſtum, ſuper quem inuocátum eſt nomen tuum, Deus.

Secreta.

MVnda nos Dómine, ſacrificij præſéntis effectu, & pérfice miſerátus in nobis, vt eius mereámur eſſe partícipes. Per Dóminum.

Communio. Vouéte & réddite Dómino Deo veſtro omnes, qui in circúitu eius affértis múnera, terríbili, & ei, qui aufert ſpíritum Príncipum: terríbili apud omnes Reges terræ.

Poſtcommunio.

PVrífica Dómine, quǽſumus, mentes noſtras benígnus, & rénoua cœléſtibus ſacraméntis? vt conſequénter & córporum præſens páriter & futúrum capiámus auxílium. Per Dóminum.

DOMINICA XIX.

Introitus.

DA pacem Dómine ſuſtinéntibus te vt Prophétæ tui fidéles inueniántur: exaúdi preces ſerui tui, & plebis tuæ Iſráel. Pſalmus. Lætátus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi: in domum Dómini íbimus.

Collecta.

DA quǽſumus, Dómine pópulo tuo diabólica vitáre contágia? & te ſolum Dóminum pura mente ſectári. Per Dóminum.

Ad Corinthios. 1. Cap. 1.

FRatres: Grátias ago Deo meo ſemper pro vobis in grátia Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto Iéſu: quia in ómnibus díuites facti eſtis in illo, in omni verbo, & in omni ſciéntia, ſicut teſtimónium Chriſti confirmátũ eſt in vobis, ita vt nihil vobis deſit in vlla grátia, expectántibus reuelatiónem Dómini noſtri Iéſu Chriſti. Qui & confirmábit vos vſque in finem ſine crímine: in die aduéntus Dómini noſtri Iéſu Chriſti.

℟. Lætátus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi: in domum Dómini íbimus. ℣. Fiat pax in virtúte tua, & abundántia in túrribus tuis. Allelúia. ℣ Qui timent Dóminum ſperent in eum: adiútor, & protéctor eórum eſt. Allelúia.

Secúndum Matthǽum. Cap. 22.

IN illo témpore: Conuenérũt Phariſǽi in vnum: & interrogáuit Iéſum vnus ex eis Legis Doctor tentãs eum. Magíſter: quod eſt mandátum magnum in lege? Ait illi Iéſus. Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo? & in tota ánima tua: & in tota mẽte tua. Hoc eſt máximum: & primum mandátum. Secúndum autem: ſimile eſt huic. Díliges próximum tuum: ſicut teípſum. In his duóbus mandátis: vniuérſa lex pendet, & Prophétæ. Congregátis autẽ Phariſǽis: interrogáuit eos Iéſus, dicens. Quid vobis vidétur de Chriſto, cuius fílius eſt? Dicunt ei. Dauid. Ait illis. Quómodò ergo Dauid in Spíritu vocat eũ Dóminum, dicens, dixit Dóminus Dómino meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimícos tuos ſcabéllum pedum tuórum? Si ergo Dauid vocat eum Dóminum: quómodò fílius eius eſt? Et nemo póterat reſpondére ei verbum: neque auſus fuit quiſquam ex illa die: eum ámpliùs interrogáre.

Offertorium. Sanctificáuit Móyſes altáre Dómino, ófferens ſuper illud holocaúſtum: & ímmolans víctimas fecit ſacrifícium matutínum, in odórẽ ſuauitátis Dómino Deo, in conſpéctu filiórum Iſráel.

Secreta.

MAieſtátem tuam, Dómine, ſupplíciter deprecámur, vt hæc ſancta, quæ gérimus & à prætéritis

Digitized by Google

nos delíctis exuant, & futúris. Per Dóminum noſtrum.

Communio. Tóllite hóſtias, & introíte in átria eius: adoráte Dóminum in aula ſancta eius. Poſtcommunio.

SAnctificatiónibus tuis, omnípotens Deus, & vítia noſtra curéntur ; & remédia nobis ætérna proueniant. Per Dóminum.

DOMINICA XX.

Introitus.

SAlus pópuli ego ſum, dicit Dóminus, de quacúnque tribulatióne clamáuerint ad me, exaúdiam eos: & ero illórum Dóminus in perpétuum.

Pſalmus. Atténdite pópule meus legem meam: inclináte aurem veſtram in verba oris mei. Collecta

DIrigat corda noſtra, Dómine, quæſumus, tuæ miſeratiónis operátio ; quia tibi ſine te placére non póſſumus. Per Dóminum.

Ad Ephéſios. Cap.4.

FRatres: Renouámini ſpíritu mẽtis veſtræ: & indúite nouum hóminem, qui ſecúndum Deum creátus eſt, in iuſtítia & ſanctitáte veritátis. Propter quod deponéntes mẽdácium, loquímini veritátem vnuſquíſque cum próximo ſuo: quóniã ſumus ínuicem mẽbra. Iraſcímini: & nolíte peccáre. Sol nõ óccidat ſuper iracúndiam veſtram. Nolíte locum dare diábolo. Qui furabátur: iam non furétur. Magis autẽ labóret operándo mánibus ſuis, quod bonum eſt: vt hábeat vnde tríbuat: neceſſitátem patiénti.

℟. Dirigátur orátio mea ſicut incénſum in conſpéctu tuo, Dómine. ℣. Eleuátio mánuum meárum ſacrifícium veſpertínum. Allelúia. ℣. Déxtera Dei fecit virtútẽ, déxtera Dómini exaltáuit me. Allelúia.

Secúndum Matthǽum. Cap.9.

IN illo témpore: Aſcéndens Iéſus in nauículam: transfretáuit & venit in ciuitátem ſuam. Et ecce offerébant ei paralýticum: iacéntem in lecto. Et videns Iéſus fidem illórum: dixit paralýtico. Confíde fili: remittúntur tibi peccáta tua. Et ecce quidam de Scribis: dixérunt intra ſe. Hic blaſphémat. Et cùm vidíſſet Iéſus cogitatiónes eórum: dixit. Vt quid cogitátis mala in córdibus veſtris? Quid eſt facílius dícere, remittúntur tibi peccáta tua, an dícere ſurge, & ámbula? Vt ſciátis autem quóniam Fílius hóminis habet poteſtátem in terra dimitténdi peccáta: tunc ait paralýtico. Surge, tolle lectum tuum: & vade in domum tuam. Et ſurréxit: & ábiit in domum ſuam. Vidéntes autem turbæ timuérunt: & glorificauérunt Deum: qui dedit poteſtátem talem homínibus.

Offertorium. Si ambuláuero in médio tribulatiónis viuificábis me Dómine, & ſuper iram inimicórum meórũ extendes manum tuam, & ſaluum me fecit déxtera tua.

Secreta.

DEus, qui nos per huius ſacrifícij veneránda cõmércia, vníus ſummæque diuinitátis partícipes éfficis, præſta quæſumus, vt ſicut tuã cognóſcimus veritátem, ſic eam dignis méntibus, & móribus aſſequámur. Per Dóminum.

Communio. Tu mandáſti mandáta tua cuſtodíri nimis: vtinam dirigántur viæ meæ ad cuſtodiéndas iuſtificatiónes tuas.

Poſtcommunio.

GRátias tibi reférimus, Dómine, ſacro múnere vegetáti tuã miſericórdiam deprecántes ; vt dignos nos eius participatióne perfícias. Per Dóminum noſtrũ Iéſum Chriſtum Fílium tuum. Qui tecum.

DOMINICA XXI.

Introitus.

OMnia, quę feciſti nobis, Dómine, in vero iudício feciſti: quia peccáuimus tibi, & mandátis tuis nō obedíuimus: ſed da glóriā nómini tuo, & fac nobíſcum ſecúndum multitúdinem miſericórdiæ tuæ.

Pſalmus. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.

Collecta

OMnípotens & miſéricors Deus vniuérſa nobis aduerſātia propitiátus exclúde: vt mente & córpore páriter expedíti? quæ tua ſunt líberis méntibus exequámur. Per Dóminum noſtrum.

Ad Ephéſios. Cap. 5.

FRatres: Vidéte quómodo cautè ambulétis, non quaſi inſipiéntes, ſed vt ſapiéntes: rediméntes tēpus, quóniam dies mali ſunt. Proptérea nolíte fieri imprudéntes: ſed intelligéntes, quæ ſit volúntas Dei. Et nolíte inebriári vino, in quo eſt luxúria: ſed impleámini Spíritu Sancto, loquéntes vobiſmetipſis in pſalmis, & hymnis, & cánticis ſpirituálibus, cantántes & pſalléntes in córdibus veſtris Dómino, grátias agéntes ſemper pro ómnibus, in nómine Dómini noſtri Iéſu Chriſti Deo & Patri. Subiécti ínuicem: in timóre Chriſti.

O′culi ómnium in te ſperant Dómine, & tu das illis eſcam in témpore opportúno.

A′peris tu manum tuam, & imples omne ánimal benedictióne. Allelúia.

Qui confídunt in Dómino, ſicut mons Sion: non commouébitur in ætérnum, qui hábitat in Ierúſalem. Allelúia.

Secúndum Matthǽum. Cap. 22.

IN illo témpore: Dicébat Iéſus turbis parábolam hanc. Símile factum eſt regnum cœlórum hómini Regi: qui fecit núptias fílio ſuo. Et miſit ſeruos ſuos vocáre inuitátos ad núptias: & nolébant veníre. Iterum miſit álios ſeruos, dicens. Dícite inuitátis. Ecce prándium meum parául: tauri mei & altília occíſa, & ómnia paráta, veníte ad núptias. Illi autem neglexérunt. Et abiérunt álius in villam ſuam: álius verò ad negotiatiónem ſuam. Réliqui verò tenuérunt ſeruos eius: & contuméliā affectos occidérunt. Rex autem cùm audiſſet: irátus eſt. Et miſſis exercítibus ſuis pérdidit homicídas illos: & ciuitátem illórum ſuccéndit. Tunc ait ſeruis ſuis. Núptiæ quidem parátæ ſunt: ſed qui inuitáti erant, non fuérunt digni. Ite ergò ad éxitus viárum: & quoſcúnque inuenéritis, vocáte ad núptias. Et egréſſi ſerui eius in vias, congregauérunt omnes, quos inuenérunt malos, & bonos: & implétæ ſunt núptiæ diſcumbéntium. Intráuit autem Rex, vt vidéret diſcumbéntes: & vidit ibi hóminem non veſtítum veſte nuptiáli, & ait illi. Amíce: quómodò huc intráſti, non habens veſtem nuptiálem? At ille obmútuit. Tunc dixit Rex miniſtris. Ligátis mánibus eius & pédibus: míttite eum in ténebras exterióres. Ibi erit fletus: & ſtridor déntium. Multi autem ſunt vocáti: pauci verò elécti.

Offertorium. Super flúmina Babylónis illic ſédimus, & fléuimus, dum recordarémur tui Sion.

Secreta

HÆc múnera, quǽſumus Dómine, quæ óculis tuæ maieſtátis offérimus, ſalutária nobis eſſe concéde. Per Dóminum noſtrum.

Communio. Meménto verbi tui ſeruo tuo Dómine, in quo mihi ſpem dediſti: hæc me conſoláta eſt in humilitáte mea.

Poſtcommunio.

TVa nos, Dómine, medicinális operátio, & à noſtris peruerſitátibus cleménter expédiat? & tuis

faciat ſemper inhærére mãdátis. Per Dóminum noſtrum.

DOMINICA XXII.

Introitus.

IN voluntáte tua Dómine, vniuérſa ſunt póſita: & non eſt qui poſſit reſíſtere voluntáti tuæ: tu enim fecíſti ómnia, cœlum, & terram, & vniuérſa, quæ cœli ámbitu continéntur: Dóminus vniuerſórum tu es.

Pſalmus. **Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.** Collecta.

LArgíre, quæſumus, Dómine fidélibus tuis indulgéntiam placátus & pacem: vt páriter ab ómnibus mundéntur offénſis, & ſecúra tibi mente deſéruiant. Per Dóminum.

Ad Ephéſios. Cap. 6.

FRatres: Confortámini in Dómino: & in poténtia virtútis eius. Indúite vos armatúra Dei, vt poſsítis ſtare aduérſus inſídias diáboli: quóniam non eſt nobis colluctátio aduérſus carnem, & ſánguinem, ſed aduérſus Príncipes & Poteſtátes, aduérſus mundi rectóres tenebrárum harum, contra ſpiritália nequítiæ in cœléſtibus. Proptérea accípite armatúram Dei: vt poſsítis reſíſtere in die malo, & in ómnibus perfécti ſtare. State ergo ſuccíncti lumbos veſtros in veritáte: indúti loricam iuſtítiæ & calceáti pedes in præparatióne Euangélij pacis. In ómnibus ſuméntes ſcutum fídei: in quo poſsítis ómnia tela nequíſſimi ígnea extínguere. Et gáleam ſalútis aſſúmite: & gládium ſpíritus: quod eſt verbum Dei.

℟. **Dómine refúgium factus es nobis, à generatióne & progénie.** ℣ **Priúſquam montes fíerent, aut formarétur terra & orbis: à ſæculo & in ſæculum tu es Deus. Allelúia.**

℣. **De profúndis clamáui ad te Dómine: Dómine exaúdi vocem meam. Allelúia.**

Secúndum Ioánnem. Cap. 4.

IN illo témpore. Erat quidam Régulus: cuius fílius infirmabátur Caphárnaũ. Hic cùm audíſſet quia Iéſus adueníret à Iudǽa in Galilǽã: ábiit ad eum, & rogábat eum, vt deſcénderet, & ſanáret fílium eius. Incipiébat enim mori. Dixit ergo Iéſus ad eum. Niſi ſigna & prodígia vidéritis: non créditis. Dicit ad eum Régulus. Dómine: deſcénde priúſquã moriátur fílius meus. Dicit ei Iéſus. Vade: fílius tuus viuit. Crédidit homo ſermóni, quem dixit ei Iéſus: & ibat. Iam autem eo deſcẽdénte: ſerui occurrérunt ei, & nuntiauérunt dicéntes, quia fílius eius víueret. Interrogábat ergo horã ab eis: in qua mélius habúerat. Et dixérũt ei: quia heri hora ſéptima relíquit eum febris. Cognóuit ergo pater, quia illa hora erat: in qua dixit ei Iéſus, fílius tuus viuit. Et crédidit ipſe: & domus eius tota.

Offertorium. **Vir erat in terra nómine Iob, ſimplex, & rectus, ac timens Deum: quem Sathan pétiit, vt tentáret: & data eſt ei potéſtas à Dómino, in facultáte, & in carne eius: perdidítque omnem ſubſtántiam ipſíus & fílios: carnem quoque eius graui vlcere vulneráuit.** Secreta.

COeléſtem nobis prǽbeant hæc myſtéria, quǽſumus, Dómine, medicínam, & vítia cordis noſtri expúrgent. Per Dóminum.

Communio. **In Salutári tuo ánima mea, & in verbũ tuum ſperáui: quãdo fácies de perſequéntibus me iudícium: iníqui perſecúti ſunt me, ádiuua me Dómine Deus meus.**

Poſtcommunio.

VT ſacris, Dómine, reddámur digni munéribus, fac nos, quǽſumus, tuis obedíre mandátis. Per Dóminum noſtrũ Iéſum Chriſtum fílium tuum. Qui.

DOMINICA XXIII.
Introitus.

SI iniquitátes obſeruáueris Dómine: Dómine, quis ſuſtinébit? quia apud te propitiátio eſt, Deus Iſráel.

Pſalmus. De profúndis clamáui ad te, Dómine: Dómine exaúdi vocem meam.

Collecta.

FAmíliam tuam, quǽſumus, Dómine contínua pietáte cuſtódi: vt à cunctis aduerſitátibus, te protegénte, ſit líbera: & in bonis áctibus tuo nómini ſit deuóta. Per Dóminum noſtrum Iéſum Chriſtum.

Ad Philippénſes. Cap. I.

FRatres: Confídimus in Dómino Iéſu: quia qui cœpit in vobis op[9] bonum, perfíciet, vſque in diem Iéſu Chriſti. Sicut eſt mihi iuſtum hoc ſentíre pro ómnibus vobis: eo quòd hábeam vos in corde, & in vínculis meis, & in defenſióne, & confirmatióne Euangélij, ſócios gaúdij mei omnes vos eſſe. Teſtis enim mihi eſt Deus: quómodò cúpiam vos omnes in viſcéribus Iéſu Chriſti. Et hoc oro: vt cháritas veſtra magis ac magis abúndet in ſciéntia, & in omni ſenſu, vt probétis potióra, vt ſitis ſyncéri, & ſine offénſa in diem Chriſti. Repléti fructu iuſtítiæ: per Iéſum Chriſtum: in glóriam, & laudem Dei.

℟. Ecce quàm bonum, & quàm iucúndum habitáre fratres in vnum. ℣. Sicut vnguéntum in cápite, quod deſcéndit in barbam, barbam A'aron. Allelúia. ℣. Qui ſanat contrítos corde, & álligat contritiónes eórum. Allelúia.

Secúndum Matthǽum. Cap. 18.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Símile eſt regnum cœlórũ hómini Regi: qui vóluit ratiónem pónere cum ſeruis ſuis. Et cùm cœpiſſet ratiónem pónere: oblátus eſt ei vnus, qui debébat decem míllia talénta. Cùm autem nõ habéret vnde rédderet: iuſſit eum Dóminus venúndari, & vxórem eius, & filios, & ómnia quæ habébat, & reddi. Prócidens autem ſeruus ille: orábat eum, dicẽs. Patiéntiam habe in me: & ómnia reddam tibi. Miſértus autem Dóminus ſerui illíus, dimíſit eũ: & débitum dimíſit ei. Egréſſus autem ſeruus ille: inuénit vnum de cõſéruis ſuis, qui debébat ei centum denários. Et tenẽs: ſuffocábat eum, dicens. Redde quod debes. Et prócidens conſéruus eius: rogábat eum, dicens. Patiéntiã habe in me: & ómnia reddam tibi. Ille autem nóluit: ſed ábiit, & miſit eum in cárcerem, donec rédderet débitum. Vidéntes autem conſérui eius, quæ fiébant: contriſtáti ſunt valde. Et venérunt: & narrauérunt Dómino ſuo ómnia, quæ facta fúerant. Tunc vocáuit illum Dóminus eius: & ait illi. Serue nequam: omne débitũ dimíſi tibi, quóniam rogáſti me. Nonne ergo opórtuit & te miſeréri conſérui tui, ſicut & ego tui miſértus ſum? Et irátus Dóminus eius: trádidit eum tortóribus, quoadúſque rédderet vniuérſum débitum. Sic & Pater meus cœléſtis fáciet vobis: ſi non remiſéritis vnuſquíſque fratri ſuo: de córdibus veſtris.

Offertorium. Recordáre mei Dómine omni potentátui dóminans: da ſermonẽm rectum in os meum, vt pláceant verba mea in conſpéctu Príncipis. Secreta.

SVſcipe Dómine propítius hóſtias, quibus & te placári voluíſti, & nobis ſalútem poténti pietáte reſtítui. Per Dóminum.

Communio. Dico vobis, gaúdium eſt A'ngelis Dei ſuper vno peccatóre pœniténtiam agénte. Poſtcommunio

IMmortalitátis alimóniam conſecúti, quǽſum[9], Dómine: vt quod

ore percépimus ? mente ſectémur. Per Dóminum.

DOMINICA XXIIII.

Introitus.

DIcit Dóminus ego cógito cogitatiónes pacis, & non afflictiónis: inuocábitis me, & ego exaúdiã vos, & redúcam captiuitátem veſtram de cunctis locis.

Pſalmus Benedixíſti Dómine terram tuam: auertíſti captiuitátem Iacob.

Collecta.

DEus refúgium noſtrum, & virtus ? adéſto piis Eccléſiæ tuæ précibus, author ipſe pietátis: & præſta, vt quod fidéliter pétimus ? efficáciter conſequámur. Per Dómi.

Ad Philippénſes. Cap. 3.

FRatres: Imitatóres mei eſtóte: & obſeruáte eos, qui ita ámbulant, ſicut habétis formam noſtrã. Multi enim ámbulant, quos ſæpe dicébam vobis: nunc autem & flens dico, inimícos crucis Chriſti, quorum finis intéritus, quorum Deus venter eſt, & glória in confuſióne ipſórum, qui terréna ſápiunt. Noſtra autem conuerſátio: in cœlis eſt. Vnde etiã Saluatórem expectámus Dóminũ noſtrum Ieſum Chriſtum: qui reformábit corpus humilitátis noſtræ, cõfigurátum córpori claritátis ſuæ ſecúndum operatiónem, qua poſſit
cap. 4. etiã ſubiícere ſibi ómnia. Itaque fra-
tres mei chariſſimi, & deſideratíſſimi, gaúdiũ meum, & coróna mea: ſic ſtate in Dómino, chariſſimi. Euódiã rogo, & Sýnthychen déprecor: idípſum ſápere in Dómino. Etiam rogo & te Germáne compar: ádiuua illas, quæ mecum laborauérunt in Euangélio, cum Cleménte, & cæteris adiutóribus meis. Quorum nómina ſunt: in libro vitæ.

℟. Liberáſti nos Dómine, ex affligéntibus nos: & eos, qui nos odérunt, confudíſti. ℣. In Deo laudábimur tota die, & nómini tuo confitébimur in ſæcula. Allelúia. ℣. Qui póſuit fines tuos pacem: & ádipe frumenti ſátiat te. Allelúia.

Secúndum Matthæum. Cap. 22.

IN illo témpore: Abeúntes Phariſæi: conſílium iniérunt, vt cáperent Ieſum in ſermóne. Et mittunt ei diſcípulos ſuos, cum Herodiánis: dicéntes. Magíſter: ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritáte doces: & non eſt tibi cura de áliquo. Non enim réſpicis perſónam hóminum. Dic ergo nobis: quid tibi vidétur. Licet cenſum dari Cæſari, an non? Cógnita autem Ieſus nequítia eorũ: ait. Quid me tentátis hypócritæ? Oſténdite mihi numíſma cenſus. At illi obtulérunt ei denárium. Et ait illis Ieſus. Cuius eſt imágo hæc, & ſuperſcríptio? Dicunt ei. Cæſaris. Tunc ait illis. Réddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo.

Offertorium. De profúndis clamáui ad te Dómine: Dómine exaúdi oratiónẽ meam.

Secreta.

DA miséricors Deus, vt hæc ſalutáris oblátio, & à própriis nos reátibus indeſinénter expédiat, & ab ómnibus tueátur aduérſis. Per Dóminum noſtrum.

Communio. Amen dico vobis, quicquid orántes pétitis, crédite quia accipiétis, & fiet vobis.

Poſtcommunio.

SVmpſimus, Dómine, ſacri dona myſtérij, humíliter deprecántes: vt quæ in tui commemoratióne nos fácere præcepíſti ? in noſtræ proficiant infirmitátis auxílium. Qui viuis & regnas.

DOMINICA XXV.

Introitus.

DIcit Dóminus ego cógito cogitatiónes pacis, & non afflictiónis: inuocábitis me, & ego exaúdiã vos. vt ſuprà.

Collecta.

EXcita Dómine, quæſumus, tuórum fidélium voluntátes: vt diuíni óperis fructum propénſiùs exequéntes; pietátis tuæ remédia maióra percípiant. Per Dóminum.

Léctio Ieremíæ Prophétæ.

Cap. 23.

ECce dies véniũt, dicit Dóminus: & ſuſcitábo Dauid germen iuſtum, & regnábit Rex, & ſápiẽs erit, & fáciet iudíciũ, & iuſtítiam in terra. In diébus illis ſaluábitur I'uda: & Iſráel habitábit confidénter. Et hoc eſt nomen, quod vocábunt eũ: Dóminus, iuſtus noſter. Propter hoc, ecce dies véniunt, dicit Dóminus: & non dicent vltra, viuit Dóminꝰ, qui edúxit filios Iſráel de terra Ægýpti, ſed viuit Dóminus, qui edúxit, & addúxit ſemen domus Iſráel de terra Aquilónis, & de cunctis terris, ad quas eiéceram eos illuc. Et habitábunt in terra ſua: dicit Dóminus omnípotens.

℟. Liberáſti nos Dómine, ex affligéntibus nos: & eos, qui nos odérunt, confudíſti.

℣. In Deo laudábimur tota die, & nómini tuo confitébimur in ſæcula. Allelúia.

℣. Qui póſuit fines tuos pacem, & ádipe fruménti ſátiat te. Allelúia.

Secúndum Ioánnem. Cap. 6.

IN illo témpore. Cùm ſubleuáſſet óculos Iéſus, & vidíſſet quia multitúdo máxima venit ad eum: dicit ad Philíppum. Vnde emémus panes vt mandúcent hi? Hoc autem dicébat: tentans eum. Ipſe enim ſciébat: quid eſſet factúrus. Reſpóndit ei Philíppus. Ducentórum denariórũ panes non ſufficiunt eis: vt vnuſquíſque módicum quid accípiat. Dicit ei vnus ex diſcípulis eius: Andréas frater Simónis Petri. Eſt puer vnus hîc: qui habet quinque panes hordeáceos, & duos piſces. Sed hæc quid ſunt inter tantos? Dixit ergo Iéſus. Fácite hómines diſcúmbere. Erat autem fœnum multum in loco. Diſcubuérũt ergo viri: número quaſi quinque míllia. Accépit ergo Iéſus panes: & cùm grátias egíſſet, diſtríbuit diſcumbéntibus. Simíliter & ex píſcibus: quantum volébant. Vt autem impléti ſunt: dixit diſcípulis ſuis. Collígite, quæ ſuperauérunt fragménta: ne péreant. Collegérunt ergo: & impleuérunt duódecim cóphinos fragmentórum, ex quinque pánibus hordeáceis, quæ ſuper fuérunt his, qui manducáuerant. Illi ergo hómines cùm vidíſſent, quod fécerat, ſignum: dicébant. Quia hic eſt verè Prophéta: qui ventúrus eſt in mundum.

Offertorium. De profúndis clamáui ad te Dómine: Dómine exáudi oratiónem meam.

Secreta.

PRopítius eſto Dómine ſupplicatiónibus noſtris, & pópuli tui oblatiónibus precibúſque ſuſcéptis, ómnium noſtrum ad te corda conuérte, vt à terrénis cupiditátibus líberi, ad cœléſtia deſidéria tranſeámus. Per Dóminum.

Communio. Amen dico vobis, quicquid orántes petitis, crédite, quia accipiétis, & fiet vobis.

Poſtcommunio.

COncéde nobis Dómine, quæſumus: vt per ſacraméntũ, quod ſúmpſimus; quicquid in noſtra mente vitióſum eſt, ipſius medicatiónis dono curétur. Per Dóminum.

Finis Dominicalis & feriati officij.

ORDO AD INDVENDVM ſe veſtimentis Sacerdotalibus in primis dicat Sacerdos.

Adiutórium noſtrum in nómine Dómini. Qui fecit cœlum & terram.

Collecta.

AVres tuæ pietátis mitiſſime Deus précibus meis inclína: & grátia Sancti Spíritus illúmina cor meum, vt tuis myſtériis dignè miniſtráre váleam. Per.

Alia.

DO'mine Deus, cui próprium eſt ſaluáre, & nullum pérdere: per interceſſiónem ómnium Sanctórum tuórum ſis, óbſecro, propítius mihi peccatóri, vt quicquid iniquitátis vel peccáti ego impius negligénter peccáui: tu pius, ſupplex depóſco, clem énter ignóſcas.

Alia.

COnſciéntias noſtras, quæſumus Dómine viſitándo purífica: vt véniens Iéſus Chriſtus Fílius tuus Dóminus noſter parátam ſibi in nobis inuéniat manſiónem.

Alia.

ACtiónes noſtras, quæſumus, Dómine aſpirándo præueni, & adiuuándo proſéquere: vt cuncta noſtra operátio à te ſemper incípiat, & per te cœpta finiátur. Per Chriſtum Dóminum noſtrum.

Deinde volens ſe induere dicat.

EXue me Dómine véterem hóminem cum áctibus ſuis. Et índue me nouum hóminẽ: qui ſecúndum Deum creátus eſt in ſanctitáte iuſtítiæ & veritátis.

Quando ponit amictum.

POne Dómine gáleam ſalútis in cápite meo: ad expugnándas & ſuperándas diabólicas fraudes. Per Chriſtum Dóminum.

Ad Albam.

DEálba me Dómine: & à delícto meo mũda me: vt cum his, qui ſtolas ſuas lauérũt in ſánguine Agni, gaúdiis pérfrui mérear cœli. Per Chriſtum Dóminum.

Ad cingulum.

PRæcínge, Dómine cíngulo fídei & virtúte caſtitátis lumbos córporis mei, & extíngue in eis ardórem libídinis: vt iúgiter máneat in eis tenor totíus caſtitátis. Per.

Ad manipulum.

POrtáre mérear, Dómine, manípulum deuóta mente, cum cordis exultatióne, quátinus cum eléctis tuis portiónem hábeã in réquie ſempitérna. Per Chriſtũ.

Ad ſtolam.

REdde mihi Dómine ſtolam immortalitátis, quã pérdidi in præuaricatióne primi paréntis: & quia cum hoc ornaménto accédo, quãuis indígnus, ad tuum ſanctum miniſtérium: præſta, vt cum eo lætári mérear in perpétuum. Per.

Quando induit caſulam.

DO'mine Iéſu Chriſte, qui dixiſti diſcípulis tuis, iugum meũ ſuáue eſt & onus meũ leue, præſta, vt ſic illud portáre váleam, quátinus tuã poſſim cónſequi grátiam. Qui.

Ante confeſſionem. Veni Sancte.

Poſtea ſe ſignãs dicat. In nómine Patris, & Fílij & Spíritus Sancti.

COnfíteor Deo, & beátæ Maríæ, & ómnibus Sanctis, & vobis, fratres: quia peccáui nimis, cogitatióne, locutióne & ópere, mea culpa. I'deo, precor vos, oráte pro me.

MIſereátur tui omnípotẽs Deus, & dimíttat tibi ómnia peccáta tua, líberet te ab omni malo, conſéruet & confírmet in omni ópere bono: & perdúcat ad vitã ætérnam. Amen.


INdulgéntiam & remiſſiónẽ ómnium peccatórum noſtrórũ per grátiam Sancti Spíritus, tríbuat nobis omnípotẽs & miſéricors Dóminus. Amen. Adiutórium noſtrum. Qui fecit. Deinde iturus ante altare dicat Pater noſter. Aue María.

Poſtea erigens ſe oſculetur altare & ſe ſignans dicat.

AVfer à nobis Dómine iniquitátes noſtras, vt mereámur puris méntibus introíre ad SanctaSanctórum. Per Chriſtum Dóminum noſtrum.


Glória in excélſis. & Ite miſſa eſt. dicuntur in vigil. Paſchæ & Pentecoſt. Et in omnibus Dominicis, & feſtis xij. lect. ad quaſcunque miſſas præter miſſas defunctorum, extra Aduent. lxx. & xl. Item per octa. Natalis, Epiph. Paſchæ. Aſcenſ. Pentec. Sacra. Aſſumptio. & Natiuita. Mariæ, quando Miſſæ de ipſis ſolemnita. celebrantur. In miſſis etiam votiuis Sancti Spiritus, S. Sacramenti altaris, & beatæ Mariæ, excepta vigil. Aſſumptio. in ea enim non dicitur niſi ſit Dominica, & beati Bernardi.

In Miſſa mediæ noctis Natiuitatis Domini, in vigiliis Paſchæ, & Pentecoſt. & feſtis duarum miſſarum in maiore Miſſa ſic inchoatur.



Gló ria in excélſis Deo.

Sed in cæteris Miſſis ſic inchoatur.



Gló ri a in excélſis De o.

Et in terra pax homínibus bonæ voluntátis. Laudámus te. Benedícimus te. Adorámus te. Glorificámus te. Grátias ágimus tibi propter magnā glóriam tuam. Dómine Deus Rex cœléſtis: Deus Pater omnípotens. Dómine Fili Vnigénite, Ieſu Chriſte. Dómine Deus Agnus Dei, Fílius Patris. Qui tollis peccáta mundi: miſerére nobis. Qui tollis peccáta mūdi: ſúſcipe deprecatiónem noſtram. Qui ſedes ad déxteram Patris: miſerére nobis. Quóniam tu ſolus Sanctus. Tu ſolus Dóminus. Tu ſolus Altíſſimus Ieſu Chriſte: cum Sancto ✠ Spíritu: in glória Dei Patris. Amen.

Benedictio ſuper diaconem.

DOminus ſit in corde, & in ore tuo, vt dignè annúnties Euangélium Chriſti.

Credo, dicatur omnibus diebus Dominicis ad quaſcunque Miſſas præter Miſſ. defunct. in diebus Natalis, Circunciſio. Apparitio. Paſchæ, Aſcen. Pentecoſt. Sacraméti, in omnibus ſolem. beatæ Mariæ. In Inuentio. & Exaltatione Sanctæ Crucis. In ſpinea corona, omnibuſque ſolem. Apoſtolo. & Euangeliſta. In feſto Omnium Sanctorum, & dedicationis Eccleſiæ. Sanctorum Benedicti, Bernardi, & aliis feſtis in quibus ſit ſermo in capitulo: in Miſſis de eiſdem feſtis tantum.

Credo, vniformiter ſemper cantatur.



CRedo in vnum Deum. Patrem omnipoténtem, factórem cœli & terræ: viſibílium ómnium, & inuiſibílium. Et in vnum Dóminum Iéſum Chriſtum Fílium Dei Vnigénitum: & ex patre natum ante ómnia ſǽcula. Deum de Deo, lumen de lúmine: Deum verū de Deo vero. Génitum non factum, cōſubſtantiálem Patri: per quē ómnia facta ſunt. Qui propter nos hómines, & propter noſtrā ſalútem deſcéndit de cœlis. Et incarnátus eſt de Spíritu Sancto: ex María vírgine: ET HOMO FACTVS EST Crucifixus étiam pro nobis: ſub Póntio Piláto: Paſſus, & ſepúltus eſt. Et reſurréxit tértia die ſecúndum ſcriptúras. Et aſcéndit in cœlum, ſedet ad déxteram Patris. Et íterum ventúrus eſt cum glória iudicáre viuos, & mórtuos. Cuius regni non erit finis. Et in Spíritum Sanctum Dóminum, & viuificántem. Qui ex Patre Filióque procédit.

Qui

Qui cum Patre, & Filio ſimul adorátur, & conglorificátur. Qui locútus eſt per Prophétas. Et vnam ſanctam Cathólicam, & Apoſtólicam Eccléſiam. Confiteor vnum baptíſma in remiſſiónem peccatórum. Et expécto reſurrectiónem mortuórum. Et vitam futúri ſæculi. Amen.

Offertorio dicto, eleuatis patena cum pane, & calice, & genufle. dicat.

Suſcipe Sancta Trinitas vnus Deus hanc oblatiónem: quam tibi offérimus in memóriam beátæ Paſſiónis, Reſurrectiónis, & Aſcenſiónis Dómini noſtri Ieſu Chriſti, & in honórem beátæ Maríæ ſemper Vírginis genitrícis eiúſdem Dómini noſtri, & ómnium Sanctórum & Sanctárum, cœléſtium virtútum, & viuíficæ Crucis: vt eam acceptáre dignéris pro nobis peccatóribus, & pro animábus ómnium fidéliũ defunctórũ. Qui viuis & regnas Deus. Per ómnia ſæcula ſæculórum. Amẽ.

Hanc ſequentem orationem dicat Sacerdos incuruus ante altare poſt offerendam.

In ſpíritu humilitátis & in ánimo contríto ſuſcipiámur, Dómine, à te, & ſic fiat ſacrificium noſtrum, vt à te ſuſcipiátur hódie, & pláceat tibi Dómine Deus.

Poſtea erectus vertat ſe verſus chorum dicens.

Oráte, fratres, pro me peccatóre: vt meum páriter ac veſtrum in conſpéctu Dómini acceptábile fiat ſacrificium.

℟. Dóminus ſit in corde tuo & in lábiis tuis, ſuſcipiátque de mánibus tuis ſacrifícium iſtud: & oratiónes tuæ aſcéndant in memóriam ante Deum pro noſtra, & totíus pópuli ſalúte. Amen.

PRÆFATIO IN NATIVITATE DOMINI,

per octa. & in octa. Item in die, per octa. & in oct. S. Sacramenti altaris, non tamen Communicántes, ſequens Præfationẽ.



Ætérne Deus. Quia per incar-



náti Verbi myſtérium noua men-



tis noſtræ óculis lux tuæ claritátis




infúlſit. Vt dum viſibíliter Deum




cognóſcimus per hunc inuiſibí-



lium amóre rapiámur. Et ídeo



cum A'ngelis, & Archángelis, cum



Thronis, & Dominatiónibus: cum



que omni milítia cœléſtis exércitus

hymnũ glóriæ tuæ cánimus ſine

ſine dicéntes.

Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Infra actionem. Communicántes, & noctem vel diem ſacratiſſimam celebrántes qua beátæ Maríæ, intemeráta virgínitas huic mundo édidit Saluatórem: ſed & memóriam venerántes imprímis eiúſdem glorióſæ ſemper vírginis Maríæ genitrícis eiúſdem Dei & Dómini noſtri Iéſu Chriſti. Sed & beatórum.

Præfatio in Epiphania Domini, per octauas, & in octa,

ÆTérne Deus. Quia cùm vnigé-

nitus tuus in ſubſtántia noſtræ

mortalitátis appáruit in noua nos

immortalitátis ſuæ luce repará-

uit. Et ídeo.

Infra actionem. Communicántes, & diem ſacratiſſimũ celebrántes quo vnigénitus tuus in tua tecum glória coætérnus in veritáte carnis noſtræ viſibíliter corporális appáruit, ſed & memóriam venerántes imprímis glorióſæ ſemper vírginis Maríæ genitrícis eiúſdem Dei, & Dómini noſtri Iéſu Chriſti. Sed & beatórum.

Præfatio in vigilia, die, per octauas, & in octaua Paſchæ.

ÆQuum & ſalutáre. Te quidẽ

Dómine omni témpore, ſed in hac

potíſſimũ (nocte) (die) glorióſius

prædicáre, cùm Paſcha noſtrum

immolátus eſt Chriſtus. Ipſe enim

verus eſt agnus, qui ábſtulit

peccata mundi. Qui mortẽ noſtrã

moriéndo



moriéndo deſtrúxit, & vitã reſur-



géndo reparáuit. Et ídeo.

Infra actionem. Communicántes, & noctem (vel diem) ſacratíſſimam celebrántes Reſurrectiónis Dómini Dei noſtri Iéſu Chriſti ſecúndũ carnem. Sed & memóriam venerántes imprimis glorióſæ ſemper vírginis Mariæ genitrícis eiúſdem Dei & Dómini noſtri Iéſu Chriſti. Sed & beatórum. Item infra actionem Hanc ígitur oblatiónem ſeruitútis noſtræ, ſed & cunctæ famíliæ tuæ, quã tibi offérimus pro his quoque quos regenerare dignátus es ex aqua & Spíritu Sancto, tribuens eis remiſſiónem ómnium peccatórum quæſumus Dómine vt placátus accípias diéſquè.

Præfatio de S. Cruce.




ÆTérne Deus. Qui ſalútem hu-



mán: géneris in ligno Crucis con-



ſtituíſti: vt vnde mors oriebátur



inde vita reſúrgeret & qui per li-




gnum vincébat per lignũ quoque




vincerétur. Per Chriſtũ Dóminum.

Præfatio in Aſcenſione Domini, & per octauas, & in octaua.



PEr Chriſtum Dóminũ noſtrum



Qui poſt reſurrectiónẽ ſuam ómni-



bus diſcípulis ſuis maniféſtus ap-




páruit, & ipſis cernéntibus, eſt



eleuátus in cœlum, vt nos diui-



nitátis ſuæ tribúeret eſſe partícipes.



pes. Et ídeo.

Infra actionem. Communicántes & diem ſacratiſſimũ celebrántes, quo Dñs noſter vnigénitus Filius tuus vnítã ſibi fragilitátis noſtræ ſubſtãtiam in glória tuæ déxteræ collocáuit. Sed & memóriã venerántes imprímis glorióſç ſemper vírginis Maríæ genitrícis eiúſdẽ Dei, & Dómini noſtri Iéſu Chriſti. Sed & beatórũ.

Præfatio in vigilia, in die, & per Octauas Pentecoſtes in omnibus, & ſingulis Miſſis de ipſa Pentecoſte etiam in Miſſis de ieiunio quatuor temp. feriarum iiij. vj. & Sabbati, non tamen in aliis Miſſis, quæ celebrantur in ipſa hebd. nec in die octauo. Notandum quoque quod in eiſdem Miſſis dicuntur, vel omittuntur. Communicántes. & Hanc igitur. *de Pentec. in quibus dicitur, vel omittitur Præfatio ſequens.*



PEr Chriſtum Dóminum no-



ſtrum. Qui aſcéndens ſuper om-



nes cœlos ſedénſque ad déxte-



ram tuam promíſſum Spíritum



Sanctum hodiérna die in filios



[illegible] effúdit.




Quaprópter profúſis gáudiis to-



tus in orbe terrárum mundus



exúltat. Sed & ſupérnæ Virtútes,



atque Angélicæ poteſtátes hym-



num glóriæ tuæ cóncinunt ſine



ſine dicéntes.

Sanctus. *Infra actionem.*

Communicántes & diem ſacratíſſimum Pentecóſtes celebrántes quo Spíritus Sanctus Apóſtolis in innúmeris linguis appáruit. Sed & memóriam venerántes imprímis glorióſæ ſemper vírginis Maríæ genitrícis eiúſdem Dei, & Dómini noſtri Iéſu Chriſti. Sed & beatórum.


Infra actionem. Hanc ígitur oblatiónem ſeruitútis noſtræ, ſed & cunctæ famíliæ tuæ, quam tibi offérimus pro his quoque quos regeneráre dignátus es ex aqua & Spíritu Sancto, tribuens eis remiſſiónem ómnium peccatórum quǽſumus Dómine, placátus accípias diéſque noſtros.

Præfatio de S. Trinitate in die Trinitatis tantummodo dicenda.

ÆTérne Deus. Qui cum vnigénito Fílio tuo & Spíritu Sancto vnus es Deus, vnus es Dóminus, nõ in vníus ſingularitáte perſónæ, ſed in vníus Trinitáte ſubſtántiæ. Quod enim de tua glória, reuelánte te, crédimus, hoc de Fílio tuo, hoc de Spíritu Sancto ſine differéntia diſcretiónis ſentímus: vt in confeſſióne veræ ſempiternæque Deitátis, & in perſónis propríetas, & in eſſéntia vnitas: & in maieſtáte adorétur æquálitas. Quam laudant A'ngeli, atque Archángeli, Chérubin quoque, ac Séraphin, qui nõ ceſſãt quotídie clamáre, dicéntes. Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Præfatio in Miſſis de ieiunio quadrageſimæ à feria quarta, in capite ipſius ieiunij incluſiuè, vſque ad Cœnam Domini excluſiuè.

ÆTérne Deus. Qui corporáli ieiúnio vítia cõprimis mẽtem éleuas


virtútē largíris & prǽmia. Per Chri-
ſtum Dóminū noſtrum. Per quem.
Præfatio de Apoſtolis.
Æ Quum & ſalutáre. Te Dómi-
ne ſupplíciter exoráre, vt gregem
tuum paſtor ætérne non déſeras,
ſed per beátos Apóſtolos tuos cō-
tinua protectióne cuſtódias, vt iiſ-
dem rectóribus gubernétur quos
óperis tui vicários eidem cōtuliſti
præeſſe paſtóres. Et ídeo.
De beata Maria.
Æ Térne De⁹. Et te in cōceptióne.
Purificatióne.
Annunciatióne.
Viſitatióne.
Aſſumptióne.
Natiuitáte.
Veneratióne.
beátæ Ma-
riæ ſemper vírginis laudáre, benedí-
cere, & prædicáre. Quæ & vnigéni-
tum tuum Sancti Spíritus obūbra-
tióne concépit, & virginitátis gló-
ria permanénte, huic mūdo lumen
ætérnū effúdit Ieſum Chriſtū Dó-
minū noſtrū. Per quem. Et ídeo.

PRÆFATIO





Sanctus, Sanctus, Sanctus D
nus Deus ſábaoth.
Pleni ſunt cœli & terra glória t
oſánna in excélſis.
Benedíctus qui ven in nómine Dó-
mini oſánna in excélſis.
Te ígitur, &c. vt infra ſequitur.



HVC AMOR ET PIETAS, HVC ME PIA CVRA SALVTI
IMPLVIT HVMANÆ, SV[illegible] TOLERAR[illegible]

TE ígitur clementíſsime Pater, per Iéſum Chriſtum Fílium tuum Dóminum noſtrum, ſúpplices rogámꝰ & pétimus, vti accépta hábeas, & benedícas hæc ✠ dona, hæc ✠ múnera, hæc ſancta ✠ ſacrifícia illibáta. In prímis quæ tibi offérimus, pro Eccléſia tua ſancta Cathólica, quã pacificáre, cuſtodíre, adunáre, & régere dignéris toto orbe terrárum, vnà cum fámulo tuo Papa noſtro N. & Antíſtite noſtro N. & Rege noſtro N. & ómnibus orthodóxis, atque Cathólicæ & Apoſtólicæ fidei cultóribus.

Meménto Dómine famulórũ famularúmque tuárũ N. Et ómnium circumaſtántium omniúmque fidélium, quorum tibi fides cógnita eſt,

& nota deuótio: pro quibus tibi offérimus, vel qui tibi ófferunt hoc ſacrifícium laudis pro ſe ſuíſq; ómnibus, pro redemptióne animárũ ſuárum, pro ſpe ſalútis, & incolumitátis ſuæ: tibíque reddunt vota ſua ætérno Deo, viuo, & vero.

Communicántes & memóriam venerántes imprímis glorióſę ſemper vírginis Maríæ genitrícis Dei & Dómini noſtri Iéſu Chriſti.

Sed & beatórum Apoſtolórum ac Mártyrũ tuórum. Petri, Pauli, Andréæ, Iacóbi, Ioánnis, Thomæ, Iacóbi, Philíppi, Bartholómæi, Matthǽi, Simónis & Thádæi, Lini, Cleti, Cleméntis, Sixti, Cornélij, Cypriáni, Lauréntij, Chryſógoni, Ioánnis, & Pauli, Coſmæ, & Damiáni, & ómnium Sanctó-

rum tuórum, quorum méritis precibúſque concédas, vt in ómnibus protectiónis tuæ muniámur auxílio. Per eúndem Chriſtum Dóminũ noſtrum. Amen.

Hanc ígitur oblatiónẽ ſeruitútis noſtræ, ſed & cunctæ famíliæ tuæ, quæſumus, Dómine, vt placátus accípias, diéſque noſtros in tua pace diſpónas, atque ab ætérna damnatióne nos éripi, & in electórum tuórum iúbeas grege numerári. Per Chriſtum Dóminum noſtrum. Amen.

Quam oblatiónẽ tu Deus, in ómnibus, quæſumus, bene ✠ díctam, aſcrí ✠ ptam, ra ✠ tam, rationábilem, acceptabilémque fácere dignéris, vt nobis cor ✠ pus, & ſan ✠ guis fiat dilectíſsimi Fílij tui Dómini noſtri Iéſu Chriſti.

Qui prídie quàm paterétur accépit panem in ſanctas, ac venerábiles manus ſuas. & eleuátis óculis in cœlum ad te Deum Patrem ſuum omnipoténtẽ, tibi grátias agẽs, bene✠díxit fregit: dedítque diſcípulis ſuis, dicens: Accípite, & manducáte ex hoc omnes.

Hoc eſt enim corpus meum.

Símili modo poſteáquàm cœnátum eſt, accípiẽs & hunc præclárum cálicem in ſanctas, ac venerábiles manus ſuas, itẽ tibi grátias agens bene✠díxit, dedítque diſcípulis ſuis: dicens. Accípite, & bíbite ex eo omnes.

Hic eſt enim calix ſánguinis mei, noui & ætérni teſtaménti, myſtériũ fídei: qui pro vobis, & pro multis eff ndétur in remiſsiónem peccatórum.

Hæc quotiẽſcúnq; fecéritis, in mei memóriam faciétis.

Vnde & mémores, Dñe, nos tui ſerui, ſed & plebs tua ſancta Chriſti Fílij tui Dómini Dei noſtri beátę paſsiónis, nec-non & ab ínferis reſurrectiónis, ſed & in cœlos glorióſæ Aſcenſiónis offérimus præcláræ maieſtáti tuæ de tuis donis ac datis, hóſtiã ✠ puram, hóſtiam ✠ ſanctã, hóſtiam ✠ immaculátam, panẽ ✠ ſanctum vitæ ætérnæ, & cálicẽ ✠ ſalútis perpétuæ.

Supraquę propítio ac ſeréno vultu reſpícere dignéris: & accépta habére, ſícuti accépta habére dignátus es múnera púeri tui iuſti Abel, & ſacrifíciũ Patriárchæ noſtri Abrahę, & quod tibi óbtulit sũmus Sacérdos tu[9] Melchíſedech, ſanctum ſacrifíciũ immaculátam hóſtiã.

Súpplices te rogámus, omnípotens Deus: iube hæc perférri per manus ſancti A'ngeli tui in ſu-

Infra actionem Communicántes & diem ſacratíſſimū celebrántes, quo Dñs noſter vnigénitus Fílius tuus vnítā ſibi fragilitátis noſtræ ſubſtātiam in glória tuæ dèxteræ collocáuit. Sed & memóriā venerántes imprímis glorióſę ſemper vírginis Maríæ genitrícis eiúſdē Dei, & Dómini noſtri Ieſu Chriſti. Sed & beatórū.

Præfatio in vigilia, in die, & per Octauas Pentecoſtes in omnibus, & ſingulis Miſſis de ipſa Pentecoſte etiam in Miſſis de ieiunio quatuor temp. feriarum iiij. vj. & Sabbati, non tamen in alijs Miſſis, quæ celebrantur in ipſa hebd. nec in die octauo. Notandum quoque quod in eiſdem Miſſis dicuntur, vel omittitur. Communicántes. & Hanc igitur. de Pentec. in quibus dicitur, vel omittitur Præfatio ſequens.





Sanctus. Infra actionem. Communicántes & diem ſacratíſſimum Pentecóſtes celebrántes quo Spíritus Sanctus Apóſtolis in innúmeris linguis appáruit. Sed & memóriam venerántes imprímis glorióſæ ſemper vírginis Maríæ genitrícis eiúſdem Dei, & Dómini noſtri Ieſu Chriſti. Sed & beatórum.

Infra actionem. Hanc ígitur oblatiónem ſeruitútis noſtræ, ſed & cunctæ famíliæ tuæ, quam tibi offérimus pro his quoque quos regeneráre dignátus es ex aqua & Spíritu Sancto, tribuens eis remiſſiónem ómnium peccatórum quæſumus Dómine, placátus accípias diéſque noſtros.

Præfatio de S. Trinitate in die Trinitatis tantummodo dicenda.

ÆTérne Deus. Qui cum vnigé-
nito Fílio tuo & Spíritu Sancto
vnus es Deus, vnus es Dóminus, nō
in vníus ſingularitáte perſónæ,
ſed in vníus Trinitáte ſubſtántiæ.
Quod enim de tua glória, reue-
lánte te, crédimus, hoc de Fílio
tuo, hoc de Spíritu Sancto ſine
differéntia diſcretiónis ſentímus:
vt in confeſſióne veræ ſempiter-
náque Deitátis, & in perſónis pro-
príetas, & in eſſéntia vnitas: & in ma-
ieſtáte adorétur æquálitas. Quam
laudant A'ngeli, atque Archángeli,
Chérubin quoque, ac Séraphin, qui
nō ceſsāt quotídie clamáre, dicéntes.
Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Præfatio in Miſſis de ieiunio quadrageſimæ à feria quarta, in capite ipſius ieiunij incluſiuè, vſque ad Cœnam Domini excluſiuè.

ÆTérne Deus. Qui corporáli ie-
iúnio vítia cōprimis mētem éleuas


virtútē largiris & prǽmia. Per Chri-
ſtum Dóminū noſtrum. Per quem.
Præfatio de Apoſtolis.
Æ Quum & ſalutáre. Te Dómi-
ne ſupplíciter exoráre, vt gregem
tuum paſtor ætérne non déſeras,
ſed per beátos Apóſtolos tuos cō-
tinua protectióne cuſtódias, vt iiſ-
dem rectóribus gubernétur quos
óperis tui vicários eídem cōtuliſti
paſtóres. Et ídeo.
De beata Maria.
ÆTérne De⁹. Et te in cōceptióne.
Purificatióne.
Annunciatióne.
Viſitatióne.
Aſſumptióne.
Natiuitáte.
Veneratióne.
beátæ Ma-
ríæ ſemper vírginis laudáre, benedí-
cere, & prædicáre. Quæ & vnigéni-
tum tuum Sancti Spíritus obūbra-
tióne concépit, & virginitátis gló-
ria permanénte, huic mūdo lumen
ætérnū effúdit Ieſum Chriſtū Dó-
minū noſtrū. Per quem

TIO





Sanctus, Sanctus, Sanctus D...
nus Deus ſábaoth.
Pleni ſunt cœli & terra glória t...
oſánna in excélſis.
Benedíctus qui venit in nómine Dó-
mini oſánna in excélſis.
Te ígitur, &c. vt infra ſequitur.



HVC AMOR, ET PIETAS, HVC ME PIA CVRA SALVTI
IMPVLIT HVMANÆ, [illegible] TOLERAR

Te ígitur clementíſsime Pater, per Iéſum Chriſtum Fílium tuum Dóminum noſtrum, ſúpplices rogám' & pétimus, vti accépta hábeas, & benedícas hæc ✠ dona, hæc ✠ múnera, hæc ſancta ✠ ſacrifícia illibáta. In prímis quæ tibi offérimus, pro Eccléſia tua ſancta Cathólica, quã pacificáre, cuſtodíre, adunáre, & régere dignéris toto orbe terrárum, vnà cum fámulo tuo Papa noſtro N. & Antíſtite noſtro N. & Rege noſtro N. & ómnibus orthodóxis, atque Cathólicæ & Apoſtólicæ fidei cultóribus.

Meménto Dómine famulórũ famularúmque tuárũ N. Et ómnium circumaſtántium omniúmque fidélium, quorum tibi fides cógnita eſt,

& nota deuótio: pro quibus tibi offérimus, vel qui tibi ófferunt hoc ſacrifícium laudis pro ſe ſuíſq; ómnibus, pro redemptióne animárũ ſuárum, pro ſpe ſalútis, & incolumitátis ſuæ: tibíque reddunt vota ſua ætérno Deo, viuo, & vero.

Communicántes & memóriam venerántes imprímis glorióſę ſemper vírginis Maríæ genitrícis Dei & Dómini noſtri Iéſu Chriſti.

Sed & beatórum Apoſtolórum ac Mártyrũ tuórum. Petri, Pauli, Andréæ, Iacóbi, Ioánnis, Thomæ, Iacóbi, Philíppi, Bartholómæi, Matthǽi, Simónis & Thádæi. Lini, Cleti, Cleméntis, Sixti, Cornélij, Cypriáni, Lauréntij, Chryſógoni, Ioánnis, & Pauli, Coſmæ, & Damiáni, & ómnium Sanctó-

rum tuórum, quorum méritis precibúſque concédas, vt in ómnibus protectiónis tuæ muniámur auxílio. Per eúndem Chriſtum Dóminũ noſtrum. Amen.

Hanc ígitur oblatióne͂ ſeruitútis noſtræ, ſed & cunctæ famíliæ tuæ, quæſumus, Dómine, vt placátus accípias, diéſque noſtros in tua pace diſpónas, atque ab ætérna damnatióne nos éripi, & in electórum tuórum iúbeas grege numerári. Per Chriſtum Dóminum noſtrum. Amen.

Quam oblatióne͂ tu Deus, in ómnibus, quæſumus, bene ✠ díctam, aſcrí✠ptam, ra✠tam, rationábilem, acceptabilémque fácere dignéris, vt nobis cor✠pus, & ſan✠guis fiat dilectíſsimi Fílij tui Dómini noſtri Iéſu Chriſti.

Vnde & mémores, Dñe, nos tui ſerui, ſed & plebs tua ſancta Chriſti Fílij tui Dómini Dei noſtri beátę paſsiónis, nec-non & ab ínferis reſurrectiónis, ſed & in cœlos glorióſæ Aſcenſiónis offérimus præcláræ maieſtáti tuæ de tuis donis ac datis, hóſtiã ✠ puram, hóſtiam ✠ ſanctã, hóſtiam ✠ immaculátam, panẽ ✠ ſanctum vitæ ætérnæ, & cálicẽ ✠ ſalútis perpétuæ.

Supra quę propítio ac ſeréno vultu reſpícere dignéris: & accépta habére, ſícuti accépta habére dignátus es múnera púeri tui iuſti Abel, & ſacrifíciũ Patriárchæ noſtri Abrahę, & quod tibi óbtulit ſũmus Sacérdos tu' Melchíſedech, ſanctum ſacrifíciũ immaculátam hóſtiã.

Súpplices te rogámus, omnípotens Deus: iube hæc perférri per manus ſancti Angeli tui in ſu-

blíme altáre tuum, in conſpéctu diuínæ maieſtátis tuæ, vt quotquot ex hac altáris participatióne, ſacroſánctũ Fílij tui cor✠pus, & ſán✠guinem ſumpſérimus, omni benedi✠ctióne cœléſti, & grátia repleámur. Per eúndẽ Chriſtum Dóminum noſtrum. Amen.

Meménto étiam Dñe, famulórum famularúmq; tuárũ. N. qui nos præceſſérũt cum ſigno fídei, & dórmiunt in ſomno pacis.

Ipſis, Dómine, & ómnib' in Chriſto quieſcéntibus, locum refrigérij, lucis, & pacis vt indúlgeas deprecámur. Per eúndem Chriſtum Dóminum noſtrum. Amen.

Nobis quoq; peccatóribus fámulis tuis, de multitúdine miſeratiónũ tuárũ ſperántibus, partem áliquam & ſocietátem donáre di-


gnéris cum tuis ſanctis Apóſtolis, & martyribus, cũ Ioánne, Stéphano, Matthía, Bárnaba, Ignátio, Alexándro, Marcellíno, Petro, Felicitáte, Perpétua, A'gatha, Lúcia, Agnéte, Cæcília, Anaſtáſia. & cum ómnibus Sanctis tuis.

Intra quorũ nos cõſórtiũ non æſtimátor mériti, ſed véniæ quæ'ſumus, largítor admítte. Per Chriſtum Dñm noſtrũ.

Per quem hæc ómnia, Dómine, ſemper bona creas, ſan✠ctíficas, vi✠uíficas, bene✠dícis, & præſtas nobis, per ip✠ſum, & cum ip✠ſo, & in ip✠ſo, eſt tibi Deo Pa✠tri omnipoténti in vnitáte Spíritꝰ ✠ Sãcti, Omnis honor & glória.







Líbera nos, quæſumus Dómine, ab ómnibus malis, prætéritis, præſéntibus, & futúris, & intercedénte beáta & glorióſa, ſemper vírgine Deigenitríce María, & beátis Apóſtolis tuis Petro, & Paulo, atque Andréa, cum ómnibus Sanctis, da propítius pacem in diébus no-

ſtris, vt ope miſericórdiæ tuæ adiúti, & à peccáto ſimus ſemper líberi, & ab omni perturbatióne ſecúri. Per eúndem Dóminũ noſtrum Iéſum Chriſtum Fílium tuum. Qui tecum viuit, & regnat in vnitáte Spíritus Sancti Deus.



Dum miſcetur corpus ſanguini.

HÆc ſacroſáncta cõmíxtio córporis, & ſánguinis Dómini noſtri Iéſu Chriſti fiat mihi, & ómnibus ſuméntibus, ſalus mentis, & córporis, & ad vitam ætérnam promeréndam, & capeſſéndam, præparátio ſalutáris. Amen.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miſerére nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miſerére nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, dona nobis pacem.

In Miſſis defunctorum ter dicitur

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, dona eis réquiem.

Si danda ſit pax. (nunquam autem datur in Miſſis defunctorum) poteſt præmitti hæc Oratio.

DO'mine Iéſu Chriſte, qui dixiſti Apóſtolis tuis, pacem relínquo vobis, pacem meam do vobis, ne reſpícias peccáta mea, ſed fidem Eccléſiæ tuæ, eámque ſecúndum volũtátem tuã pacificáre & coadunáre dignéris. Qui viuis & regnas. da..s dicat Pax tecum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Antequam ſumat corpus & ſanguinem dicat.

DO'mine Iéſu Chriſte Fili Dei viui, qui ex voluntáte Patris, cooperánte Spíritu Sancto per mortem tuam mundum viuificáſti, líbera me, quæſo, per hoc ſacroſánctum corpus, & ſánguinem tuũ à cunctis iniquitátibus meis, & ab vniuérſis malis, & fac me tuis ſemper obedíre mandátis, & nũquam in perpétuum à te ſeparári permíttas. Qui viuis & regnas Deus. Per ómnia ſǽcula ſæculórum. Amen.

Hæ orationes addi p... ſunt.

PErcéptio córporis tui, Dómine Iéſu Chriſte, quod ego indignus ſúmere præſúmo, non mihi prouéniat in iudícium & condemnatiónem, ſed, pro tua pietáte, proſit

mihi ad tutaméntum, córporis & ánimæ & medélam percipiéndam. Qui viuis.

PAnem cœléſtem accípiam,& nomen Dómini inuocábo.

DO'mine,non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum:ſed tantum dic verbo, & ſanábitur ánima mea.

COrpus Dómini noſtri Iéſu Chriſti cuſtódiat ánimam meã in vitam ætérnam. Amen.

Deinde ſumat corpus Domini, quo ſumpto dicat.

QVid retríbuam Dómino, pro ómnibus quæ retribuit mihi? Cálicem ſalutáris accípiam, & nomen Dómini inuocábo. Laudans inuocábo Dóminum, & ab inimícis meis ſaluus ero.

Signando ſe Calice dicat.

SAnguis Dómini noſtri Iéſu Chriſti cuſtódiat ánimam meam in vitam ætérnam. Amen.

Poſt ſumptionem.

QVod ore ſúmpſimus, Dómine, pura mente capiámus: & de múnere temporáli fiat nobis remédium ſempitérnum.

COrpus tuum, Dómine, quod ſumpſi, & ſanguis, quem potáui, adhǽreat viſcéribus meis, & nulla remáneat in me, ſcélerũ mácula, quem tam ſancta refecérunt ſacraménta. Qui viuis.

Poſt finitam Miſſam dicat.

PLáceat tibi ſancta Trínitas vnus Deus obſéquiũ ſeruitútis meæ: & præſta, vt hoc ſacrificium, quod óculis tuæ maieſtátis indígnus óbtuli, tibi ſit acceptábile, mihíque, & ómnibus, pro quibus illud óbtuli, ſit, te miſeránte, propitiábile. Qui viuis & regnas Deus. Per ómnia ſǽcula ſæculórum. Amen.

Tunc erigens ſe & oſculans labium altaris dicat.

ME'ritis & précibus iſtórum, & ómnium Sanctórum ſuórum miſereátur noſtri omnípotens Dóminus. Amen.

Sicque ſignans ſe, & inclinans recedat.

Suffragium pro pace Eccleſiaſtica & temporali dicendum poſt Pater noſter. Canonis, pro quo conceſſi ſunt xx. dies indulgentiarum. Pſalmus. Lætátus ſum.

Glória Patri. Kýrie eleíſon.

Pater noſter. Et ne nos℣

Dómine ſaluos fac Reges℣

Et exaúdi nos in die qua inuocauérimus te.

Saluum fac pópulum tuum Dómine, & bénedic hæreditáti tuæ℣

Et rege eos, & extólle illos vſque in ætérnum℣

Fiat pax in virtúte tua℣

Et abundántia in túrribus tuis℣

Dómine exaúdi oratiónem meam℣

Et clamor meus ad te véniat℣

Dóminus vobíſcum℣

Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

ECcléſiæ tuæ Dómine preces benígnus admítte: vt deſtrúctis aduerſitátibus & erróribus vniuérſis, ſecúra tibi ſéruiat libertáte℣.

HO'ſtium noſtrórũ, quǽſumus, Dómine elide ſupérbiam: eorúmque contumáciam déxteræ tuæ virtúte proſtérne. Per Chriſtum Dóminum noſtrum℣ Amen.

INCIPIT

INCIPIT SANCTORALE.

IN NATALI SANCTI Stephani Protomartyris.

Introitus.



TENIM ſedérunt Príncipes, & aduérſum me loquebántur, & iníqui perſecúti ſunt me: ádiuua me Dómine Deus meus, quia ſeruus tuus exercebátur in tuis iuſtificatiónibus.

Pſalmus. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.

Collecta.

DA nobis, quæſumus, Dómine imitári quod cólimus: vt diſcámus & inimícos dilígere: quia eius (natalítia) celebrámus: qui nouit étiã pro perſecutóribus exoráre Dóminum noſtrum Iéſum Chriſtum Fílium tuum. Qui tecum viuit.

In eius inuentione dicitur ſolénnia. loco de natalítia.

Si in aliquo feſtorum infra octa. Natiu. occurrat Dominica prima Miſſa conuentualis erit de ipſa Dominica, & prima cõmemo. de feſto, ij. de Natiu. in priuatis vero Miſſis de ſanctis prima commemoratio erit de ipſa dominica, ſecunda de Natiuitate, deinde de cæteris.

Léctio Actuum Apoſtolórum. Cap. 6.

IN diébus illis: Stéphanus plenus grátia, & fortitúdine: faciébat prodígia, & ſigna magna in pópulo. Surrexérunt autem quidam de Synagóga, quæ appellátur Libertinórum, & Cyrenénſium, & Alexandrinórum, & eórum, qui erant à Cilícia & A'ſia, diſputántes cum Stéphano: & non póterant reſíſtere ſapiéntiæ & Spirítui, qui loquebátur. Audiéntes autẽ hæc, diſſecabántur córdibus ſuis: & ſtridébant déntibus in eum. Cùm autem eſſet Stéphanus plenus Spíritu Sancto: inténdens in cœlum vidit glóriam Dei, & Iéſum ſtantem à dextris Dei, & ait. Ecce vídeo cœlos apértos: & Fílium hóminis ſtantem à déxtris virtútis Dei. Exclamántes autem voce magna continuérũt aures ſuas: & ímpetum fecérũt vnanímiter in eum. Et eiiciéntes eum extra ciuitátem: lapidábant. Et teſtes depoſuérũt veſtiménta ſua ſecus pedes adoleſcéntis: qui vocabátur Saulus. Et lapidábant Stéphanum: inuocántem, & dicéntem. Dómine Iéſu: ſúſcipe ſpíritum meum. Póſitis autẽ génibus: clamáuit voce magna, dicens. Dómine: ne ſtátuas illis hoc peccátum. Et cùm hoc dixíſſet: obdormíuit in Dómino.

℞. Sedérunt Príncipes, & aduérſum me loquebántur, & iníqui perſecúti ſunt me.

℣. A'diuua me Dómine Deus meus, ſaluum me fac propter miſericórdiam tuam.

Allelúia. ℣. Vídeo cœlos apértos, & Iéſum ſtantem à dextris virtútis Dei, allelúia.

Secúndum Matthæum. Cap. 23.

IN illo témpore: Dicébat Iéſus turbis Iudæórum: & Princípibus Sacerdótum. Ecce ego mitto ad vos Prophétas, & ſapiéntes & Scribas: & ex illis occidétis & crucifigétis, & ex eis flagellábitis in Synagógis veſtris, & perſequímini de ciuitáte in ciuitátem, vt véniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effúſus eſt ſuper terram, à ſánguine Abel iuſti, vſque ad ſánguinem Zacharíæ filij Barachíæ, quem occidíſtis inter templũ & altáre. Amen dico vobis: vénient hæc

ómnia ſuper generatiónē iſtam. Ieruſalem, Ierúſalē, quæ occídis Prophétas, & lápidas eos, qui ad te miſſi ſunt: quótiens vólui congregáre filios tuos, quemádmodum gallína cóngregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti. Ecce: relinquétur vobis domus veſtra deſérta. Dico enim vobis: non me vidébitis ámodò, donec dicátis. Benedíctus, qui venit: in nómine Dómini.

Offertorium. In virtúte tua, Dómine, lætábitur iuſtus, & ſuper Salutáre tuum exultábit veheménter: deſidérium ánimæ eius tribuíſti ei. Secreta

SVſcipe Dómine, múnera pro tuórum commemoratióne Sāctórum, vt ſicut illos páſſio glorióſos effécit, ita nos deuótio reddat innócuos. Per Dóminum.

Communio. Vídeo cœlos apértos, & Iéſum ſtantem à dextris virtútis Dei: Dómine Iéſu áccipe ſpíritum meū, & ne ſtátuas illis hoc peccátum: quia neſciunt quid fáciunt.

Poſtcommunio.

AVxiliētur nobis, Dómine, ſumpta myſtéria: &, intercedénte beáto Stéphano protomártyre tuo, ſempitérna protectióne confirmēt. Per Dóminum.

IN NATALI S. IOANNIS Euangeliſtæ. Introitus.

IN médio Eccléſiæ apéruit os eius: & impléuit eum Dóminus ſpíritu ſapiéntiæ & intelléct⁹, ſtola glóriæ índuit eum.

Pſalmus. Iucunditátem & exultatiónem: theſaurizáuit ſuper eum. Collecta

ECcléſiam tuam, Dómine, benígnus illúſtra: vt beáti Ioánnis Euangeliſtæ illumináta doctrínis: ad dona peruéniat ſempitérna. Per Dóminum noſtrum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccl^a 15.

QVi timet Deum: fáciet bona. Et qui cóntinens eſt iuſtítiæ apprehéndet illam: & obuiábit illi quaſi mater honorificáta. Cibáuit illū pane vitæ & intelléctus: & aqua ſapiéntiæ ſalutáris potáuit illum. Et firmábitur in illo, & non flectétur: & continébit illum, & non confundétur, & exaltábit illum apud próximos ſuos. In médio Eccléſiæ apéruit os eius: & impléuit eum Dóminus ſpíritu ſapiéntiæ, & intelléctus, & ſtola glóriæ índuit eum. Iucunditátem, & exultatiónem: theſaurizáuit ſuper eum. Et nómine ætérno hæreditáuit illum: Dóminus Deus noſter.

℟. Exiit ſermo inter fratres quòd diſcípulus ille non móritur.

℣. Sed ſic eū volo manére donec véniam, tu me ſéquere.

Allelúia. ℣. Hic eſt diſcípulus ille, qui teſtimónium pérhibet de his: & ſcimus quia verum eſt teſtimónium eius, allelúia.

Secundum Ioánnem. Cap. 21.

IN illo témpore: Dixit Iéſus Petro. Séquere me. Cōuérſus Petrus: vidit illum diſcípulum, quem diligébat Iéſus, ſequéntē (qui & recúbuit in cœna ſuper pectus eius, & dixit, Dómine, quis eſt, qui tradet te.) Hunc ergo cùm vidíſſet Petrus: dixit Iéſu. Dómine: hic autem quid? Dicit ei Iéſus. Sic eum volo manére: donec véniam. Quid ad te? Tu me ſéquere. Exíuit ergo ſermo iſte inter fratres: quia diſcípulus ille non móritur. Et non dixit ei Iéſus, quia non móritur: ſed ſic eum volo manére donec véniam, quid ad te. Hic eſt diſcípulus ille, qui teſtimónium pérhibet de his: & ſcripſit hæc. Et ſcimus: quia verum eſt teſtimónium eius. Credo.

Offertorium. Iuſtus vt palma florébit ſicut Cedrus, quæ in Líbano eſt, multiplicábitur.

Secreta.

Secreta.

SV'ſcipe múnera Dómine: quæ in eius tibi ſolemnitáte deférimus cuius nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminum.

Præfatio de Apoſtolis. Te Dómine ſupplíciter.

Communio. E'xiit ſermo inter fratres quòd diſcípulus ille non móritur, & non dixit Ieſus non móritur, ſed ſic eum volo manére donec véniam. Poſtcommunio.

REfécti cibo, potúque cœléſti, Deus noſter, te ſúpplices deprecámur: vt, in cuius hæc commemoratióne percépimus: eius muniámur & précibus. Per Dóminum.

SS. INNOCENTIVM.

Introitus.

EX ore infántium Deus, & lacténtiũ perfeciſti laudem, propter inimícos tuos. Pſalmus. Dómine Dóminus noſter: quàm admirábile eſt nomen tuũ in vniuérſa terra. Collecta.

DEus, cuius hodiérna die præcónium Innocéntes mártyres nõ loquéndo, ſed moriéndo confeſſi ſunt: ómnia in nobis vitiórum mala mortífica: vt fidem tuam, quam lingua noſtra lóquitur, étiam móribus vita fateátur. Per Dóminum.

Lectio libri Apocalýpſis beati Ioánnis Apóſtoli. Cap. 14.

IN diébus illis: Vidi ſupra montem Sion agnum ſtantem: & cum eo centũ quadragínta quátuor míllia, habéntes nomen eius, & nomen patris eius ſcriptum in fróntibus ſuis. Et audíui vocem de cœlo tanquam vocem aquárum multárum: & tanquam vocem tonítrui magni. Et vocem quam audíui: ſicut citharœdórum, citharizántium in cítharis ſuis. Et cantábant quaſi cánticũ nouum ante ſedem, & ante quátuor animália: & Senióres. Et nemo póterat dícere cánticum: niſi illa centum quadragínta quátuor míllia, qui empti ſunt de terra. Hi ſunt, qui cum muliéribus non ſunt coinquináti: vírgines enim ſunt. Hi ſequúntur Agnũ: quocúnque íerit. Hi empti ſunt ex ómnibus primítiæ Deo & Agno: & in ore ipſórum non eſt inuéntum mendácium. Sine mácula ſunt ante thronum Dei.

℟. Anima noſtra ſicut paſſer érepta eſt de láqueo venántium. ℣. Láqueus contrítus eſt, & nos liberáti ſumus: adiutórium noſtrum in nómine Dómini: qui fecit cœlum & terram. Allelúia. ℣. Hi ſunt, qui cum muliéribus non ſunt coinquináti, vírgines enim permanſérunt, allelúia.

Secúndum Matthǽum. Cap. 2.

IN illo témpore: A'ngelus Dómini appáruit in ſomnis Ióſeph, dicens. Surge, & áccipe púerum, & matrem eius, & fuge in Ægýptũ: & eſto ibi, vſque dum dicam tibi. Futúrum eſt enim: vt Heródes quærat púerũ, ad perdéndum eum. Qui conſúrgens accépit púerum, & matrem eius nocte: & ſeceſſit in Ægýptum. Et erat ibi vſque ad óbitum Heródis: vt adimpleretur, quod dictum eſt à Dómino per Prophétam dicentẽ. Ex Ægýpto, vocáui Fílium meum. Tunc Heródes videns quóniã illúſus eſſet à Magis: irátus eſt valde. Et mittens occídit omnes púeros, qui erant in Béthleẽ, & in ómnibus fínibus eius, à bimátu & infra: ſecúndum tẽpus, quod exquiſíerat à Magis. Tunc adimplétum eſt: quod dictum eſt per Ieremíam Prophetã, dicéntem. Vox in Rama audíta eſt, plorátus & vlulátus multus: Rachel plorans filios ſuos. Et nóluit conſolári: quia non ſunt.

Offertorium A'nima noſtra ſicut paſſer érepta eſt de láqueo venántium, láqueus contrítus eſt: & nos liberáti ſumus.

Digitized by Google

Secreta.

SAnctórum tuórum nobis, Dómine pia non deſit orátio: quæ & múnera noſtra concíliet, & tuam nobis indulgéntiã ſemper obtíneat. Per Dóminum.

Communio. Vox in Rama audíta eſt, plorátus & vlulátus: Rachel plorans filios ſuos, nóluit conſolári: quia non ſunt.

Poſtcommunio.

VOtíua, Dómine, dona percépimus: quæ Sanctórũ nobis précibus & præſéntis, quæſumus, vitæ páriter & ætérnæ tribue cõférre ſubſídium. Per Dóminum.

THOMÆ MARTYRIS Cantuarienſis Archiepiſcopi.

Introitus.

LÆtábitur iuſtus in Dómino, & ſperábit in eo: & laudabũtur omnes recti corde, allelúia, allelúia. Pſalm. Exaúdi Deus oratiónem meam cùm déprecor: à timóre inimíci éripe ánimam meam. Collecta

In ea non dicitur (atque Pontíficis) in feſt. & Miſſ. de S. Vincentio aut S. Petro mar.

ADéſto Dómine ſupplicatiónibus noſtris: vt, qui ex iniquitáte noſtra reos nos eſſe cognóſcimus: beáti (Thomæ) mártyris tui (atque Pontíficis) interceſſióne liberémur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Cap. 4.

IVſtus ſi morte præoccupátus fúerit: in refrigério erit. Senéctus enim venerábilis eſt non diutúrna: neque número annórum computáta. Cani ſunt autem ſenſus hóminis: & ætas ſenectútis vita immaculáta. Placens Deo factus diléctus: & viuens inter peccatóres tranſlátus eſt. Raptus eſt ne malítia mutáret intelléctum illíus: aut ne fictio decíperet ánimam illíus. Cõſummátus in breui expléuit témpora multa: plácita enim Deo erat ánima illíus. Propter hoc properáuit edúcere illũ de médio iniquitátum: quóniã grátia Dei & miſericórdia eſt in Sanctos eius: & reſpéctus in eléctos illíus.

℟. Poſuíſti Dómine ſuper caput eius corónam de lápide pretióſo. ℣. Deſidérium ánimæ eius tribuíſti ei, & voluntáte labiórum eius non fraudáſti eum.

Allelúia. ℣. Lætábitur iuſtus in Dómino, & ſperábit in eo, & laudabúntur omnes recti corde, allelúia. In lxx. Tractus.

BEátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis eius cupit nimis. ℣. Potens in terra erit ſemen eius: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória & diuítiæ in domo eius: & iuſtítia eius manet in ſæculum ſæculi.

Tempore Paſchali primum. Allelúia. ℣. Beátus vir, qui ſuffert tentatiónem: quóniam cùm probátus fúerit accípiet corónam vitæ.

Secúndum Ioánnem. Cap. 12.

IN illo témpore: Dixit Ieſus diſcípulis ſuis. Amen amen dico vobis: niſi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit, ipſum ſolum manet. Si autẽ mórtuum fúerit: multum fructum affert. Qui amat ánimam ſuam: perdet eam. Et qui odit ánimam ſuam in hoc mundo: in vitam ætérnam cuſtódit eam. Si quis mihi miníſtrat: me ſequátur. Et vbi ſum ego: illic & miníſter meus erit. Si quis mihi miniſtráuerit: honorificábit eum: Pater meus.

Offertorium. Glória & honóre coronáſti eum, & conſtituíſti eum ſuper ópera mánuum tuárum, Dómine, allelúia. Secreta.

MVnéribus noſtris, quæſumus, Dómine, precibúſque ſuſcéptis, & cœléſtibus nos munda myſtériis & cleménter exaúdi. Per Dóminum noſtrum.

Communio. Qui vult veníre poſt me, ábneget ſemetípſum: & tollat crucem ſuam, & ſequátur me, allelúia. Poſtcommunio.

In qua non dicitur (atque Pontífice) in Miſſ. S. Vincen. aut S. Petri mart.

QVæſumus, omnípotens Deus: vt, qui cæléſtia aliménta percépimus? intercedēte beáto (Thoma) mártyre tuo (atque Pontífice) per hæc contra ómnia aduérſa muniámur. Per Dóminum.

S. SILVESTRI PAPÆ & Confeſſ. Introitus.

SAcerdótes tui Dómine índuant iuſtitiam, & Sancti tui exúltent: propter Dauid ſeruū tuum non auértas fáciem Chriſti tui. Pſalmus. Meménto Dómine Dauid: & omnis manſuetúdinis eius.

Collecta.

DA, quæſumus, omnípotens Deus: vt beáti Siluéſtri Confeſſóris tui atque Pontíficis veneránda ſolémnitas? & deuotiónem nobis aúgeat, & ſalútem. Per Dóminum.

Lectio libri Sapiéntiæ. Eccl[a]. C. 44.

ECce Sacérdos magnus, qui in diébus ſuis plácuit Deo: & inuéntus eſt iuſtus. Et in témpore iracúndiæ: factus eſt reconciliátio. Non eſt inuéntus ſímilis illi: qui conſeruáret legem Excélſi. Ideo iureiurándo: fecit illum Dóminus créſcere in plebē ſuam. Benedictiónē ómnium Géntium dedit illi: & teſtaméntum ſuū confirmáuit ſuper caput eius. Cognóuit eum in benedictiónibus ſuis: conſeruáuit illi miſericórdiam ſuā, & inuénit grátiam corā óculis Dómini. Magnificáuit eum in cōſpéctu Regū: & dedit illi corónam glóriæ. Státuit illi teſtaméntū ſempitérnū: & dedit illi Sacerdótium magnum, & beatificáuit illum in glória. Fungi Sacerdótio: & habére laudem in nómine ipsíus. Et offérre illi incénſum dignum: in odórem ſuauitátis.

℞. Ecce Sacérdos magnus, qui in diébus ſuis plácuit Deo. ℣. Non eſt inuéntus ſímilis illi, qui conſeruáret legem Excélſi.

Allelúia. ℣. Inuéni Dauid ſeruum meum, óleo ſancto meo vnxi eum. allelúia.

Si dicatur hæc Miſſ. tempore lxx. loco Allel. dicitur tract. Beátus vir, vt in Miſſ. præced.

Secúndum Matthæum. Cap. 25.

IN illo témpore: Dixit Ieſus diſcípulis ſuis parábolam hanc. Homo quidam péregrè proficiſcēs vocáuit ſeruos ſuos: & trádidit illis bona ſua. Et vni dedit quinque talénta: álij autem duo, álij verò vnum. Vnicuíque ſecúndū própriam virtútem: & proféctus eſt ſtatim. Abiit autem qui quinque talénta accéperat: & operátus eſt in eis, & lucrátus eſt ália quinque. Símiliter qui duo accéperat: lucrátus eſt ália duo. Qui autem vnum accéperat: ábiens fodit in terrā, & abſcóndit pecúniam Dómini ſui. Poſt multum verò témporis: venit dóminus ſeruórum illórum, & póſuit ratiónem cum eis. Et accédēs qui quinque talénta accéperat: óbtulit ália quinque talénta, dicēs. Dómine: quinque talénta tradidiſti mihi: ecce ália quinque ſuperlucrátus ſum. Ait illi Dóminus eius. Euge ſerue bone & fidélis: quia ſuper pauca fuiſti fidélis, ſupra multa te conſtítuam. Intra in gaúdium Dómini tui. Accéſſit autē & qui duo talénta accéperat: & ait. Dómine: duo talénta tradidiſti mihi: ecce ália duo lucrátus ſum. Ait illi Dóminus eius. Euge ſerue bone & fidélis: quia ſuper pauca fuiſti fidélis, ſupra multa te conſtítuam. Intra in gaúdium: Dómini tui.

Offertorium. Inuéni Dauid ſeruum meum, óleo ſancto meo vnxi eū, manus enim mea auxiliábitur ei, & bráchium meum confortábit eum.

Secreta.

SAncti tui nos, quæſumus, Dómine, vbíque lætíficent, vt dum eórum mérita recólimus, patrocínia ſentiámus. Per Dóminum.

Communio. Beátus ſeruus, quem, cùm vé-

nerit Dóminus inuénerit vigilántem, amen dico vobis ſuper ómnia bona ſua conſtituet eum Poſtcommunio

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus: vt de percéptis munéribus grátias exhibéntes ⁊ beneficia potióra ſumámus. Per Dóminum.

In octa. S. Stephani ſicut in die, ſed non dicitur Glória in excélſis.

In octa. ſancti Ioannis, ſicut in die ſed non dicitur Glória in excélſis, nec Credo, nec Præfatio de Apoſtolis. Eadem die ſanctæ Genouefæ virginis. Collecta.

EXaúdi nos Deus ſalutáris noſter: vt ſicut de beátæ Genouéfæ feſtiuitáte gaudémus ⁊ ita piæ deuotiónis erudiámur afféctu. Per Dómi.

Secreta.

ACcépta tibi ſit Dómine ſacrátæ plebis oblátio, pro tuórum honóre ſanctórum, quorum ſe méritis percepiſſe de tribulatióne cognóſcit auxílium. Per. Poſtcommunio.

SAtiáſti Dómine famíliam tuam munéribus ſacris: eius, quæſumus, ſemper interuentióne nos réfoue ⁊ cuius ſolémnia celebrámus. Per Dóminum.

De qua ſit Miſſa maior. In Diœceſi Pariſien licet Dominica euenérit, ſit autem vt de S Catherina, præter Euangelium, quod eſt vt de. S. Cæcilia.

In octa. Innocentium ſicut in die, ſed non dicitur Glória in excélſis.

SANCTI GVILLERMI Epiſc. & Confeſſ. Introitus.

STátuit ei Dóminus teſtaméntũ pacis, & Príncipẽ fecit eũ, vt ſit illi Sacerdótij dígnitas in ætérnum. Pſalmus. Miſericórdias Dómini: in ætérnum cantábo.

Collecta.

DEus, qui cónſpicis quia ex nulla noſtra virtúte ſubsíſtimus ⁊ concéde propítius: vt interceſſióne beáti Guillérmi confeſſóris tui, atque Pontíficis, contra ómnia aduérſa muniámur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccl[a]. C.44.

ECce Sacérdos magnus, qui in diébus ſuis plácuit Deo: & inuéntus eſt iuſtus. Et in témpore iracúndiæ: factus eſt reconciliátio. Non eſt inuéntus símilis illi: qui conſeruáret legem Excélſi. Ideo iureiurándo fecit illum Dóminus créſcere in plebẽ ſuam. Benedictiónẽ ómnium Géntiũ dedit illi: & teſtaméntum ſuum cõfirmáuit ſuper caput eius. Cognóuit eum in benedictiónib⁹ ſuis: conſeruáuit illi miſericórdiam ſuam, & inuénit grátiam coram óculis Dómini. Magnificáuit eum in cóſpéctu Regum: & dedit illi corónam glóriæ. Státuit illi teſtaméntum ſempitérnum: & dedit illi Sacerdótium magnũ, & beatificáuit illum in glória. Fungi Sacerdótio: & habére laudem in nómine ipsíus. Et offérre illi incénſum dignum: in odórem ſuauitátis.

℟. Ecce Sacérdos magnus, qui in diébus ſuis plácuit Deo. ℣. Non eſt inuéntus ſímilis illi, qui conſeruáret legem Excélſi.

Allelúia. ℣ Iuſtus germinábit ſicut lílium, & florébit in ætérnum ante Dóminum. allelúia.

Secúndum Lucam. Cap. 12.

IN illo tẽpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Sint lũbi veſtri præcincti: & lucérnæ ardẽtes in mánib⁹ veſtris. Et vos ſímiles homínibus expectántibus Dóminum ſuum quando reuertátur à núptiis: vt cum vénerit, & pulſáuerit, conféſtim apériant ei. Beáti ſerui illi: quos cum vénerit Dóminus, inuénerit vigilántes. Amen dico vobis: quòd præcínget ſe, & fáciet illos diſcúmbere, & tránſiens miniſtrábit illis. Et ſi vénerit in ſecúnda vigília, & ſi in tértia vigília vénerit ⁊ & ita inuénerit: beáti

ſunt

ſunt ſerui illi. Hoc autem ſcitóte: quóniam ſi ſciret paterfamílias qua hora fur veníret, vigiláret vtique, & non síneret pérfodi domum ſuam. Et vos eſtóte paráti: quia qua hora non putátis: Filius hóminis véniet.

Offertorium. Iuſtus vt palma florébit, ſicut Cedrus, quæ in Líbano eſt, multiplicábitur.

Secreta.

DA miſéricors Deus, vt hæc nos ſalutáris oblátio & à própriis reátibus indeſinénter expédiat, & ab ómnibus tueátur aduérſis. Per Dóminum noſtrum.

Communio. Beátus ſeruus, quem, cùm vénerit Dóminus, inuénerit vigilántem: amen dico vobis, ſuper ómnia bona ſua conſtítuet eum.

Poſtcommunio.

PRæſta, quæſum⁹, Dómine Deus noſter: vt quorum feſtiuitáte votíua ſunt ſacraménta⁊ eórum ſalutária nobis interceſſióne reddántur. Per Dóminum.

Eadem die Sancti Pauli primi Eremitæ.

Collecta.

DEus, qui nos beáti Pauli Confeſſóris tui ánnua ſolemnitáte lætíficas⁊ concéde propítius: vt, cuius natalítia cólimus⁊ per eius ad te exémpla gradiámur. Per Dóminũ.

Secreta.

LAudis tuæ, Dómine, hóſtias immolámus, in tuórum commemoratióne Sanctórum, quibus nos & præſéntibus éxui malis confídimus, & futúris. Per Dóminum.

Poſtcommunio.

REfécti cibo, potúque cœléſti, Deus noſter, te ſúpplices exorámus: vt, in cuius hæc commemoratióne percépimus⁊ eius muniámur & précibus. Per Dóminum.

Hilarij & Remigij Epiſcoporum. Collecta.

INfirmitátem noſtrã quæſumus, Dómine propítius réſpice: & mala ómnia, quæ iuſtè merémur⁊ Sanctórum tuórum interceſſióne auérte. Per Dóminum.

Secreta.

ADéſto Dómine ſupplicatiónibus noſtris, quas in Sanctórum tuórum commemoratióne deférimus, vt, qui noſtræ iuſtítiæ fidúciam non habémus, eórum, qui tibi placuérunt, méritis adiuuémur. Per Dóminum noſtrum.

Poſtcommunio

QVæſumus, Dómine, ſalutáribus repléti myſtériis: vt, quorũ ſolémnia celebrámus⁊ eórum oratiónibus adiuuémur. Per Dóminũ.

FELICIS IN PINCIS.

Introitus.

OS iuſti meditábitur ſapiéntiam, & lingua eius loquétur iudíciũ: lex Dei eius in corde ipſius.

Pſalmus. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláueris faciéntes iniquitátem.

Collecta.

COncéde, quæſumus, omnípotens Deus⁊ vt ad meliórem vitam Sanctórum tuórũ exémpla nos prouocent: quátinus quorum ſolémnia ágimus⁊ étiam actus imitémur. Per Dóminum.

Ad Hebræos. Cap. 13.

FRatres: Doctrínis váriis & peregrínis: nolíte abdúci. Optimum eſt enim grátia ſtabilíre cor: non eſcis, quæ non profuérunt ambulántibus in eis. Habémus altáre: de quo édere non habent poteſtátem, qui tabernáculo deſéruiunt. Quorũ enim animáliũ infértur ſanguis pro peccáto in Sancta per Pontificẽ: horũ córpora cremántur extra caſtra. Propter quod & Iéſus, vt ſanctificáret per ſuum ſánguinem pópulum: extra portã paſſus eſt. Exeámus ígitur ad eũ extra caſtra: impropérium eius portántes. Non enim habémus

hîc manéntem ciuitátem: ſed futúram inquirímus. Per ipſum ergo offerámus hóſtiã laudis ſemper Deo: id eſt fructũ labiórum cõfiténtium nómini eius. Beneficéntiæ autem & communiónis: nolíte obliuíſci. Tálibus enim hóſtiis: promerétur Deus

℟. Iuráuit Dóminus, & non pœnitébit eũ, tu es Sacérdos in ætérnum ſecúndum órdinem Melchíſedech. ℣. Dixit Dóminus Dómino meo, ſede à dextris meis.

Allelúia. ℣. Diſpóſui teſtaméntum eléctis meis, iurávi Dauid ſeruo meo. allelúia.

Secúndum Lucam. Cap. 10.

IN illo témpore: Dixit Ieſus diſcípulis ſuis. Qui vos audit: me audit. Et qui vos ſpernit: me ſpernit. Qui autem me ſpernit: ſpernit eum, qui me miſit. Reuérſi ſunt autẽ ſeptuagínta duo cum gáudio: dicentes. Dómine: étiam dæmónia ſubiiciúntur nobis in nómine tuo. Et ait illis. Vidébam Sáthanam: ſicut fulgur de cœlo cadéntem. Ecce dedi vobis poteſtátem calcándi ſupra ſerpéntes, & ſcorpiónes, & ſupra omnem virtútẽ inimíci: & nihil vobis nocébit. Verúntamen in hoc nolíte gaudére: quia ſpíritus vobis ſubiiciúntur. Gaudéte autem quòd nómina veſtra: ſcripta ſunt in cœlis.

Offertorium. Glória & honóre coronáſti eum, & conſtituíſti eũ ſuper ópera mánuum tuárum, Dómine. Secreta

HOſtias tibi, Dómine, beáti Felícis confeſſóris tui dicátas méritis benígnus aſſúme, & ad perpétuum nobis tríbue prouenire ſubſídium. Per Dóminum.

Communio. Poſuíſti Dómine in cápite eius corónã de lápide pretióſo. Poſtcõmunio

QVæſumus, Dómine, ſalutáribus repléti myſtériis: vt cuius ſolémnia celebrámus: eius oratiónibus adiuuémur. Per Dóminum.

S. Mauri Abbatis. Collecta

INtercéſſio nos, quæſumus, Dómine, beáti Mauri Abbátis commendet: vt quod noſtris méritis non valémus: eius patrocínio aſſequámur. Per Dóminum noſtrum.

Secreta.

SAcris altáribus, Dómine, hóſtias ſuperpóſitas Sanctus Maurus, quæſumus, in ſalútem nobis prouenire depóſcat. Per Dóminum.

Poſtcommunio.

PRótegat nos, Dómine, cum tui perceptióne ſacraménti, beátus Maurus Abbas pro nobis intercedéndo: vt conuerſatiónis eius experiámur inſígnia. Per Dóminum.

S. MARCELLI PAPÆ & Mart. Introitus.

STátuit ei Dóminus teſtaméntũ pacis: & Príncipem fecit eum, vt ſit illi Sacerdótij dígnitas in ætérnum.

Pſalmus. Miſericórdias Dómini: in ætérnum cantábo. Collecta.

PReces pópuli tui, quæſumus, Dómine cleménter exáudi: vt beáti Marcélli mártyris tui atque Pontíficis méritis adiuuémur: cuius paſſióne lætámur. Per Dóminum.

Lectio libri Sapiéntiæ.

Eccl[ci]. Cap. 39.

IVſtus cor ſuum tradet ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum: & in conſpéctu Altíſſimi deprecábitur. Apériet os ſuũ in oratióne: & pro delíctis ſuis deprecábitur. Si enim Dóminus magnus volúerit: ſpíritu intelligéntiæ replébit illum. Et ipſe tãquam imbres mittet elóquia ſapiéntiæ ſuæ: & in oratióne confitébitur Dómino. Et ipſe díriget consílium eius, & diſciplínam: & in abſcónditis ſuis conſiliábitur. Et ipſe palam fáciet diſciplínam doctrínæ ſuæ: & in lege teſtaménti Dómini gloriábitur. Collaudábunt

multi

Digitized by Google

multi ſapiéntiam eius: & vſque in ſǽculum non delébitur. Non recédet memória eius: & nomen eius requirétur: à generatióne in generatiónem.

℟. Inuéni Dauid ſeruum meum, óleo ſancto meo vnxi eum, manus enim mea auxiliábitur ei, & bráchium meum confortábit eum. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, & filius iniquitátis non nocébit ei.

Allelúia. ℣. Póſui adiutórium ſuper poténtem, & exaltáui eléctum de plebe mea. allelúia.

Secúndum Matthǽum. Cap. 25.

IN illo témpore: Dixit Ieſus diſcípulis ſuis parábolam hãc. Homo quidam péregrè proficíſcens vocáuit ſeruos ſuos: & trádidit illis bona ſua. Et vni dedit quinque talénta: álij autem duo, álij verò vnum. Vnicuíque ſecúndum própriam virtútem: & proféctus eſt ſtatim. A'biit autem, qui quinque talénta accéperat: & operátus eſt in eis, & lucrátus eſt ália quinque. Símilitet, qui duo accéperat: lucrátus eſt ália duo. Qui autem vnum accépetat: ábiens fodit in terram, & abſcóndit pecúniã Dómini ſui. Poſt multum verò témporis: venit dóminus ſeruórum illórum, & póſuit ratiónem cum eis. Et accédens, qui quinque talénta accépetat: óbtulit ália quinque talénta, dicens. Dómine: quinque talénta tradidíſti mihi: ecce ália quinque ſuperlucrátus ſum. Ait illi Dóminus eius. Euge ſerue bone & fidélis: quia ſupet pauca fuíſti fidélis, ſupra multa te conſtítuam. Intra in gaúdium Dómini tui. Accéſſit autem & qui duo talénta accéperat: & ait. Dómine: duo talénta tradidíſti mihi: ecce ália duo lucrátus ſum. Ait illi Dóminus eius. Euge ſetue bone, & fidélis: quia ſuper pauca fuíſti fidélis, ſupta multa te conſtítuam. Intra in gaúdium: Dómini tui.

Offertorium. Véritas mea, & miſericórdia mea cum ipſo: & in nómine meo exaltábitur cornu eius.

Secreta.

SVſcipe, quǽſumus, Dómine, múnera dignánter obláta, & beáti Marcélli ſuffragántibus méritis, ad noſtræ ſalútis auxílium proueníre concéde. Per Dóminum.

Communio. Dómine quinque talénta tradidíſti mihi, ecce ália quinque ſuperlucrátus ſum, euge ſerue fidélis, quia in pauca fuíſti fidélis, ſupra multa te conſtítuam: intra in gaúdium Dómini tui.

Poſtcommunio.

SAtiáſti, Dómine, famíliam tuam munéribus ſacris: eius, quǽſumus, ſemper interuentióne nos réfoue: cuius ſolémnia celebrámus. Per Dóminum noſtrum.

ANTONII CONFESSORIS.

Introitus.

OS iuſti meditábitur ſapiéntiã, & lingua eius loquétur iudícium: lex Dei eius in corde ipſíus, allelúia, allelúia, allelúia.

Pſalmus. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláueris faciéntes iniquitátem.

Collecta.

DEus, qui nos beáti (Antónij) cõfeſſóris tui ánnua ſolemnitáte lætíficas: cõcéde propítius: vt, cuius natalítia cólimus: per eius ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Lectio libri Sapiéntiæ.

Eccl[ci]. Cap. 45.

DIléctus à Deo & homínibus: cuius memória in benedictióne eſt. Símilem illum fecit in glória Sanctórum: & magnificáuit eum in timóre inimicórum, & in verbis ſuis monſtra placáuit. Glorificáuit illum in conſpéctu Regum: & iuſſit illi coram pópulo ſuo, & oſténdit illi glóriam ſuam. In fide & lenitáte ipſíus ſanctum fecit illũ: & elégit eum ex

omni carne. Audíuit enim vocem ipſíus:& indúxit illum in nubem. Et dedit illi cor ad præcépta & legem vitæ: & diſciplínæ.

℟. Os iuſti meditábitur ſapiéntiam, & lingua eius loquétur iudíciũ. ℣. Lex Dei eius in corde ipſíus, & nõ ſupplantabúntur greſſus eius. Allelúia. ℣. Iuſtus germinábit ſicut lílium, & florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúia.

A Septuag. vſque ad Paſcha. Tractus.

BEátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis eius cupit nimis. ℣. Potens in terra erit ſemẽ eius: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória & diuítiæ in domo eius, & iuſtítia eius manet in ſæculum ſæculi.

Tempore Paſchali ſit primum Allelúia. ℣. Amáuit eum Dóminus, & ornáuit eum: ſtola glóriæ índuit eum. Si autem vnum ſolum dicatur Allelúia ſit ℣. Iuſtus.

Secúndum Matthæum. Cap. 19.

IN illo témpore. Dixit Simon Petrus ad Iéſum. Ecce nos relíquimus ómnia:& ſecúti ſumus te. Quid ergo erit nobis? Iéſus autem: dixit illis. Amen dico vóbis: quòd vos, qui ſecúti eſtis me, in regeneratióne cũ ſéderit Filius hóminis in ſede maieſtátis ſuæ, ſedébitis & vos ſuper ſedes duódecim, iudicántes duódecim Tribus Iſráel. Et omnis, qui relíquerit domum, vel fratres, aut ſoróres, aut patrem, aut matrem, aut vxórẽ, aut filios, aut agros propter nomen meum: céntuplum accípiet: & vitam ætérnam poſſidébit.

Offertorium. Deſidérium ánimæ eius tribuíſti ei Dómine: & voluntáte labiórũ eius non fraudáſti eum: poſuíſti in cápite eius corónam de lápide pretióſo. Allelúia.

Secreta.

LAudis tuæ, Dómine, hóſtias immolámus in tuórum cõmemoratióne Sanctórum, quibus nos & præſéntibus éxui malis confídimus, & futúris. Per Dóminum.

Communio. Fidélis ſeruus & prudẽs, quem conſtítuit Dóminus ſuper famíliam ſuam: vt det illis in témpore trítici menſúram, allelúia, allelúia. Poſtco...

REfécti cibo, potúque cœléſti, Deus noſter, te ſúpplices exorámus: vt, in cuius hæc commemoratióne percépimus; eius muniámur & précibus. Per Dóminum.

Eadem die Sanctorum martyrum Speuſippi, Eleuſippi, Meleuſippi. Collecta.

DEus, qui nos concédis Sanctórum mártyrum tuórum natalítia cólere; da nobis in ætérna beatitúdine de eórũ ſocietáte gaudére. Per Dóminum. Secreta.

MV'nera tibi, Dómine, noſtræ deuotiónis offérimus, quæ & pro tuórum tibi grata ſint honóre iuſtórum, & nobis ſalutária, te miſeránte, reddántur. Per Dóminum.

Poſtcommunio.

PRæſta nobis Dómine, quæſumus, intercedéntibus Sãctis tuis: vt, quæ ore contígimus; pura mẽte capiámus. Per Dóminum.

PRISCÆ VIRGINIS & Mart. Introitus.

LOquébar de teſtimóniis tuis in conſpéctu Regum, & nõ confundébar: & meditábar in mandátis tuis, quæ diléxi nimis. Pſalm. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini. Collecta.

DA, quæſumus, omnípotẽs Deus: vt, qui beátæ Priſcæ mártyris tuæ natalítia cólimus; & ánnua ſolemnitáte lætémur, & tantæ fidei proficiámus exémplo. Per Dóminũ.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccl^di. Cap. 15.

DO'mine Deus meꝰ exaltáſti ſuper terram habitatiónem meã: & pro morte defluénti deprecáta ſum. Inuocáui Dóminum Patrem Dómini mei, vt nõ derelínquat me

in die tribulatiónis meę:& in témpore ſuperbórum ſine adiutório. Laudábo nomen tuum aſsiduè, & collaudábo illud in confeſſióne: & exaudíta eſt orátio mea. Liberáſti me de perditióne:& eripuíſti me de témpore iníquo. Proptérea cõfitébor,& laudem dicam nómini tuo: Dómine Deus noſter.

℞. Spécie tua, & pulchritúdine tua, inténde, próſperè procéde, & regna. ℣. Propter veritátem, & manſuetúdinem, & iuſtítiam, & dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

A lleluia. ℣. Diffúſa eſt grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. allelúia.

Secúndum Matthǽum. Cap. 13.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis parábolam hanc. Símile eſt regnum cœlórum theſaúro abſcóndito in agro: quem, qui inuénit homo, abſcóndit, & præ gaúdio illíus vadit, & vendit vniuérſa, quæ habet, & emit agrum illum. I'terum símile eſt regnum cœlórum hómini negotiatóri: quæréntí bonas margarítas. Inuénta autem vna pretióſa margaríta: ábiit & véndidit ómnia, quæ hábuit, & emit eam. I'terum símile eſt regnum cœlórum ſagénæ miſſæ in mare: & ex omni génere piſcium congregánti. Quam, cùm impléta eſſet, educéntes, & ſecus littus ſedéntes: elegérũt bonos in vaſa ſua, malos autem foras miſérunt. Sic erit in conſummatióne ſǽculi. Exíbunt A'ngeli, & ſeparábunt malos de médio iuſtórum: & mittent eos in camínum ignis. Ibi erit fletus: & ſtridor déntium. Intellexíſtis hæc ómnia? Dicunt ei. E'tiam Dómine. Ait illis. I'deo omnis Scriba doctus in regno cœlórum símilis eſt hómini patrifamílias: qui profert de theſaúro ſuo: noua & vétera.

Offertorium. F íliæ Regum in honóre tuo, áſtitit Regína à dextris tuis in veſtítu deauráto circúndata varietáte.

Secreta.

HO'ſtia, Dómine, quǽſumus quam in Sanctórum tuórun natalítiis recenſéntes offérimus, & víncula noſtræ prauitátis abſóluar & tuæ nobis miſericórdiæ don: concíliet. Per Dóminum.

Communio Feci iudícium, & iuſtítiam Dómine: non calumniéntur mihi ſuperbi ad ómnia mandáta tua dirigébar, omnen viam iniquitátis ódio hábui.

Poſtcommunio.

QVǽſumus, Dómine, ſalutáribus repléri miſtériis: vt, cuius ſolémnia celebrámus? eius oratiónibus adiuuémur. Per Dóminum.

FABIANI ET SEBASTIANI

Introitus

INtret in conſpéctu tuo, Dómine: gémitus compeditórũ: redde vicínis noſtris ſéptuplum in ſinu eórum, víndica ſánguinem Sanctórum tuórum, qui effúſus eſt.

Pſalmus. D eus venérunt Gentes in hæreditátem tuam: pollućrunt templum ſanctun tuum, poſuérunt Ierúſalem in pomórum cuſtódiam.

Collecta

DEus, qui beátos mártyres tuos Fabiánum atque Sebaſtiánum virtúte conſtántiæ in paſſióne roboráſti: ex eórum nobis imitatióne tríbue pro amóre tuo próſpera mundi deſpícere? & nulla eius aduérſa formidáre. Per Dóminum.

Léctio epíſtolæ beati Pauli Apóſtoli Ad Hebrǽos. Cap. 11.

FRatres: Sancti per fidem vicérunt regna: operáti ſunt iuſtítiã, adépti ſunt repromiſſiónes. Obturauérunt ora leónum: extinxérunt ímpetum ignis, effugárunt áciem gládij conualuérunt de infirmitáte, forte facti ſunt in bello. Caſtra vertérun

exterórum: accepérunt mulíeres de reſurrectióne mórtuos ſuos. A'lij autem diſténti ſunt nō ſuſcipiéntes redemptiónem: vt melióre inueníren reſurrectiónem. A'lij verò ludíbria, & vérbera expérti, inſuper & víncula, & cárceres: lapidáti ſunt, ſecti ſunt, tentáti ſunt, in occiſióne gládij mortui ſunt. Circuiérunt in melótis, in péllibus caprínis: egéntes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. In ſolitudínibus errántes: in móntibus, & in ſpelúncis, & in cauérnis terræ. Et hi omnes teſtimónio fidei probáti inuénti ſūt: in Chriſto Iéſu: Dómino noſtro.

℟. Glorióſus Deus in Sanctis ſuis, mirábilis in maieſtáte, fáciens prodígia. ℣. Déxtera tua Dómine glorificáta eſt in virtúte, déxtera manus tua confrégit inimícum.

Allelúia. ℣. Sancti tui Dómine, benedícent te, glóriam regni tui dicent, allelúia.

In Septuageſima. Tractus.

QVi ſéminant in láchrymis, in gaúdio metent. ℣. Eúntes ibant, & flebant mitténtes ſémina ſua. ℣. Veniéntes autem, vénient cum exultatióne, portántes manípulos ſuos.

Secúndum Lucam. Cap. 6.

IN illo témpore: Deſcéndens Iéſus de monte: ſtetit in loco campéſtri, & turba diſcipulórum eius, & multitúdo copióſa plebis ab omni Iudǽa, & Ierúſalem, & marítima, & Tyri, & Sydónis, qui vénerant, vt audírent eum & ſanaréntur à languóribus ſuis. Et qui vexabántur à Spirítibus immúndis: curabántur. Et omnis turba quærébat eū tángere: quia virtus de illo exíbat, & ſanábat omnes. Et ipſe eleuátis óculis in diſcípulos ſuos: dicébat. Beáti paúperes: quia veſtrum eſt regnum Dei. Beáti, qui nunc eſurítis: quia ſaturabímini. Beáti qui nunc fletis: quia ridébitis. Beáti éritis cùm vos óderint hómines, & cùm ſeparáuerint vos, & exprobráuerint, & eiécerint nomen veſtrum tanquam malum: propter Fílium hóminis. Gaudéte in illa die & exultáte: ecce enim merces veſtra: multa eſt in cœlo.

Offertorium. Lætámini in Dómino, & exultáte iuſti, & gloriámini omnes recti corde.

Secreta.

ACcépta ſit in cōſpéctu tuo, Dómine, noſtra deuótio, & eórum nobis ſit ſupplicatióne ſalutáris, pro quorum ſolemnitáte defértur. Per.

Communio. Multitúdo languéntium, & qui vexabántur à ſpirítibus immúndis veniébant ad eum, quia virtus de illo exíbat, & ſanábat omnes.

Poſtcommunio.

SAcro múnere ſatiáti ſúpplices te, Dómine, deprecámur: vt quod débitæ ſeruitútis celebrámus officio? intercedéntibus beátis martýribus tuis Fabiáno atque Sebaſtiáno, ſaluatiónis tuæ ſentiámus augméntum. Per Dóminum noſtrum.

AGNETIS VIRGINIS & martyris. Introitus.

ME expectauérunt peccatóres vt pérderent me: teſtimónia tua, Dómine, intelléxi: omnis, conſummatiónis vidi finem, latum mandátum tuum nimis.

Pſalmus. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini. Collecta.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui infírma mundi éligis, vt fórtia quæque confúndas? concéde propítius: vt, qui beátæ Agnétis mártyris tuæ ſolémnia cólimus? eius apud te patrocínia ſentiámus. Per Dóminum.

Ad Corinthios. 2. Cap. 10.

FRatres: Qui gloriátur: in Dómino gloriétur. Non enim qui ſeípſum commēndat ille probátus eſt: ſed quem Deus cōméndat. V'tinam Cap. 11.

ſuſti-

ſuſtinerétis módicum quid inſipiéntiæ meæ: ſed & ſupportáte me. Æ'mulor enim vos: Dei æmulatióne. Deſpóndi enim vos vni viro vírginē caſtam: exhibére Chriſto.

℞. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, próſperè procéde, & regna. ℣. Propter veritátem, & manſuetúdinem, & iuſtítiam: & dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Allelúia. ℣. Æ'mulor enim vos Dei æmulatióne, deſpóndi vos vni viro vírginē caſtam exhibére Chriſto, allelúia.

In Septuageſima tractus. Qui séminant, vt in præcedenti Miſſa.

Secúndum Matthǽum. Cap 25.

IN illo témpore: Dixit Ieſus diſcípulis ſuis parábolam hanc. Símile eſt regnum cœlórum decem virgínibus: quæ accipiéntes lámpades ſuas exiérunt óbuiā ſponſo, & ſponſæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ: & quinque prudéntes. Sed quinque fátuæ: accéptis lampádibus non ſumpſérunt óleum ſecum. Prudéntes verò: accepérunt óleum in vaſis ſuis cum lampádibus. Moram autē faciénte ſponſo: dormitauérūt omnes & dormiérunt. Média autē nocte clamor factus eſt: ecce ſponſus venit, exíte óbuiam ei. Tunc ſurrexérunt omnes vírgines illæ: & ornauérunt lámpades ſuas. Fátuę autem: ſapiéntibus dixérunt. Dare nobis de óleo veſtro: quia lámpades noſtræ extingúntur. Reſpondérūt prudéntes, dicéntes. Ne fortè non ſufficiat nobis & vobis: ite pótiùs ad vendéntes & émite vobis. Dum autē irent émere, venit ſponſus. Et quæ parátæ erāt, intrauérunt cum eo ad núptias: & clauſa eſt iánua. Nouíſſimè verò véniunt & réliquæ vírgines: dicéntes. Dómine, Dómine: áperi nobis. At ille reſpóndens: ait. Amen dico vobis: néſcio vos. Vigiláte ítaque: quia neſcítis diem neque horam.

Offertorium. Offeréntur Regi vírgines, próximæ eius offeréntur tibi in lætítia & exultatióne, adducéntur in templum Regi Dómino.

Secreta.

HO'ſtias, Dómine, quas tibi offérimus, propítius ſúſcipe, & intercedénte beáta Agnéte mártyre tua, víncula peccatórū noſtrórum abſólue. Per Dóminum.

Communio. Quinque prudéntes vírgines accepérunt óleum in vaſis ſuis cum lampádibus, média autem nocte clamor factus eſt, ecce ſponſus venit: exíte óbuiam Chriſto Dómino.

Poſtcommunio.

REfécti cibo potúque cœléſti, Deus noſter, te ſúpplices exorámus: vt, in cuius hæc commemoratióne percépimus ꝗ eius muniámur & précibus. Per Dóminum.

De Sancto Vincentio martyre fiat ſicut in Miſſa de Sancto Thoma Cantuarienſi notatur pag. 200.

Sanctæ Emerentianæ virg. Collecta.

INdulgéntiā nobis, Dómine, beáta Emerentiána martyr implóret: quæ tibi grata ſemper éxtitit, & mérito caſtitátis ꝗ & tuæ profeſſióne virtútis. Per Dóminum.

Secreta.

SV'ſcipe múnera Dómine, quæ in beátæ Emerētiánæ mártyris tuæ ſolemnitáte deférimus, cuius nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminum.

Poſtcommunio.

AVxiliéntur nobis, Dómine, ſumpta myſtéria ꝗ & intercedénte beáta Emerētiána mártyre tua, ſempitérna protectióne confírment. Per Dóminum.

IN CONVERSIONE S. Pauli.

Introitus.

SCio, cui crédidi, & certus ſū, quia potens eſt depóſitum meum ſeruáre, in illum diē. Verſus. De réliquo repóſita eſt mihi: coróna iuſtítiæ.

Collecta.

DEus, qui multitudinẽ Géntium beáti Pauli Apóſtoli prædicatióne docuíſti: da nobis, quæſumus: vt cuius hódie conuerſiónem cólimus: eius apud te patrocínia ſentiámus. Per Dóminum.

Léctio A'ctuū Apóſtolorū. Cap. 9.

IN diébus illis: Saulus adhuc ſpirãs minárum, & cædis in diſcípulos Dómini: accéſſit ad Príncipem Sacerdótum, & pétiit ab eo epíſtolas in Damáſcū ad Synagógas, vt, ſi quos inuénerit huius viæ viros ac mulíeres, vinctos perdúceret in Ierúſalem. Et cùm iter fáceret: cóntigit vt appropinquáret Damáſco. Et ſúbitò circumfúlſit eum lux de cœlo: & cadẽs in terram, audíuit vocem dicéntem ſibi. Saule, Saule: quid me perſéqueris? Qui dixit. Quis es Dómine? Et ille. Ego ſum Ieſus Nazarénus: quem tu perſéqueris. Durum eſt tibi: contra ſtímulum calcitráre. Et tremens ac ſtupens dixit. Dómine: quid me vis fácere? Et Dóminus ad eum. Surge & ingrédere ciuitátẽ: & dicétur tibi quid te opórteat fácere. Viri autem illi, qui comitabántur cum eo, ſtabant ſtupefácti: audiéntes quidem vocem, néminem autẽ vidéntes. Surréxit autem Saulus de terra: apertíſque óculis nihil vidébat. Ad manus autem illum trahéntes: introduxérunt Damáſcum. Et erat tribus diébus non videns: & non manducáuit, neque bibit. Erat autem quidem diſcípulus Damáſci nómine Ananías: & dixit ad illum in viſu Dóminus. Ananía. At ille ait. Ecce ego Dómine. Et Dóminus ad illum. Surgẽs vade in vicum, qui vocátur rectus: & quære in domū Iúdæ Saulum nómine Tarſénſem. Ecce enim orat. (Et vidit virum nómine Ananíam introeúntem, & imponéntem ſibi manus: vt viſum recípiat.) Reſpóndit autem Ananías. Dómine: audíui à multis de viro hoc, quanta mala Sanctis tuis fécerit in Ierúſalẽ: & hic habet poteſtátem à Princípibus Sacerdótum, alligándi omnes, qui ínuocant nomẽ tuum. Dixit autem ad eum Dóminus. Vade, quóniam vas electiónis mihi eſt iſte: vt portet nomen meum coram Géntibus, & Régibus, & fíliis Iſráel. Ego enim oſténdam illi: quanta opórteat eum pro nómine meo pati. Et ábiit Ananías, & introíuit in domū: & impónens ei manus, dixit. Saule frater: Dóminus miſit me Iéſus, qui appáruit tibi in via, qua veniébas, vt vídeas, & impleáris Spíritu Sancto. Et conféſtim cecidérunt ab óculis eius tanquam ſcamæ: & viſum recépit. Et ſurgẽs baptizátus eſt. Et cùm accepíſſet cibū: confortátus eſt. Fuit autem cum diſcípulis, qui erant Damáſci: per dies áliquot. Et contínuò in Synagógis prædicábat Iéſū: quóniam hic eſt Fílius Dei. Stupébant autem omnes, qui eum audiébant: & dicébant. Nonne hic eſt, qui expugnábat in Ierúſalem eos, qui inuocábant nomen iſtud? Et huc ad hoc venit: vt vinctos illos dúceret ad Príncipes Sacerdótū. Saulus autem multò magis conualeſcébat, & confundébat Iudæos, qui habitábant Damáſci: affirmans: quóniam hic eſt Chriſtus.

℟. Qui operátus eſt Petro in apoſtolátum, operátus eſt & mihi inter Gentes, & cognouérunt grátiam Dei, quæ data eſt mihi.
℣. Grátia Dei in me vácua non fuit, ſed grátia eius ſemper in me manet.

Allelúia. ℣. Magnus Sanctus Paulus vas electiónis, verè dignè eſt glorificándus, allelúia.

Si in Septuageſima euenerit. Tractus.

DEſidérium ánimæ eius tribuíſti ei, & voluntáte labiórum eius non fraudáſti eum. ℣. Quóniam præueníſti eum in benedictiónibus dulcédinis. ℣. Poſuíſti in cápite eius corónam de lápide pretióſo.

Secúndum Matthæum. Cap. 19.

IN illo témpore: Dixit Simon Petrusad Iéſum. Ecce nos relíquimus ómnia:& ſecúti ſumus te Quid ergo erit nobis? Iéſus autem: dixit illis. Amen dico vobis:quòd vos, qui ſecúti eſtis me, in regeneratióne cū ſéderit Filius hóminis in ſede maieſtátis ſuæ, ſedébitis & vos ſuper ſedes duódecim iudicántes duódecim tribus Iſráel. Et omnis, qui relíquerit domum, vel fratres, aut ſoróres, aut patrē, aut matrem, aut vxórem, aut fílios, aut agros propter nomen meum: céntuplum accípiet: & vitā ætérnam poſſidébit. Credo.

Offertorium. Mihi autem nimis honorificáti ſunt amíci tui Deus: nimis confortátus eſt principátus eórum. Secreta

ECcléſiæ tuæ, quæſumus, Dómine, preces & hóſtias apoſtólica commėndet orátio, vt quod pro illórū glória celebrámus, nobis proſit ad véniam. Per. Præfatio de Apoſtolis.

Communio. Amen dico vobis, quòd vos, qui reliquíſtis ómnia, & ſecúti eſtis me, céntuplum accipiétis, & viam ætérnam poſſidébitis. Poſtcommunio

PErcéptis, Dómine ſacraméntis, beátis Apóſtolis intercedéntibus, deprecámur: vt, quæ pro illórū celebráta ſunt glória? nobis proficiant ad medélam. Per Dóminum.

Eodem die S. Præiecti Epiſcopi & martyris. Collecta.

INfirmitátem noſtrā réſpice omnípotēs Deus: & quia pondus próprie actiónis grauat? beáti Præiécti mártyris tui atque Pontíficis intercéſſio glorióſa nos prótegat. Per Dóminum. Secreta.

ACcépta ſit in conſpéctu tuo, Dómine, noſtra deuótio, & eius nobis fiat ſupplicatióne ſalutáris, pro cuius ſolemnitáte deféertur. Per Dóminum. Poſtcommunio

SPíritū nobis, Dómine, tuæ charitátis infúnde: vt quos vno cæléſti pane ſatiáſti? intercedénte beáto Præiécto mártyre tuo atque Pontífice, tua fácias pietáte concórdes. Per Dóminum. in vnitáte eiúſdem.

xxvij. Ianuarij in Collegio Pariſienſi die S Ioanne Chryſoſtomo fit vt poſt ſequentem Miſſam, de S. Iuliano notatur.

SANCTÆ AGNETIS ſecundò. Introitus.

VVltum tuum deprecabúntur omnes díuites plebis, adducéntur Regi vírgines poſt eam: próximæ eius adducéntur tibi in lætítia & exultatióne.

Pſalmus. Eructáuit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi.

Collecta.

DEus, qui nos ánnua beátæ Agnétis mártyris tuæ ſolemnitáte lætíficas: da, quæſumus, vt quam venerámur officio? étiam piæ conuerſatiónis ſequámur exémplo. Per.

Ad Corínthios. 2. Cap. 10.

FRatres: Qui gloriátur: in Dómino gloriétur. Non enim, qui ſeipſum cōméndat, ille probátus eſt: ſed quem Deus comméndat. Vtinā ſuſtinerétis módicum quid inſipiéntiæ meæ: ſed & ſupportáte me. Æmulor enim vos: Dei æmulatióne. Deſpóndi enim vos vni viro, vírginē caſtam: exhibére Chriſto.

℟. Dilexíſti iuſtítiam, & odíſti iniquitátem. ℣. Proptérea vnxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. Allelúia. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua, inténde, próſperè procéde, & regna, allelúia.

Secúndum Matthæum. Cap. 13.

IN illo témpore. Dixit Iéſus diſcípulis ſuis parábolam hanc. Símile eſt regnum cælórum theſáuro abſcóndito in agro: quem, qui inuénit homo, abſcóndit, & præ gáudio illíus vadit, & vendit vniuérſa, qua

habet,& emit agrum illum. I'terum símile eſt regnum cœlórum hómini negotiatóri: quærénti bonas margaritas. Inuénta vna pretióſa margaríta: ábiit & véndidit ómnia, quæ hábuit, & emit eam. I'terum símile eſt regnum cœlórum ſagénæ miſſæ in mare: & ex omni génere píſcium congregánti. Quam cùm impléta eſſet educéntes,& ſecus littus ſedéntes: elegérunt bonos in vaſa, malos autem foras miſérunt. Sic erit in cõſummatióne ſǽculi. Exíbunt A'ngeli & ſeparábũt malos de médio iuſtórum:& mittent eos in camínũ ignis. Ibi erit fletus:& ſtridor déntium. Intellexíſtis hęc ómnia? Dicunt ei. E'tiã Dómine. Ait illis. I'deo omnis ſcriba doctus in regno cœlórum ſímilis eſt hómini patrifamílias: qui profert de theſáuro ſuo: noua & vétera.

Offertorium **Offeréntur Regi vírgines, próximæ eius offeréntur tibi in lætítia & exultatióne, adducéntur in templum Regi Dómino.**

Secreta.

SVper has, quǽſumus, Dómine, hóſtias benedíctio copióſa deſcéndat, quæ & ſanctificatiónẽ nobis cleménter operétur, & de mártyrum nos ſolemnitáte lætíficet. Per Dóminum noſtrum.

Communio. **Símile eſt regnum cælórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas: inuénta vna pretióſa margaríta, dedit ómnia ſua, & comparáuit eam.**

Poſtcommunio.

SV'mpſimus, Dómine, celebritátis ánnuæ votíua ſacramẽnta ⁊ præſta, quǽſumus, vt & temporális nobis vitæ remédia præbeãt & ætérnæ. Per Dóminum.

SANCTI IVLIANI EPISC.
& Confeſſoris (de quo fiunt duæ Miſſæ in Cenomanen. ſua Diœceſi die xxvij. Ianuarij.)

Introitus.

STátuit ei Dóminus teſtaméntũ pacis: & Príncipẽ fecit eum, vt ſit illi ſacerdótij dígnitas in ætérnũ. Pſalm. **Miſericórdias Dómini: in ætérnum cantábo.** Cætera omnia ſicut de S. Silueſtro. **pag. 201.**

Ignatij Epiſcopi & mart. Collecta

DA, quǽſumus, omnípotẽs Deus: vt, qui beáti Ignátij mártyris tui atque Pontíficis ſolémnia cólimus ⁊ eius apud te interceſſiónibus adiuuémur. Per Dóminum. Secreta.

HÆc hóſtia, quǽſumus, Dómine, emúndet noſtra delícta, & ſacrifícium celebrándum ſubditórum tibi córpora mentéſque ſanctíficet. Per Dóminum.

Poſtcommunio.

REfécti participatióne múneris ſacri, quǽſumus, Dómine Deus noſter: vt cuius exéquimur cultum ⁊ ſentiámus effectum. Per Dóminum.

Eadem die S. Brigidæ virginis. Collecta.

EXáudi nos, Deus Salutáris noſter: vt ſicut de beátæ Brígidæ feſtiuitáte gaudémus ⁊ ita piæ deuotiónis erudiámur afféctu. Per. Dóminum. Secreta.

ACcépta tibi ſit, Dómine, ſacrátę plebis oblátio, pro tuórum hónóre Sanctórum, quorum ſe méritis, percepíſſe de tribulatióne cognóſcit auxílium. Per Dóminum.

Poſtcommunio.

SAtiáſti Dómine famíliam tuam munéribus ſacris: eius, quǽſumus, ſemper interuentióne nos réfoue ⁊ cuius ſolémnia celebrámus. Per Dóminum.

IN PVRIFICATIONE
B. virginis Mariæ.

Benedictio cereorum. **Dóminus vobíſcum.**

Orémus

Orémus.

DEus inæſtimábilis poténtiæ, cuius Vnigénitus cum noſtra humanitáte, hodiérna die in templo eſt à matre vírgine præſentátus ✠ benedícere dignáre hos céreos, in honóre tui nóminis conſecrátos: & cōcéde per interceſſiónem eiúſdem beátæ ſemper vírginis Maríæ, vt quicúnque hæc lumināria pro honóre Fílij tui Dómini noſtri mánibus geſtáuerint, temporáli potiántur ſoſpitáte: atque vbicúnque iſtorū flamma fúerit accénſa, immundórum repéllat ſpirítuum falſitátem: ſicque mereántur pérfrui lætítia: quátinus óbuiam ſponſo pergéntes, lampadárum lúmine ſplendéntes: ad núptias váleant intráre cum ſponſo gaudéntes. Per eúndem.

AD MISSAM.

Introitus.

SVſcépim⁹, Deus: miſericórdiā tuā in médio templi tui: ſecúndū nomē tuum, Deus, ita & laus tua in fines terræ, iuſtítia plena eſt déxtera tua. Pſalmus. Magnus Dóminus, & laudábilis nimis: in ciuitáte Dei noſtri in monte ſancto eius. Collecta

OMnípotens ſempitérne Deus maieſtátem tuā ſúpplices exorámus: vt ſicut Vnigénitus Fílius tuus hodiérna die cum noſtræ carnis ſubſtántia in templo eſt præſentátus: ita nos fácias purificátis tibi méntibus præſentári. Per eúndem.

Léctio Malachíæ Prophétæ. Cap. 3.

HÆc dicit Dóminus Deus. Ecce ego mittam A'ngelum meum: & præparábit viā ante fáciem meam. Et ſtatim véniet ad templum ſanctū ſuum Dominátor, quem vos quǽritis: & A'ngelus teſtaménti, quem vos vultis. Ecce véniet: dicit Dóminus exercítuum. Et quis póterit cogitáre diem aduéntus eius? Et quis ſtabit ad vidéndum eum? Ipſe enim quaſi ignis conflans: & quaſi herba fullónum. Et ſedébit conflans: & emúndans argéntum. Et purgábit fílios Leui: & conflábit eos quaſi aurum & argéntum. Et erunt Dómino offeréntes ſacrifícia in iuſtítia. Et placébit Dómino ſacrifícium Iúda, & Ierúſalem ſicut dies ſǽculi: & ſicut anni antíqui. Dicit Dóminus: omnípotens.

℟. Suſcépimus Deus miſericórdiam tuam in médio templi tui, ſecúndū nomen tuum Dómine, ita & laus tua in fines terræ.

℣. Sicut audíuim⁹ ita & vídimus in ciuitáte Dei noſtri. Allelúia. Ad primam Miſſam

℣. Poſt partum virgo inuioláta permanſíſti: Dei génitrix intercéde pro nobis, allelúia. Ad magnam miſſam. Allelúia. ℣. Adorábo ad templum ſanctum tuum, & confitébor nómini tuo, allelúia. Si in. lxx. Tractus.

GAude María virgo, cunctas hæreſes ſola interemíſti. ℣. Quæ Gabriélis Archángeli dictis credidíſti. ℣. Dum virgo Deum & hóminem genuíſti, & poſt partum virgo inuioláta permanſíſti. ℣. Dei génitrix intercéde pro nobis.

Secúndum Lucam. Cap. 2.

IN illo témpore. Poſtquam impléti ſunt dies purgatiónis Maríæ ſecúndum legem Móyſi: tulérunt Ieſum in Ieruſalem, vt ſiſterent eum Dómino, ſicut ſcriptum eſt in lege Dómini, quia omne maſculinum adapériens vuluam, ſanctum Dómino vocábitur. Et vt darent hóſtiam (ſecúndum quod dictum eſt in lege Dómini:) par túrturū, aut duos pullos columbárum. Et ecce homo erat in Ierúſalem, cui nomen Símeon: & homo iſte iuſtus, & timorátus, exſpéctans conſolatiónem Iſráel, & Spíritus Sāctus erat in eo. Et reſpónſum accéperat à Spíritu Sancto: non viſúrum ſe mortem, niſi priùs vidére

téntes ſémina ſua. ℣. Veniéntes autem vénient in exultatióne portántes manípulos ſuos. Euangelium. Símile eſt regnum cœlórum decem virg. pag.209.

Offertorium. Offeréntur Regi vírgines, próximæ eius offeréntur tibi in lætítia & exultatióne, adducéntur in templum Regi Dómino. Secreta.

SV'ſcipe múnera Dómine, quæ in beátæ A'gathæ mártyris tuæ ſolemnitáte deférimus, cuius nos confídimus patrocínio liberári. Per Dó.

Communio. Qui me dignátus eſt ab omni plaga curáre, & mamíllam meam meo péctori reſtitúere, ipſum ínuoco Deū viuum.

Poſtcommunio.

AVxiliētur nobis, Dómine, ſumpta myſtéria; &c, intercedénte beáta A'gatha mártyre tua, ſempitérna protectióne confírment. Per.

SS. Vedaſti & Amandi Epiſc. Collecta.

COncéde, quæſumus, omnípotens Deus; vt ad meliórē vitam Sanctórum tuórū exémpla nos próuocent: quátinus quorum ſolémnia ágimus; étiam actus imitémur. Per Dóminum. Secreta.

SV'ſcipe Dómine preces & múnera, quæ vt tuo digna ſint conſpéctu, Sanctórum tuórū précibus adiuuémur. Per Dóminum.

Poſtcommunio.

COrporis ſacri, & pretióſi ſánguinis repléti libámine, quæſumus, Dómine Deus noſter: vt, quod pia deuotióne gérimus; certa redēptióne capiámus. Per Dóminum.

S. Soteris virg. & mart. Collecta.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui infírma mūdi éligis, vt fórtia quæque confúndas; cōcéde propítius: vt, qui beátæ Sotéris mártyris tuæ ſolémnia cólimus; eius apud te patrocínia ſentiámus. Per Dóminum noſtrum. Secreta.

HOſtias tibi, Dómine, quas tibi offérimus, propítius ſúſcipe, &, intercedénte beáta Sotére mártyre tua, víncula peccatórū noſtrórum abſólue. Per Dómi. Poſtcommunio.

REféctí cibo, potúq; cœléſti, Deus noſter, te ſúpplices exorámus: vt in cuius hæc cōmemoratióne percépimꝰ; eius muniámur & précibꝰ. Per.

Eadem die S. Scolaſticæ virg. Collecta.

EXaúdi nos Deus ſalutáris noſter: vt ſicut de beátæ Scoláſticæ feſtiuitáte gaudémus; ita piæ deuotiónis erudiámur afféctu. Per. Secreta.

ACcépta tibi ſit, Dómine, ſacrátæ plebis oblátio, pro tuórum honóre Sanctórum, quorum ſe méritis percepiſſe de tribulatióne cognóſcit auxílium. Per. Poſtcommunio.

SAtiáſti Dómine famíliam tuam munéribus ſacris: eius, quæſumus, ſemper interuentióne nos réfoue; cuius ſolēnia celebrámus. Per.

S. VALENTINI MARTYRIS.

Introitus.

IN virtúte tua, Dómine lætábitur iuſtus, & ſuper Salutáre tuū exultábit veheménter: deſidérium ánimæ eius tribuíſti ei.

Pſalmus. Quóniam præueníſti eum in benedictiónibus dulcédinis: poſuíſti in cápite eius corónam de lápide pretióſo. Collecta.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus: vt, qui beáti Valētíni mártyris tui natalítia cólimus; à cunctis malis imminéntibus eius interceſſióne liberémur. Per Dóminum.

Ad hanc Miſſam non dicatur Collecta.

Concéde quæſumus, nec Collecta feriæ tertiæ primæ hebd. quadrag. ſed nec ad Miſſam ipſius iij. fer. dicatur preſens Collecta, ne pluries in eadem Miſſa dicatur eadem ſecreta.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccl[ci]. Cap. 31.

BEátus vir, qui inuéntus eſt ſine mácula: & qui poſt aurum non

ábiit, nec ſperáuit in pecúniæ theſaúris. Quis eſt hic & laudábimus eum? Fecit enim mirabília in vita ſua. Qui probátus eſt in illo, & perféctus inuéntus eſt: & erit illi glória ætérna. Qui pótuit tránſgredi, & non eſt tranſgréſſus: & fácere mala, & non fecit. Ideo ſtabilíta ſunt bona illíus in Dómino: & eleemóſynas illíus enarrábit: omnis Eccléſia Sanctórum.

℟. Beátus vir, qui timet Dóminum, in mandátis eius cupit nimis. ℣. Potens in terra erit ſemen eius, generátio rectórum benedicétur. Allelúia. ℣. Poſuíſti Dómine ſuper caput eius corónam de lápide pretióſo. allel.

Secúndum Matthǽum. Cap. 10.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Nolíte arbitrári: quia vénerim pacem míttere in terram. Non veni pacem míttere: ſed gládium. Veni enim ſeparáre hóminē aduérſus patrem ſuum, & fíliam aduérſus matrem ſuam, & nurum aduérſus ſocrum ſuam: & inimíci hóminis doméſtici eius. Qui amat patrem, aut matrem pluſquam me: non eſt me dignus. Et qui amat fílium, aut fíliam ſuper me: nō eſt me dignus. Et qui non áccipit crucem ſuam, & ſéquitur me: non eſt me dignus. Qui inuenit ánimā ſuam: perdet illam. Et qui perdíderit ánimam ſuam propter me: inuéniet eā. Qui récipit vos: me récipit. Et qui me récipit: récipit eum, qui me miſit. Qui récipit Prophétam in nómine Prophétæ: mercédem Prophétæ accípiet. Et qui récipit iuſtum in nómine iuſti: mercédem iuſti accípiet. Et quicúnque potum déderit vni ex mínimis iſtis cálicem aquæ frígidæ tantum in nómine diſcípuli: amen dico vobis: non perdet mercédem ſuam.

Offertorium. In virtúte tua, Dómine, lætábitur iuſtus: & ſuper ſalutáre tuum exultábit veheménter, deſidérium ánimæ eius tribuíſti ei. Secreta.

OBlátis, quǽſumus, Dómine placáre munéribus, & intercedénte beáto Valentíno mártyre tuo, à cunctis nos defénde perículis. Per Dóminum noſtrum.

Communio. Magna eſt glória eius in Salutári tuo: glóriam & magnum decórem impónes ſuper eum, Dómine.

Poſtcommunio.

SIt nobis, Dómine, reparátio mētis & córporis cœléſte myſtériū: vt, cuius exéquimur actiónem? ſentiámus effébum. Per Dóminum.

Eadem die SSS. Vitalis, Feliculæ & Zenonis Mart. Collecta.

DA, quǽſumus, omnípotens Deus: vt, qui beatórum mártyrum ſolémnia cólimus? eórū apud te interceſſiónibus adiuuémur. Per Dóminum. Secreta.

HOſtias tibi, Dómine, beatórū mártyrum dicátas méritis benígnus aſſúme, & ad perpétuū nobis tríbue prouenire ſubſídium. Per Dóminum. Poſtcommunio.

QVǽſumus, omnípotens Deus: vt, qui cœléſtia aliménta percépimus? intercedéntibus Sanctis tuis, per hæc contra ómnia aduérſa muniámur. Per Dóminum.

Iulianæ virginis & mart. Collecta.

INdulgéntiā nobis Dómine, beáta Iuliána martyr implóret: quæ tibi grata ſemper éxtitit, & mérito caſtitátis? & tuę profeſſióne virtútis. Per Dóminum. Secreta.

SVſcipe múnera, Dómine, quæ in beátæ Iuliánæ mártyris tuæ ſolemnitáte deférimus, cuius nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminum. Poſtcommunio.

AVxiliētur nobis, Dómine, ſumpta myſtéria? &, intercedénte beáta Iuliána mártyre tua, ſempitérna protectióne confírment. Per Dóminum noſtrum.

CATHEDRA S. PETRI.

Introitus.

STatuit ei Dóminus teſtaméntũ pacis: & príncipem fecit eũ, vt ſit illi ſacerdótij dígnitas in ætérnum.

Pſalmus. Miſericórdias Dómini: in ætérnum cantábo. Collecta.

DEus, qui Apóſtolo tuo Petro, collátis cláuibus regni cœléſtis, ligándi atque ſoluéndi pontifícium tradidíſti: concéde, vt interceſſiónis eius auxílio, à peccatórum noſtrórum néxibus liberémur. Qui viuis.

Léctio Epiſtolæ: beáti Petri Apóſtoli. 1. Cap. 1.

PEtrus Apóſtolus Iéſu Chriſti, eléctis áduenis diſperſiónis Ponti, Galátiæ, Cappadóciæ, A'ſiæ & Bithýniç, ſecúndum preſciéntiam Dei Patris in ſanctificatiónem Spíritus, in obediéntiam & aſperſiónem ſánguinis Iéſu Chriſti: grátia vobis & pax multiplicétur. Benedictus Deus & Pater Dómini noſtri Iéſu Chriſti: qui ſecúndum magnam miſericórdiam ſuam regeneráuit nos in ſpem vitæ, per reſurrectiónem Iéſu Chriſti ex mórtuis, in hæreditátẽ incorruptíbilem, & incontaminátam, & immarceſsíbilem conſeruátam in cœlis in vobis, qui in virtúte Dei cuſtodímini per fidem, in ſalútem parátã reuelári in témpore nouíſſimo, in quo exultábitis. Módicùm nunc ſi opórtet contriſtári in váriis tribulatiónibus, vt probátio fidei veſtræ, multo pretióſior ſit auro, quod per ignem probátur: inueniátur in laudem & glóriam & honórem, in reuelatióne Iéſu Chriſti: Dómini noſtri.

℞. Exáltent eum in Eccléſia plebis, & in cáthedra Seniórum laudent eum. ℣. Confiteántur Dómino miſericórdiæ eius, & mirabília eius fíliis hóminum. Tractus.

BEátus vir, qui timet Dóminum, in mandátis eius cupit nimis. ℣. Potẽs in terra erit ſemen eius, generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória & diuítiæ in domo eius: & iuſtítia eius manet in ſæculum ſæculi.

Secúndum Matthæum. Cap. 16.

IN illo témpore: Venit Iéſus in partes Cæſáreæ Philíppi: & interrogábat diſcípulos ſuos, dicens. Quem dicũt hómines eſſe Fílium hóminis? At illi dixérunt. A'lij Ioánnem Baptíſtam, álij autem Elíam, álij verò Ieremíam: aut vnum ex Prophétis. Dixit illis Iéſus. Vos autem quem me eſſe dícitis? Reſpóndens Simon Petrus: dixit. Tu es Chriſtus Fílius Dei viui. Reſpóndens autem Iéſus: dixit ei. Beátus es Simon Barjóna: quia caro & ſánguis non reueláuit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus: & ſuper hanc Petram ædificábo Eccléſiam meam. Et portæ ínferi: non præualébunt aduérſus eam. Et tibi dabo claues regni cœlórum. Et quodcúnque ligáueris ſuper terram: erit ligátum in cœlis. Et quodcúnque ſólueris ſuper terram: erit ſolútum in cœlis. Credo.

Offertorium. Véritas mea, & miſericórdia mea cum ipſo: & in nómine meo exaltábitur cornu eius. Secreta.

ECcléſiæ tuæ, quæſumus Dómine, preces & hóſtias beáti Petri Apóſtoli cõméndet orátio, vt, quod pro illius glória celebrámus, nobis proſit ad véniam. Per Dóminum.

Præfatio de Apoſtolis. pag. 184.

Communio. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificábo Eccléſiam meam.

Poſtcommunio.

LÆtíficet nos, Dómine, munus oblátum: vt ſicut in Apóſtolo tuo Petro te mirábilẽ prædicámus: ſic per illum tuæ ſumámus indulgéntiæ largitátem. Per Dóminum.

MATTHIÆ APOSTOLI.
Introitus.

MIhi autem nimis honoráti ſunt amíci tui Deus: nimis confortátus eſt principátus eórum. Pſalmus. Dómine probáſti me, & cognouíſti me: tu cognouíſti ſeſſiónem meam, & reſurrectiónem meam. Collecta

QVǽſumus, omnípotens Deus, vt beátus Matthías Apóſtolus tuum pro nobis implóret auxílium: vt à noſtris reátibus abſolúti, ſ à cunctis étiam perículis exuámur. Per Dóminum noſtrum.

Lectio Actuum Apoſtolorũ. Cap. 1.

IN diébus illis: Exúrgens Petrus in médio fratrum, dixit. (Erat autem turba hóminum ſimul: fere cẽtum vigínti.) Viri fratres: opórtet impléri ſcriptúram, quam prædíxit Spíritus Sanctus per os Dauid de Iuda, qui fuit dux eórum, qui comprehendérunt Iéſum, qui connumerátus erat in nobis, & ſortítus eſt ſortem miniſtérij huius. Et hic quidem poſſédit agrũ de mercéde iniquitátis: & ſuſpénſus crépuit médius, & diffúſa ſunt ómnia víſcera eius. Et notũ factum eſt ómnibus habitántibus in Ieruſalem: ita vt appellarétur ager ille lingua eórum Halcédema, hoc eſt, ager ſánguinis. Scriptũ eſt enim: in libro pſalmórum. Fiat commorátio eius deſérta, & non ſit qui inhábitet in ea: & Epiſcopátum eius accípiat alter. Opórtet ergo ex his viris, qui nobíſcum cõgregáti ſunt, in omni témpore, quo intráuit, & exíuit inter nos Dóminus Iéſus, incípiens à baptíſmate Ioánnis, vſque in diem, qua aſſúmptus eſt à nobis: teſtem reſurrectiónis eius nobíſcum fieri vnũ ex iſtis. Et ſtatuérunt duos: Ióſeph, qui vocabátur Bárſabas, qui cognominátus eſt Iuſtus, & Matthíam. Et orántes dixérunt. Tu Dómine, qui corda noſti ómniũ: oſténde, quem elégeris ex his duóbus vnum, accípere locum miniſtérij huius, & Apoſtolátus, de quo præuaricátus eſt Iúdas, vt abíret in locum ſuum. Et dedérunt ſortes eis. Et cécidit ſors ſuper Matthíam: & annumerátus eſt: cum vndecim Apóſtolis.

℟. Nimis honoráti ſunt amíci tui, Deus: nimis confortátus eſt principátus eórum.
℣. Dinumerábo eos, & ſuper arénam multiplicabúntur. Tractus.

DEſidérium ánimæ eius tribuíſti ei, & voluntáte labiórum eius non fraudáſti eum. ℣. Quóniam præueníſti eum in benedictiónibus dulcédinis. ℣. Poſuíſti in cápite eius corónam de lápide pretióſo.

Secúndum Ioánnem. Cap. 15.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Hoc eſt prçcéptũ meum vt diligátis ínuicem: ſicut diléxi vos. Maiórem hac dilectiónẽ nemo habet: vt ánimam ſuam quis ponat pro amícis ſuis. Vos amíci mei eſtis: ſi fecéritis, quæ ego præcípio vobis. Iam nõ dico vos ſeruos: quia ſeruus neſcit quid fáciat Dóminus eius. Vos autem dixi amícos: quia ómnia quęcúnque audíui à Patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegíſtis, ſed ego elégi vos, & póſui vos, vt eátis & fructum afferátis, & fructus veſter máneat: vt quodcúnque petiéritis Patrem in nómine meo: det vobis. Credo.

Offertorium. In omnem terram exíuit ſonus eórum: & in fines orbis terræ verba eórum. Secreta.

SAcrándum tibi, Dómine, munus offérim⁹, quo beáti Matthíæ ſolémnia recoléntes, purificatiónem quoque méntibus implorámus. Per.

Præfatio de Apoſtolis. pag. 184.

Communio Vos, qui ſecúti eſtis me, ſedébitis ſuper ſedes, iudicántes duódecim tribus

bus Iſráel. Poſtcommunio.

PErcéptis, Dómine, ſacraménris, ſupplíciter exorámus: vr inrercedénte beáro Matthía Apóſtolo tuo, quæ pro illíus veneránda gérimus paſſióne ‸ nobis proficiant ad medélam. Per Dóminum.

S. Albini Confeſſ. Pontificis. Collecta.

DA, quǽſumus, omnípotens Deus: vr, beári Albíni confeſſóris tui atque Pontíficis veneránda ſolémniras ‸ & deuoriónem nobis aúgeat, & ſalútem. Per Dóminum.

Secreta.

SAncti tui nos, quǽſumus, Dómine, vbíque læríficent, vt dum eórũ mérita recólimus, patrocínia ſentiámus. Per Dóminum.

Poſtcommunio.

PRæſta, quǽſumus, omníporens Deus: vt de percéptis munéribus grátias exhibénres ‸ beneficia potióra ſumámus. Per Dóminum.

De S. Thoma de Aquino omnia fiant ſicut de S. Antho. notatur. pag. 205.

S. GREGORII PAPÆ.

Introirus.

SAcerdótes Dei benedícite Dóminũ: Sancti & húmiles corde laudáre Deum. Pſalm. Benedícite ómnia ópera Dómini Dómino: laudáte, & ſuperexaltáte eum in ſǽcula.

Collecta.

DEus, qui ánimæ fámuli tui Gregórij ærérnæ beatirúdinis prǽmia contuliſti ‸ concéde propítius: vt, qui peccatórum noſtrórum póndere prémimur ‸ eius apud te précibus ſubleuémur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccl^ci c. 44.

ECce Sacérdos magnꝰ, qui in diébus ſuis plácuir Deo: & inuénrus eſt iuſtus. Et in rémpore iracúndiæ: factus eſt reconciliátio. Non eſt inuéntus ſímilis illi: qui conſeruáret legem Excélſi. I'deo iureiurándo: fecit illum Dóminus créſcere in plebẽ ſuam. Benedictiónẽ ómnium Géntium dedit illi: & teſtaménrum ſuũ confirmáuit ſuper capur eius. Cognóuit eũ in benedictiónibus ſuis: conſeruáuit illi miſericórdiã ſuam, & inuénit grátiã coram óculis Dómini. Magnificáuit eum in cõſpéctu Regũ: & dedit illi corónam glóriæ. Sráruit illi teſtaméntũ ſempirérnũ: & dedir illi Sacerdórium magnum, & beatificáuit illum in glória. Fungi Sacerdótio: & habére laudem in nómine ipſíus. Et offérre illi incénſum dignum: in odórem ſuauirátis.

℟. Iuráuit Dóminus, & non pœnitébit eũ, tu es Sacérdos in ætérnum ſecúndum órdinem Melchiſedech. ℣. Dixit Dóminus Dómino meo, ſede à dextris meis. Tractus.

BEátus vir, qui timet Dóminum, in mandátis eius cupit nimis. ℣. Potẽs in terra erit ſemen eius, generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória & diuítiæ in domo eius, & iuſtítia eius manet in ſǽculum ſǽculi.

Secúndum Matthǽum. Cap. 25.

IN illo témpore: Dixir Iéſus diſcípulis ſuis parábolam hãc. Homo quidam péregrè proficíſcens vocáuir ſeruos ſuos: & trádidit illis bona ſua. Er vni dedir quinque talénra: álij autem duo, álij verò vnum. Vnicuíque ſecúndum própriam virrútem: & profectus eſt ſtatim. A'biit autem, qui quinque raléntaaccéperat: & operátus eſt in eis, & lucrátus eſt ália quinque. Simílirer, qui duo accéperat: lucrátus eſt ália duo. Qui autem vnum accéperat: ábiens fodit in terram, & abſcóndit pecúniã Dómini ſui. Poſt multũ verò témporis: venit dóminus ſeruórum illórũ, & póſuit rariónem cum eis. Et accédẽs, qui quinque talénta accéperat: óbtulit ália quinque talénta, dicens. Dómine: quinque talénta tradidiſti

mihi: ecce ália quinque ſuperlucrátus ſum. Ait illi Dóminus eius. Euge ſerue bone & fidélis: quia ſuper pauca fuiſti fidélis, ſupra multa te conſtítuam. Intra in gaúdium Dómini tui. Accéſſit autem & qui duo talénta accéperat: & ait. Dómine: duo talénta tradidiſti mihi: ecce ália duo lucrátus ſum. Ait illi Dóminus eius. Euge ſerue bone & fidélis: quia ſuper pauca fuiſti fidélis, ſupra multa te conſtituam. Intra in gaúdium: Dómini tui.

Offertorium. Véritas mea, & miſericórdia mea cum ipſo, & in nómine meo exaltábitur cornu eius. Secreta.

A'Nnue nobis Dómine, vt méritis beáti Gregórij nobis fámulis tuis hæc proſit oblátio, quam immolándo totíus mundi tribuíſti relaxári delícta. Per Dóminum.

Communio. Fidélis ſeruus & prudẽs, quem conſtítuit Dóminus ſuper famíliam ſuam, vt det illis in témpore trítici menſúram.

Poſtcommunio.

DEus, qui beátum Gregórium Pontíficem Sanctórũ tuórum méritis coæquáſti: concéde propítius: vt, qui commemoratiónis eius feſta percólimus: vitæ quoque imitémur exémpla. Per Dóminum.

IOSEPH SPONSI VIRG. Mariæ. Introitus.

IVſtus vt palma florébit, ſicut Cedrus Líbani multiplicábitur, plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei noſtri. Pſalm. Bonum eſt confitéri Dómino: & pſállere nómini tuo Altíſſime. Collecta

SAnctíſſimæ genitrícis tuæ ſponſi, quæſumus Dómine, méritis adiuuémur: vt quod poſſibílitas noſtra non óbtinet, eius nobis interceſſióne donétur. Qui viuis & reg.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccl. c. 45.

DIléctus à Deo & homínibus: cuius memória in benedictióne eſt. Símilem illum fecit in glória ſanctórum: & magnificáuit eum in timóre inimicórum, & in verbis ſuis monſtra placáuit. Glorificáuit illum in conſpéctu Regum: & iuſſit illi coram pópulo ſuo, & oſténdit illi glóriam ſuam. In fide & lenitáte ipsíus ſanctum fecit illũ: & elégit eum ex omni carne. Audíuit enim vocem ipsíus: & indúxit illum in nubem. Et dedit illi cor ad præcépta & legem vitæ: & diſciplínæ.

℟. Dómine, præueniſti eum in benedictiónibus dulcédinis, poſuíſti in cápite eius corónam de lápide pretióſo. ℣. Vitam pétiit & tribuíſti ei, longitúdinem diérum in ſæculum ſæculi.

Si in quadrageſima. Tractus.

BEátus vir, qui timet Dóminum, in mandátis eius cupit nimis. ℣. Potens in terra erit ſemen eius, generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória & diuítiæ in domo eius, & iuſtítia eius manet in ſæculum ſæculi.

Si poſt Paſcha ſit primum. Allelúia.

℣. Amáuit eum Dóminus, & ornáuit eum: ſtola glóriæ índuit eum.

Secundum. Allelúia. ℣. Iuſtus germinábit ſicut lílium, & florébit in ætérnum ante Dóminum.

Secúndum Matthæum. Cap. 1.

IN illo témpore: Cùm eſſet deſpõſáta mater Ieſu María Ioſeph: ántequam conuenírent inuénta eſt in vtero hábens de Spíritu ſancto. Ioſeph autẽ vir eius, cum eſſet iuſtus, & nollet eam tradúcere: vóluit occúltè dimíttere eam. Hæc autem eo cogitánte: ecce A'ngelus Dómini in ſomnis appáruit ei dicens, Ioſeph fili Dauid: noli timére accípere Maríam cóniugem tuam. Quod enim in ea natum eſt: de Spíritu ſancto eſt. Páriet autem filium: & vocábis nomen eius Ieſum. Ipſe enim ſaluum

fáciet

fácier pópulum ſuũ: à peccátis eórũ

Offertorium. Véritas mea, & miſericórdia mea cum ipſo, & in nómine meo exaltábitur nu eius.

Secreta.

DEbitum tibi Dómine noſtræ réddimus ſeruitútis ſupplíciter exorántes, vt ſuffrágiis beáti Ióſeph ſpõſi genitrícis tui Iéſu Chriſti Dómini noſtri in nobis tua múnera tueátis ob cuius venerándam feſtiuitátem, laudis tibi hóſtias immolámus. Per eúndem Dóminum.

Communio. Ióſeph fili Dauid noli timére accípere Maríam cóniugem tuam quod enim in ea natum eſt de ſpíritu Sancto eſt.

Poſtcommunio.

ADéſto nobis quæſumus miſéricors Deus, vt intercedénte pro nobis beáto Ióſeph confeſſóre, tua circa nos propitiátus dona cuſtódi. Per Dóminum.

S Cuthberti Epiſc. & Confeſſ. Collecta.

DEus, qui cónſpicis quia ex nulla noſtra virtúte ſubsíſtimus: concéde propítius: vt interceſſióne beáti Cuthbérti confeſſóris tui atque Pontíficis contra ómnia aduérſa muniámur. Per Dóminum.

Secreta.

DA miſéricors Deus: vt hæc nos ſalutáris oblátio, & à própriis reátibus indeſinénter expédiat, & ab ómnibus tueátur aduérſis. Per.

Poſtcommunio.

PRæſta, quæſum' Dómine Deus noſter: vt quórũ feſtiuitáte votíua ſunt Sacraménta: eórũ ſalutária nobis interceſſióne reddántur. Per.

BENEDICTI ABBATIS.

Introitus.

OS iuſti meditábitur ſapiéntiam, & lingua eius loquétur iudíciũ: lex Dei eius in corde ipsíus, allelúia, allel. allel.

Pſalmus. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláueris faciéntes iniquitátem.

Collecta.

INterceſſio nos, quæſumus, Dómine, beáti (Benedícti) Abbátis commédet: vt, quod noſtris méritis non valémus: eius patrocínio aſſequámur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccl[a]. Cap. 45.

DIléctus à Deo & homínibus: cuius memória in benedictióne eſt. Símilem illum fecit in glória ſanctórum: & magnificáuit eum in timóre inimicórum, & in verbis ſuis monſtra placáuit. Glorificáuit illum in conſpéctu Regum: & iuſſit illi coram pópulo ſuo, & oſténdit illi glóriam ſuam. In fide & lenitáte ipsíus ſanctum fecit illũ: & elégit eum ex omni carne. Audíuit enim vocem ipsíus: & indúxit illum in nubem. Et dedit illi cor ad præcépta & legem vitæ: & diſciplínæ.

℟. Dómine, præueniſti eum in benedictiónibus dulcédinis, poſuíſti in cápite eius corónam de lápide pretióſo. ℣. Vitam pétiit & tribuíſti ei, longitúdinem diérum in ſæculum ſæculi.

Si in Quadrageſima. Tractus.

BEátus vir, qui timet Dóminum, in mandátis eius cupit nimis. ℣. Potens in terra erit ſemen eius, generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória & diuítiæ in domo eius, & iuſtítia eius manet in ſæculum ſæculi.

Si poſt Paſcha. Allelúia. ℣. Iuſtus germinábit ſicut lílium, & florébit in ætérnum ante Dóminum.

In feſto S. Roberti ſecundũ Allelúia. ℣. Póſui adiutórium ſuper poténtem & exaltáui eléctum de plebe mea. Allelúia.

Secúndum Matthæum: Cap. 19.

IN illo témpore. Dixit Simon Petrus ad Iéſũ. Ecce nos relíquimus omnia & ſecúti ſumus te. Quid ergo erit nobis? Iéſus autẽ dixit illis. Amen dico vobis: quòd vos, qui ſecúti eſtis me, in regeneratióne cùm ſéderit Fílius hóminis in ſede maieſtátis ſuæ, ſedébitis & vos ſuper ſedes duóde-

cim iudicántes duódecim Tribus Iſráel. Et omnis, qui relíquerit domũ, vel fratres, aut ſoróres, aut patrem, aut matrem, aut vxórem, aut filios, aut agros, propter nomen meum: céntuplum accípiet: & vitam ætérnam poſſidébit. Credo.

Offertorium. Deſidérium ánimæ eius tribuíſti ei Dómine, & voluntáte labiórum eius non fraudáſti eum, poſuíſti in cápite eius coronã de lápide pretióſo, allelúia.

Secreta.

SAcris altáribus, Dómine, hóſtias ſuperpóſitas Sãctus (Benedíctus) quæſumus, in ſalútem nobis prouenire depóſcat. Per Dóminum.

Communio. Amen dico vobis: quòd vos, qui reliquíſtis ómnia, & ſecúti eſtis me, céntuplum accipiétis, & vitam ætérnam poſſidébitis, allelúia.

Poſtcommunio.

PRótegat nos, Dómine, cum tui perceptióne ſacraménti beátus (Benedíctus) Abbas pro nobis intercedéndo: vt conuerſatiónis eius experiámur inſígnia. Per Dóminum.

IN ANNVNTIATIONE beatæ Mariæ. Et in eius veneratione per Aduentum.

Introitus

ROráte cœli déſuper, & nubes pluant iuſtum, aperiátur terra & gérminet Saluatórem, allelúia, allelúia.

Pſalmus. Et iuſtítia oriátur ſimul: ego Dóminus creáui eum. Collecta. quæ tantum dicitur in Annuntiatione.

DEus, qui (hodiérna die) Verbũ tuum beatæ vírginis aluo coadunáre voluiſti: fac nos ita perágere: vt tibi placére valeámus. Per eundẽ.

Si hoc feſtum celebretur poſt calẽdas Aprilis: non dicatur in collecta (hodiérna die)

Collecta, quæ dicitur per Aduentum.

DEus qui de beatæ Maríæ vírginis útero Verbum tuũ Angelo nuntiánte carnẽ ſuſcípere voluíſti: præſta ſupplícibus tuis: vt qui verè eam Dei genitrícem crédimus: eius apud te interceſſiónibus adiuuémur. Per eúndem.

Lectio Iſaíæ Prophétæ. Cap. 11.

HÆc dicit Dóminus Deus. Egrediétur virga de radíce Ieſſe: & flos de radíce ei⁹ aſcéndet. Et requiéſcet ſuper eũ Spíritus Dómini: Spíritus ſapiéntiæ & intelléctus, Spíritus consílij, & fortitúdinis, Spíritus ſciéntiæ & pietátis, & replébit eum Spíritus timóris Dómini. Non ſecúndum viſiónem oculórum iudicábit, neque ſecúndum audítum aúrium árguet: ſed iudicábit in iuſtítia paúperes, & árguet in æquitáte pro mãſuétis terræ. Et percútiet terram virga oris ſui: & ſpíritu labiórum ſuórum interfíciet ímpium Et erit iuſtítia cíngulum lumbórum eius: & fides: cinctórium renum eius.

℟. Tóllite portas príncipes veſtras, & eleuámini portæ æternáles, & introíbit Rex glóriæ. ℣. Quis aſcéndet in montem Dómini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius ínnocens mánibus, & mundo corde.

Si in xl. Tractus.

AVe María grátia plena, Dóminus tecum. ℣. Benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui. ℣. Spíritus Sanctus ſuperuéniet in te, & virtus Altíſſimi obumbrábit tibi. ℣. Ideóque quod naſcétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei.

Si celebretur feria v. aut vj. poſt Paſcha cum reſp. dicitur vnicum Allelúia (quod etiam per Aduentum dicitur) in Miſſa de eadem B. Maria. ſcilicet Allelúia. ℣. Virga Iéſſe flóruit, virgo Deum & hóminem génuit, pacem Deus réddidit in ſe reconcílians ima ſummis, allelúia.

Si vero Sabbato poſt Paſcha celebretur: non dicitur ℟. Tóllite. ſed eius loco primum Allelúia. erit. Poſt partum virgo inuioláta permanſiſti: Dei génitrix intercéde pro nobis. Et ſecundum Allelúia. erit Virga Iéſſe. vt ſupra.

Secúndum Lucam. Cap. 1.

IN illo témpore. Miſſus eſt A'ngelus Gábriel à Deo in ciuitátem Galilǽæ, cui nomen Názareth ad vírginem deſponſátam viro, cui nomen erat Ióſeph de domo Dauid: & nomen vírginis María Et ingréſſus A'ngelus ad eam: dixit. Aue grátia plena: Dóminus tecū. Benedícta tu in muliéribus. Quæ, cum audíſſet, turbáta eſt in ſermóne ei': & cogitábat qualis eſſet iſta ſalutátio. Et ait A'ngelus ei. Ne tímeas María: inueníſti enim grátiam apud Deum. Ecce concípies in vtero & páries Fílium: & vocábis nomen eius Ieſum. Hic erit magnus: & Fílius Altíſſimi vocábitur. Et dabit illi Dóminus Deus ſedem Dauid Patris eius: & regnábit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Dixit autem María ad A'ngelum. Quómodo fiet iſtud, quóniā virum nō cognóſco? Et reſpóndens A'ngelus: dixit ei Spíritus ſanctus ſuperuéniet in te: & virtus Altíſſimi obumbrábit tibi. Ideóque & quod naſcétur ex te ſanctū: vocábitur Fílius Dei. Et ecce Elízabeth cognáta tua: & ipſa concépit filium in ſenectúte ſua. Et hic menſis eſt ſextus illi, quæ vocátur ſtérilis: quia non erit impoſſíbile apud Deum omne verbum. Dixit autē María. Ecce ancílla Dómini. Fiat mihi: ſecúndum verbum tuum. Credo.

Offertorium. Aue María grátia plena Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui, allelúia.

Secreta.

IN méntibus noſtris, Dómine, veræ fídei ſacraménta confirma, vt, qui concéptum de vírgine Deū verum, & hóminem confitémur, per eius ſalutíferæ reſurrectiónis poténtiam, ad ætérnam mereámur peruenire lætítiam. Per eúndem.

Præfatio. Et te in Annuntiatióne.

In Aduentu vero. Et te in veneratióne.

Communio. Ecce virgo concípiet, & páriet filium, & vocábitur nomen eius Emmánuel. allelúia, allelúia.

Poſtcommunio.

GRátiam tuam, Dómine, méntibus noſtris infúnde: vt qui A'ngelo nuntiánte, Chriſti Filij tui incarnatiónem cognóuimus? per paſſiónem eius & crucem, ad reſurrectiónis glóriam perducámur. Per eúndem.

De S Franciſco de Paula Confeſſ. fiat vt de S. Antonio. pag. 205.

S. AMBROSII EPISCOPI & Confeſſ. Introitus.



STátuit ei Dóminus teſtaméntū pacis: & príncipem fecit eū, vt ſit illi ſacerdótij dígnitas in ætérnum, allelúia.

Pſalmus. Miſericórdias Dómini: in ætérnum cantábo.

Collecta.

DEus, qui cónſpicis quia ex nulla noſtra virtúte ſubsíſtimus? concéde propítius, vt interceſſióne beáti Ambróſij confeſſóris tui atque Pontíficis, contra ómnia aduérſa muniámur. Per.

Lectio libri Sapiéntiæ. Eccl[di]. C. 44.

ECce Sacérdos magnus qui in diebus ſuis plácuit Deo: & inuéntus eſt iuſtus. Et in témpore iracúndiæ: factus eſt reconciliátio. Non eſt inuéntus símilis illi: qui conſeruáret legē excélſi. I'deo iureiurándo: fecit illū Dóminus créſcere in plebem ſuam. Benedictiónē ómnium Géntiū dedit illi: & teſtaméntum ſuum confirmáuit ſuper caput eius. Cognóuit eum in benedictiónibus ſuis: cōſeruáuit illi miſericórdiam ſuam, & inuénit grátiam coram óculis Dómini. Magnificáuit eum in cōſpéctu Regum: & dedit illi corónam gló-

riæ. Státuit illi teſtaméntum ſempitérnũ: & dedit illi ſacerdótium magnum & beatificáuit illum in glória. Fungi ſacerdótio: & habére laudem in nómine ipsíus. Et offérre illi incénſum dignum: in odórem ſuauitátis.

℟. Ecce Sacérdos magnus, qui in diébus ſuis plácuit Deo. ℣. Non eſt inuéntus ſimilis illi, qui conſeruáret legem Excélſi.

Si in xl. Tractus. Beátus vir, vt in ſancto Benedicto. Si poſt Paſcha non dicitur prædictum ℟. ſed dicitur Allelúia.

℣. Inuéni Dauid ſeruum meum óleo ſancto meo vnxi eum. Allelúia. ℣ Póſui adiutóriũ ſuper poténtem, & exaltáui eléctum de plebe mea. Allelúia. Si tamen celebretur v. vel vj. feria intra octa. Paſchæ dicitur. ℟. Ecce ſacérdos. vt ſupra cum ſolo Allelúia. Inuéni Dauid.

Secúndum Matthǽum. Cap. 24.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Vigiláte: quia neſcítis qua hora Dóminus veſter ventúrus ſit. Illud autem ſcitóte: quóniam ſi ſciret paterfamílias qua hora fur vẽtúrus eſſet, vigiláret vtique, & non síneret pérfodi domum ſuam. Ideo & vos eſtóte paráti: quia qua neſcítis hora Fílius hóminis ventúrus eſt. Quis putas eſt fidélis ſeruus & prudens, quẽ conſtítuit Dóminus ſuus ſuper famíliam ſuam, vt det illis cibum in témpore? Beátus ille ſeruus: quem cùm vénerit Dóminus eius, inuénerit ſic faciéntem. Amen dico vobis: quóniam ſuper ómnia bona ſua: conſtítuet eum.

Offertorium. Véritas mea & miſericórdia cum ipſo, & in nómine meo exaltábitur cornu eius, allelúia. Secreta.

DA miſéricors Deus, vt hæc nos ſalutáris oblátio, & à própriis reátibus indeſinénter expédiat, & ab ómnibus tueátur aduérſis. Per.

Communio. Fidélis ſeruus & prudẽs, quem conſtítuit Dóminus ſuper famíliam ſuam, vt det illis in témpore trítici menſúram, allelúia, allelúia. Poſtcommunio.

PRæſta, quǽſumus, Dómine Deus noſter: vt, quorum feſtiuitáte votíua ſunt ſacraménta, eórum ſalutária nobis interceſſióne reddántur. Per Dóminum.

SSS. TYBVRTII VALER. & Maxi. Introitus.

SAncti tui Dómine benedícẽt te, glóriã regni tui dicent, allelúia. Pſalmus. Exaltábo te Deus meus Rex: & benedicã nómini tuo in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.

Collecta.

PRæſta quǽſumus, omnípotens Deus: vt, qui Sanctórum tuórũ Tybúrtij, Valeriáni, & Máximi, ſolémnia cólimus, eórum étiam virtútes imitémur. Per.

Lectio libri Sapiéntiæ. Cap. 5.

IVſti in perpétuum viuent: & apud Dóminum eſt merces eórum, & cogitátio eórum apud Altíſſimum. Ideo accípient regnum decóris, & diadéma ſpeciéi de manu Dómini: quóniam déxtera ſua teget eos, & bráchio ſuo deféndet illos. Accípiẽt armatúrã zeli illíus: & armábit creatúram ad vltiónem inimicórum. Induent pro thoráce iuſtítiam: & accípiẽt pro gálea iudícium certum. Sument ſcutum inexpugnábile æquitátem: ibunt diréctæ promiſſiónes. Et ad certum locum dedúcet illos: Dóminus Deus noſter.

℟. Iuſtórum ánimæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos torméntũ malitiæ. ℣. Viſi ſunt óculis inſipiéntium mori, illi autem ſunt in pace.

Iſtud reſponſorium non dicitur, niſi priuata Miſſa celebretur ante Sab. hebd. Paſchæ

Allelúia. ℣. Mirábilis Dóminus noſter in Sanctis ſuis. Allelúia.

Secúndum Matthæum. Cap.10.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Ecce ego mitto vos: ſicut oues in médio lupórum. Eſtóte ergo prudéntes ſicut ſerpéntes: & símplices ſicut colúmbę. Cauéte autem ab homínibus. Tradent enim vos in Concíliis: & in Synagógis ſuis flagellábunt vos. Et ad Præſides & ad Reges ducémini propter me: in teſtimónium illis & Géntibus. Cùm autem tradent vos: nolíte cogitáre quómodo, aut quid loquámini. Dábitur enim vobis in illa hora: quid loquámini. Non enim vos eſtis, qui loquímini: ſed Spíritus Patris veſtri, qui lóquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem: & pater fílium. Et inſúrgent filij in paréntes: & morte eos affícient. Et éritis ódio ómnibus: propter nomen meum. Qui autem perſeueráuerit vſque in finem: hic ſaluus erit.

Offert. Lætámini in Dño, & exultáte iuſti, & gloriámini oés recti corde, allel. Secreta.

HOſtia hæc, quæſumus, Dómine, quam in Sanctorũ tuórum natalítiis recenſéntes offérimus, & víncula noſtræ prauitátis abſóluat, & tuæ nobis miſericórdiæ dona cõcíliet. Per Dóminum.

Cõmunio. Gaudéte iuſti in Dómino, allelúia, rectos decet collaudátio. allel. Poſtcõ.

SAcro múnere ſatiáti, ſúpplices te, Dómine, deprecámur: vt, quod débitæ ſeruitútis celebrámus officio † ſalutiónis tuæ ſentiámus augméntum. Per Dóminum.

GEORGII MARTYRIS.

Introitus.

PRotexíſti me Deus, à conuéntu malignántium, allelúia: à multitúdine operántiũ iniquitátẽ, allelúia, allelúia.

Pſalm. Exáudi Deus oratiónem meam cùm déprecor: à timóre, inimíci éripe ánimam meam. Collecta.

DEus, qui nos beáti Geórgij mártyris tui méritis & interceſſióne lætíficas † concéde propítius: vt, qui eius beneficia póſcimus † dona tuæ grátiæ conſequámur. Per Dóminum noſtrum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccl[ci] Cap. 31.

BEátus vir, qui inuéntus eſt ſine mácula: & qui poſt aurum non ábiit, nec ſperáuit in pecúniæ theſaúris. Quis eſt hic, & laudábimus eum? Fecit enim mirabília in vita ſua. Qui probátus eſt in illo, & perféctus inuéntus eſt: & erit illi glória ætérna. Qui pótuit tránſgredi † & nõ eſt tranſgréſſus: & fácere mala, & non fecit. Ideo ſtabilíta ſunt bona illíus in Dómino: & eleemóſynas illíus enarrábit: omnis Eccléſia Sanctórum.

Allelúia. ℣ Iuſtus vt palma florébit, & ſicut Cedrus multiplicábitur. Allelúia.

Secúndum Lucam. Cap. 9.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Si quis vult poſt me veníre: ábneget ſemetípſum, & tollat crucem ſuam quotídie, & ſequátur me. Qui enim volúerit ánimã ſuam ſaluam fácere: perdet illam. Nam qui perdíderit ánimã ſuam propter me: ſaluam fáciet illam. Quid enim próficit homo, ſi lucrétur vniuérſum mundum, ſe autem ipſum perdat, & detriméntum ſui fáciat? Nam qui me erubúerit, & meos ſermónes: hunc fílius hóminis erubéſcet, cùm vénerit in maieſtáte ſua, & Patris, & ſanctórum Angelórum. Dico autẽ vobis: verè ſunt áliqui hìc ſtantes, qui non guſtábunt mortem: donec videant regnum Dei.

Offertorium. Cõfitebúntur cœli mirabília tua Dómine: & veritátem tuam in Eccléſia Sanctórum, allelúia, allelúia.

Digitized by Google

Secreta.

MV'nera, Dómine, obláta ſanctífica,&, intercedénte beáto Geórgio mártyre tuo, nos à peccatórum noſtrórum máculis emúnda. Per Dóminum noſtrum.

Communio. Lætábitur iuſtus in Dómino, & ſperábit in eo: & laudabúntur omnes recti corde, allelúia, allel. Poſtcommunio.

SV'pplices te rogámus omnípotens Deus: vt, quos tuis réficis Sacraméntis; intercedénte beáto Geórgio mártyre tuo, tibi étiã plácitis móribus dignánter tribuas deſeruíre. Per Dóminum.

S. MARCI EVANGELISTÆ.

Introitus.

IN médio Eccléſiæ apéruit os eius: & impléuit eum Dóminus ſpíritu ſapiéntię, & intelléct⁹, ſtola glóriæ índuit eum, allelúia, allelúia, allelúia.

Pſalmus. Iucunditátem & exultatiónem: theſaurizáuit ſuper eum. Collecta.

ECcléſiam tuam, Dómine, benígnus illúſtra: vt beáti Marci Euãgeliſtæ illumináta doctrinis; ad dona peruéniat ſempitérna. Per Dómi.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccl^{ci.} Cap. 15.

QVi timet Deum: fáciet bona. Et qui cóntinẽs eſt iuſtítiæ apprehéndet illã: & obuiábit illi quaſi mater honorificáta. Cibáuit illum pane vitæ & intelléctus: & aqua ſapiéntiæ ſalutáris potáuit illũ. Et firmábitur in illo & non flectétur: & continébit illum & non confundétur, & exaltábit illum apud próximos ſuos. In médio Eccléſiæ apéruit os eius: & impléuit eum Dóminus ſpíritu ſapiéntiæ, & intelléctus, & ſtola glóriæ índuit eum. Iucunditátem & exultatiónem: theſaurizáuit ſuper eum. Et nómine ætérno hæreditábit illũ: Dóminus Deus noſter.

℟. Os iuſti meditábitur ſapiéntiam, & lingua eius loquétur iudíciũ. ℣. Lex Dei eius in corde ipsíus, & non ſupplãtabúntur greſſus eius. Allelúia. ℣. Primus ad Sion dicet: ecce adſum, & Ierúſalem Euangelíſtam dabo. Allelúia. ℣. Non vos me elegíſtis, ſed ego elégi vos, & póſui vos: vt eátis, & fructũ afferátis, & fructus veſter máneat. Allelúia.

Si v. vel vj. feria Paſchæ euenerit: dicetur ℟. cum primo Allelúia, tantum. Si deinceps: obmittitur ℟. & dicũtur duo Allelúia cum verſiculis.

Secúndum Ioánnem. Cap. 15.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Ego ſum vitis vera: & Pater meus agrícola eſt. Omnẽ pálmitem in me nõ feréntem fructum tollet eum: & omnem, qui fert fructum purgábit eum, vt fructũ plus áfferat. Iam vos mundi eſtis: propter ſermónem, quem locútus ſum vobis. Manéte in me: & ego in vobis. Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi mánſerit in vite: ſic nec vos niſi in me manſéritis. Ego ſum vitis: & vos pálmites. Qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum: quia ſine me nihil potéſtis fácere. Si quis in me non mánſerit: mittétur foras ſicut palmes, & aréſcet, & cólligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Si manſéritis in me & verba mea in vobis mánſerint: quodcúnque voluéritis petétis, & fiet vobis. In hoc clarificátus eſt Pater meus: vt fructum plúrimum afferátis, & efficiámini mei diſcípuli. Sicut diléxit me Pater: & ego diléxi vos. Manéte in dilectióne mea. Si præcépta mea ſeruauéritis, manébitis in dilectióne mea: ſicut & ego Patris mei præcépta ſeruáui, & máneo in eius dilectióne. Hæc locútus ſum vobis: vt gaúdiũ meum in vobis ſit: & gaúdium veſtrum impleátur. Credo.

Offertorium. Repléti ſumus manè miſericórdia tua: & exultáuimus, & delectáti ſumus, allelúia. Secreta.

SVſcipe múnera Dómine, quæ in eius tibi ſolemnitáte deférimus, cuius nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminum.

Non dicitur Præfatio de Apoſtolis.

Communio. Ego ſum vitis vera, & vos pálmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, allelúia.

Poſtcommunio.

REfécti cibo, potúque cœléſti, Deus noſter, te ſúpplices deprecámur: vt, in cuius hæc cõmemoratióne percépimusꝫ eius muniámur & précibus. Per Dóminum.

S. VITALIS MARTYRIS.

Introitus.

PRotexíſti me Deus à conuéntu malignántiũ, allelúia: à multitúdine operántium iniquitátẽ, allelúia, allelúia. Pſalm. Exaúdi Deꝰ oratiónem meam cùm déprecor: à timóre inimíci éripe ánimam meam. Collecta.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus: vt, intercedénte beáto Vitále mártyre tuo, & à cunctis aduerſitátibus liberémur in córporeꝫ & à prauis cogitatiónibus emundémur in mente. Per Dóminum.

Lectio libri Sapiéntiæ.

Eccl^ci. Cap. 14.

BEátus vir, qui in ſapiéntia morábitur, & qui in iuſtítia meditábitur: & in ſenſu cogitábit circum-
cap. 15. ſpectiónem Dei. Cibáuit illum pane vitæ & intelléctus: & aqua ſapiéntiæ ſalutáris potábit illum. Et firmábitur in illo & non flectétur, & continébit illum, & non confundétur: & exaltábit illũ, apud próximos ſuos. Et nómine ætérno hæreditábit illum: Dóminus Deus noſter.

Allelúia. ℣ Iuſtus nòn conturbábitur, quia Dóminus firmat manum eius. Allelúia.

Euãgel. Ego ſum vitis. vt in Miſſa præce

Offertorium. Repléti ſumus manè miſericórdia tua: & exultáuimus, & delectári ſumus, allelúia. Secreta.

ACcépta ſit in conſpéctu tuo, Dómine, noſtra deuótio, & eius nobis fiat ſupplicatióne ſalutáris, pro cuius ſolemnitáte deféertur. Per Dóminum noſtrum.

Communio. Ego ſum vitis vera, & vos pálmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, allelúia. Poſtcommunio

REfécti participatióne múneris ſacri, quæſumus, Dómine Deus noſter: vt cuius exéquimur cultumꝫ ſentiámus effféctum. Per Dóminum.

In die S. Roberti I. Abbatis Ciſtercij prima Miſſa ſit de S. Hugone. Os iuſti, &c. vt de S. Antonio pag. 205. ij. vero Miſſa ſit de ipſo S. Roberto vt de S. Benedicto pag. 221.

De S. Petro mart. fiat vt notatur in die S. Thomæ mart. pag. 200.

SS. APOSTOLORVM Philippi & Iacobi.

Introitus.

EXclamauérunt ad te Dómine, in témpore afflictiónis ſuæ, & tu de cœlo exaudíſti eos, allelúia, allelúia. Pſalmus. Exultáte iuſti in Dómino: rectos decet collaudátio.

Collecta.

DEus, qui nos ánnua Apoſtolórum tuórum Philippi & Iacóbi ſolemnitáte lętificasꝫ præſta, quæſumus: vt, quorum gaudémus méritisꝫ inſtruámur exémplis. Per Dómi.

Lectio Actuum Apoſtolórum.

Cap. 5.

IN diébus illis: Exúrgens Princeps Sacerdótum Annas, & omnes,

qui cum illo erant, quæ eſt hǽreſis Saducæórum, repléti ſunt zelo: & iniecérunt manus in Apóſtolos, & poſuérunt eos in cuſtódia pública. A'ngelus autē Dómini per noctem apériens iánuas cárceris, & edúcens eos dixit. Ite: & ſtantes loquímini in templo plebi, ómnia verba vitæ huius. Qui cùm audíſſent: intrauérunt dilúculò in templum: & docébant.

Allelúia. ℣. Stabunt iuſti in magna cōſtántia aduérſus eos, qui ſe anguſtiauérunt.

Allelúia. ℣. Iſti ſunt duæ olíuæ, & duo cādelábra lucéntia ante Dóminum, habent poteſtátē claúdere cœlum nubíbus, & aperíre portas eius: quia linguæ eórum claues cœli factæ ſunt. allelúia.

Secúndum Ioánnem. Cap. 14.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Non turbétur cor veſtrum. Créditis in Deum: & in me crédite. In domo Patris mei: manſiónes multæ ſunt. Si quò minus dixíſſem vobis: quia vado paráre vobis locum. Et ſi abíero & præparáuero vobis locum: íterum véniam, & accípiam vos ad meípſum, vt vbi ſum ego, & vos ſitis. Et quò ego vado ſcitis: & viā ſcitis. Dicit ei Thomas. Dómine: neſcímus quò vadis. Et quómodo póſſumus viam ſcire? Dicit ei Iéſus. Ego ſum via: & véritas, & vita. Nemo venit ad Patrem: niſi per me. Si cognouiſſétis me, & Patrem meū vtique cognouiſſétis: & ámodo cognoſcétis eum, & vidiſtis eum. Dicit ei Philíppus. Dómine: oſténde nobis Patrem: & ſúfficit nobis. Dicit ei Iéſus. Tanto témpore vobíſcum ſum, & non cognouiſtis me? Philíppe: qui videt me: videt & Patrem. Quómodo tu dicis, oſténde nobis Patrem? Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt? Verba, quæ ego loquor vobis: à meípſo non loquor. Pater autem in me manēs: ipſe facit ópera. Non créditis quia ego in Patre, & Pater in me eſt? Alióquin: propter ipſa ópera crédite. Amen amen dico vobis: qui credit in me, ópera quæ ego fácio, & ipſe fáciet. Et maióra horum fáciet: quia ego ad Patrem vado. Et quodcúnque petiéritis Patrē in nómine meo hoc fáciā: vt glorificétur, Pater in Filio. Si quid petiéritis me in nómine meo: hoc fáciam. Credo.

Offertorium. Confitebúntur cœli mirabília tua Dómine, & veritátem tuam in Eccléſia Sanctórum. allelúia, allelúia.

Secreta.

MV'nera, Dómine, quæ pro Apoſtolórum tuórum Philíppi & Iacóbi ſolemnitāte deférimus, propítius ſúſcipe, & mala ómnia, quæ merémur, auérte. Per Dóminū.

Præfatio. Te Dñe ſupplíciter. pag. 184.

Communio. Tanto témpore vobíſcū ſum, & non cognouíſtis me, Philíppe, qui videt me, videt & Patrem, allelúia, nō credis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt, allelúia, allelúia.

Poſtcommunio.

QVæſumus, Dómine, ſalutáribus repléti myſtériis: vt quorū ſolémnia celebrámus? eórū oratiónibus adiuuémur. Per Dóminum.

IN INVENTIONE S. CRVCIS.

1. Miſſa de SSS. Alexandro Euentio, & Theodulo mart.

Introitus.

Clamauérunt iuſti, & Dóminus exaudíuit eos: & ex ómnibus tribulatiónibus eórū liberáuit eos, allelúia.

Pſalmus. Benedícam Dóminum in omni témpore: ſemper laus eius in ore meo.

Collecta.

PRæſta, quǽſumus, omnípotens Deus: vt, qui Sāctórum tuórum Alexándri, Euéntij, & Theóduli natalítia cólimus? à cunctis malis imminéntibus

minéntibus eórum intercеſſiónibus liberémur. Per Dóminum.

Lectio libri Sapientiæ. Cap. 5.

STabunt iuſti in magna conſtántia aduérſus eos, qui ſe anguſtiauérunt: & qui abſtulérunt labóres eórum. Vidéntes turbabúntur timóre horríbili: & mirabúntur in ſubitatióne inſperátæ ſalútis, dicéntes intra ſe, pœniténtiam agéntes, & præ anguſtia ſpíritus geméntes. Hi ſunt, quos aliquándo habúimus in deríſum: & in ſimilitúdinem impropérij. Nos inſenſáti vitam illórum æſtimabámus inſániam: & finem illórum ſine honóre. Ecce quómodo computári ſunt inter filios Dei: & inter Sanctos, ſors illórum eſt.

Allelúia. ℣ Exultabunt Sancti in glória, lætabúntur in cubílibus ſuis, allelúia.

Secúndum Lucam. Cap. 21.

IN illo témpore: Dixit Ieſus diſcípulis ſuis. Cùm audiéritis prælia, & ſeditiónes: nolíte terréri. Opórtet primùm hæc fieri: ſed nondum ſtatim finis. Tunc dicébat illis. Surget gens cõtra gentem & regnũ aduérſus regnum: & terræmotus magni erunt per loca, & peſtiléntiæ & fames, terroréſque de cœlo, & ſigna magna erunt. Sed ante hæc ómnia, inícient vobis manus ſuas, & perſequéntur: tradéntes in Synagógas, & cuſtódias, trahéntes ad Reges & præſides, propter nomen meum. Contínget autem vobis in teſtimónium. Pónite ergo in córdibus veſtris: non præmeditári quemádmodũ reſpondeáris. Ego enim dabo vobis os, & ſapiéntiam: cui non póterunt reſiſtere, & contradícere omnes aduerſárij veſtri. Tradémini autem à paréntibus, & frátribus, & cognátis & amícis: & morte afficient ex vobis. Et éritis ódio ómnibus: propter nomen meum. Et capillus de cápite veſtro non períbit. In patiéntia veſtra: poſſidébitis ánimas veſtras.

Offertorium. Repléti ſumus manè miſericórdia tua, & exultáuimus, & delectáti ſumus, allelúia.

Secreta.

SVper has, quæſumus Dómine, hóſtias benedíctio copióſa deſcéndat, quæ & ſanctificatiónem nobis cleménter operétur, & de mártyrum nos ſolemnitáte lætíficet. Per Dóminum.

Communio. Iuſtórum ánimæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos torméntum malítiæ: viſi ſunt óculis inſipiéntium mori, illi autem ſunt in pace, allelúia, allelúia.

Poſtcommunio.

REfécti participatióne múneris ſacri, quæſumus, Dómine Deus noſter: vt, cuius exéquimur cultum, ſentiámus effectum. Per Dóminum noſtrum.

SECVNDA MISSA DE S. Cruce. Introitus.

NOs autẽ gloriári opórtet in cruce Dómini noſtri Ieſu Chriſti, in quo eſt ſalus, vita & reſurréctio noſtra, per quem ſaluáti, & liberáti ſumus, allelúia, allelúia.

Pſalmus. Deus miſereátur noſtri, & benedícat nobis: illúminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereátur noſtri.

Collecta.

DEus, qui in præclára ſalutíferæ crucis inuentióne paſſiónis tuæ miráculа ſuſcitáſti: concéde, vt vitális ligni prétio, ætérnæ vitæ ſuffrágia conſequámur. Qui viuis.

Ad Galatas. Cap. 5.

FRatres. Confido de vobis in Dómino: quòd nihil áliud ſapiétis. Qui autem contúrbat vos: portábit iudícium, quicúnque eſt ille. Ego autem, fratres, ſi circuncisiónẽ adhuc prædico: quid adhuc perſecutiónẽ pátior? Ergo euacuátum eſt ſcán-

dalum crucis? V'tinam & abſcindántur: qui vos contúrbant. Vos autem in libertátem vocáti eſtis, fratres: tantum ne libertátem in occaſiónem detis carnis, ſed per charitátem ſeruíte ínuicem. Omnis enim lex in vno ſermóne implétur: díliges próximum tuum, ſicut teípſum. Quòd ſi ínuicem mordétis & coméditis: vidéte, ne ab ínuicem conſummámini. Quicúnque enim volunt placére in carne, hi cogunt vos circuncídi: tantùm vt crucis Chriſti perſecutiónem non patiántur. Neque enim qui circuncidúntur legem cuſtódiunt: ſed volunt vos circuncídi, vt in carne veſtra gloriéntur. Mihi autem abſit gloriári, niſi in cruce Dómini noſtri Ieſu Chriſti: per quem mihi mundus crucifíxus eſt: & ego mundo.

Allelúia. ℣. Dícite in Géntibus: quia Dóminus regnáuit à ligno.

Allelúia. ℣. Dulce lignum, dulces clauos, dúlcia ferens póndera, quæ ſola fuíſti digna ſuſtinére Regem cœlórum & Dóminum, allelúia.

Secúndum Ioánnem. Cap. 3.

IN illo tempore: Erat homo ex Phariſæis Nicodémus nómine: princeps Iudæórum. Hic venit ad Ieſum nocte: & dixit ei. Rabbi: ſcimus quia à Deo veníſti magíſter. Nemo enim poteſt hæc ſigna fácere, quæ tu facis: niſi fúerit Deus cum eo. Reſpóndit Ieſus: & dixit ei. Amen amen dico tibi: niſi quis natus fúerit dénuò, non poteſt vidére regnum Dei. Dicit ad eum Nicodémus. Quómodo poteſt homo naſci cùm ſit ſenex? Nunquid poteſt in ventrem matris ſuæ iteràtò introíre, & naſci? Reſpóndit Ieſus. Amen amen dico tibi: niſi quis renátus fúerit ex aqua & Spíritu, non poteſt introíre in regnum Dei. Quod natū eſt ex carne: caro eſt. Et quod natum eſt ex ſpíritu: ſpíritus eſt. Non miréris quia dixi tibi: opórtet vos naſci dénuò. Spíritus vbi vult ſpirat: & vocem eius audis, ſed non ſcis vnde véniat, aut quo vadat. Sic eſt omnis: qui natus eſt ex Spíritu. Reſpóndit Nicodémus: & dixit ei. Quómodò poſſunt hæc fíeri? Reſpóndit Ieſus: & dixit ei. Tu es magíſter in Iſráel, & hæc ignóras? Amen amen dico tibi: quia quod ſcimus, lóquimur, & quod vídimus teſtámur, & teſtimónium noſtrum non accípitis. Si terréna dixi vobis, & non créditis: quómodò ſi díxero vobis cœléſtia credétis? Et nemo aſcéndit in cœlum, niſi qui deſcéndit de cœlo: Filius hóminis, qui eſt in cœlo. Et ſicut Móyſes exaltáuit ſerpéntem in deſérto: ita exaltári opórtet Fílium hóminis, vt omnis, qui credit in ipſum non péreat: ſed hábeat vitam ætérnam. Credo.

Offertorium. Verbum crucis pereúntibus ſtultítia eſt, his autem, qui ſalui fiunt, id eſt nobis, virtus Dei eſt, allelúia.

Secreta.

SAcrifícium, Dómine, quod immolámus placátus inténde, vt & ab ómnium nos éxuat bellórum nequítia, & per vexillum ſanctæ crucis Fílij tui, ad conteréndas poteſtátum aduerſárum insídias, nos in tuæ protectiónis ſecuritáte conſtítuat. Per eúndem.

Præfatio. Qui ſalútem. pag. 181.

Communio. Per ſignum crucis de inimícis noſtris líbera nos Deus noſter, allelúia, allelúia.

Poſtcommunio.

INeffábilem cleméntiam tuam, quæſumus, omnípotens Deus: vt ab his, quos per lignum ſanctæ crucis pio cruóre Fílij tui redemíſti, dura ſerpéntis antíqui venéna depéllas? & eis per grátiam Sancti Spíritus póculum ſalútis infúndas. Per eúndem. eiúſdem.

Digitized by Google

S. IOANNIS ANTE PORTAM Latinam. Introitus.

IN médio Eccléſiæ apéruit os eiꝰ, & impléuit eum Dóminus ſpíritu ſapiéntię & intelléctus: ſtola glóriæ índuit eum, allelúia, allelúia, allelúia.

Pſalmus. Iucunditátem & exultatiónem: theſaurizáuit ſuper eum. Collecta.

DEus, qui cónſpicis, quia nos vndique mala noſtra pertúrbant: præſta, quǽſumus, vt beáti Ioánnis Apóſtoli tui intercéſſio glorióſa nos prótegat. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Ecclci. cap. 15.

QVi timet Deum: fáciet bona. Et qui cóntinens eſt iuſtítiæ apprehéndet illam: & obuiábit illi quaſi mater honorificáta. Cibáuit illũ pane vitæ & intelléctus: & aqua ſapiéntiæ ſalutáris potáuit illum. Et firmábitur in illo & non flectétur: & continébit illum, & non confundétur, & exaltábit illum apud próximos ſuos. In médio Eccléſiæ apéruit os eius: & impléuit eum Dóminus ſpíritu ſapiéntiæ & intelléctus, & ſtola glóriæ índuit eum. Iucunditátem & exultatiónem: theſaurizáuit ſuper eum. Et nómine ætérno hæreditábit illum: Dóminus Deus noſter.

Allelúia. ℣. Primus ad Sion dicet: ecce adſum: & Ieruſálem Euangeliſtam dabo.

Allelúia. ℣. Hic eſt diſcípulus ille, qui teſtimónium pérhibet de his, & ſcimus, quia verum eſt teſtimónium eius. allelúia.

Secúndum Ioánnem. Cap. 21.

IN illo témpore: Dixit Iéſus Petro. Séquere me. Conuérſus Petrus: vidit illum diſcípulum, quem diligébat Iéſus, ſequéntem (qui & recúbuit in cœna ſuper pectus eius, & dixit, Dómine quis eſt qui tradet te.) Hunc ergo cùm vidíſſet Petrus: dixit Iéſu. Dómine: hic autem quid? Dixit ei Iéſus. Sic eum volo manére: donec véniam. Quid ad te? Tu me ſéquere. Exíuit ergo ſermo iſte inter fratres: quia diſcípulus ille non móritur. Et non dixit ei Iéſus quia non móritur: ſed ſic eum volo manére donec véniam, quid ad te. Hic eſt diſcípulus ille, qui teſtimónium pérhibet de his: & ſcripſit hæc. Et ſcimus: quia verum eſt teſtimóniũ eius. Credo.

Offertorium. Repléti ſumus manè miſericórdia tua, & exultáuimus, & delectáti ſumus. allelúia. Secreta.

MVnéribus noſtris, quǽſumus, Dómine, précibúſq; ſuſcéptis. & cœléſtibus nos munda myſtériis, & cleménter exaúdi. Per Dóminũ.

Communio. Ego ſum vitis vera, & vos pálmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. allelúia.

Poſtcommunio.

REfécti Dómine pane cœléſti: ad vitam, quǽſumus, nutriámur ætérnam. Per Dóminum.

De Sancto Petro confeſſore, fiat ſicut de Sancto Ambroſio poſt Paſcha. pag. 223.

GORDIANI ET EPIMACHI. Introitus.

SAncti tui Dómine benedícẽt te: glóriã regni tui dicent, allelúia. Pſalmus. Exaltábo te Deus meus Rex: & benedícam nómini tuo in ſæculũ, & in ſæculum ſæculi. Collecta.

DA, quǽſumꝰ, omnípotẽs Deus: vt, qui beatórum mártyrum tuórum Gordiáni atque Epímachi ſolémnia cólimus: eórum apud te interceſſiónibus adiuuémur. Per.

Ad Hebræos. Cap. 11.

FRatres: Sancti per fidem vicérunt regna: operáti ſunt iuſtitiam, adépti ſunt repromiſſiónes.

Digitized by Google

Obturauérunt ora leónum: extinxérunt ímpetum ignis, effugárunt áciem gládij, conualuérunt de infirmitáte, fortes facti ſunt in bello. Caſtra vertérunt exterórum: accepérunt mulíeres de reſurrectióne mórtuos ſuos. A'lij autem diſténti ſunt non ſuſcipiéntes redemptiónẽ: vt meliórem inueníent reſurrectiónem. A'lij verò ludíbria & vérbera expérti, ínſuper & víncula & cárceres: lapidáti ſunt, ſecti ſunt, tentáti ſunt, in occiſióne gládij mórtui ſũt. Circuiérunt in melótis, in péllibus caprínis: egéntes, anguſtiáti, afflícti, quibus dignus non erat mundus. In ſolitudínibus errántes: in móntibus, & in ſpelúncis, & in cauérnis terræ. Et hi omnes: teſtimónio fídei probáti inuénti ſunt. In Chriſto Iéſu: Dómino noſtro.

Allelúia, ℣. Sancti & iuſti in Dómino gaudéte, vos elégit Deus in hæreditátem ſibi. allelúia.

Secúndum Matthæum. Cap. 24.

IN illo témpore: Sedénte Iéſu ſuper montem Oliuéti: acceſſérunt ad eum diſcípuli ſecrétò, dicéntes. Dic nobis quãdo hæc erunt: & quod ſignum aduéntus tui, & conſummatiónis ſæculi. Et reſpóndens Iéſus: dixit eis. Vidéte: ne quis vos ſedúcat. Multi enim vénient in nómine meo, dicéntes, ego ſum Chriſtus: & multos ſedúcent. Auditúri enim eſtis prælia: & opiniónes præliórum. Vidéte ne turbémini. Opórtet enim hæc fieri: ſed nondum eſt finis. Conſúrget enim gens in gentem, & regnum in regnum: & erunt peſtiléntiæ, & fames, & terræmótus per loca. Hæc autem ómnia: inítia ſunt dolórum. Tunc tradent vos in tribulatiónem: & occídent vos. Et éritis ódio ómnibus Géntibus: propter nomen meum. Et ſcandalizabúntur multi, & ínuicẽ tradent: & ódio habébunt ínuicem. Et multi Pſeudoprophétæ ſurgent: & ſedúcent multos. Et quóniam abundábit iníquitas: refrigéſcet cháritas multórum. Qui autem perſeueráuerit vſque in finem: hic ſaluus erit.

Offertorium. Mirábilis Deus in Sanctis ſuis, Deus Iſráel, ipſe dabit virtútem & fortitúdinem plebi ſuæ: benedíctus Deus, allelúia.

Secreta.

HO'ſtias tibi, Dómine, beatórum mártyrũ Gordiáni atque Epímachi dicátas méritis benígnus aſſúme, & ad perpétuum nobis tríbue proueníre ſubsídium. Per Dóminum noſtrum.

Communio. Iuſtórum ánimæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos torméntum malítiæ: viſi ſunt óculis inſipiéntium mori, illi autem ſunt in pace, allelúia, allelúia.

Poſtcommunio.

QVæſumus, omnípotens Deus: vt, qui cœléſtia aliménta percépimus ? intercedéntibus Sanctis tuis Gordiáno atque Epímacho, per hæc contra ómnia aduérſa muniámur. Per Dóminum.

S. Mammerti Epiſcopi & Confeſſoris.

Collecta.

DEus, qui ánimæ fámuli tui Mãmérti ætérnæ beatitúdinis prǽmia contuliſti ? concéde propítius: vt, qui peccatórum noſtrórũ póndere prémimur ? eius apud te précibus ſubleuémur. Per Dóminum.

Secreta.

ANnue nobis Dómine, vt méritis beáti Mammérti nobis fámulis tuis hæc profit oblátio, quam immolándo totíus mundi tribuíſti relaxári delícta. Per Dóminum.

Poſtcommunio.

DEus, qui beátũ Mammértum Pontíficem Sanctórum tuórum méritis coæquáſti ? concéde propítius: vt, qui commemoratiónis eius feſta percólimus ? vitæ quoque imitémur exémpla. Per Dóminum noſtrum.

SSS. NEREI ACHILLEI, atque Pancratij martyrum.

Introitus.

ECce óculi Dómini ſuper timẽtes eum, ſperántes in miſericórdia eius, allelúia: vt erípiat à morte ánimas eórũ: quóniam adiútor & protéctor noſter eſt, allelúia, allelúia.

Pſal. 32. Exultáte iuſti in Dómino: rectos decet collaudátio. Collecta.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus: vt, qui beatórum mártyrum tuórum Nérei, Achíllei, atque Pancrátij natalítia cólimus: à cunctis malis imminéntibus eórum interceſſiónibus liberémur. Per.

Léctio libri Sapiéntiæ. Cap. 5.

IVſti in perpétuum viuẽt: & apud Dóminum eſt merces eórum, & cogitátio eórum apud Altíſſimum. Ídeo accípient regnum decóris, & diadéma ſpeciéi de manu Dómini: quóniam déxtera ſua teget eos, & bráchio ſuo deféndet illos. Accípiẽt armatúrã zeli illíus: & armábit creatúram ad vltiónem inimicórum. Índuent pro thoráce iuſtítiam: & accípiẽt pro gálea iudícium certum. Sument ſcutum inexpugnábile æquitátem: ibunt diréctæ promiſſiónes. Et ad certum locum dedúcet illos: Dóminus Deus noſter.

Allelúia. ℣. Iuſti epuléntur & exúltent in conſpéctu Dei, delecténtur in lætítia, allel.

Secúndum Matthæum. Cap. 19.

IN illo témpore: Acceſſérunt ad Ieſum Phariſǽi tentántes eum: & dicẽtes. Si licet hómini dimíttere vxórem ſuam quacúnque ex cauſa? Qui reſpóndens: ait illis. Nõ legíſtis, quia qui fecit hóminem ab inítio máſculum & fœminam fecit eos, & dixit, propter hoc dimíttet homo patrem & matrem, & adhærébit vxóri ſuæ, & erunt duo in carne vna? Ítaque iã non ſunt duo: ſed vna caro. Quod ergo Deus coniúnxit: homo non ſéparet. Dicunt illi. Quid ergo Móyſe mandáuit dari libéllum repúdij, & dimíttere? Ait illis. Quóniam Móyſes ad durítiã cordis veſtri: permíſit vobis dimíttere vxóres veſtras. Ab inítio autem non fuit ſic. Dico autẽ vobis: quia quicúnque dimíſerit vxórẽ ſuam (niſi ob fornicatiónẽ) & áliam dúxerit, mœchátur. Et, qui dimíſſam dúxerit: mœchátur. Dicunt ei diſcípuli eius. Si ita eſt cauſa hóminis cum vxóre: non éxpedit númbere. Qui dixit. Non omnes cápiunt verbum iſtud: ſed quibus datũ eſt. Sunt enim eunúchi: qui de matris vtero ſic nati ſunt. Et ſunt eunúchi: qui facti ſunt ab homínibus Et ſunt eunúchi: qui ſeípſos caſtrauérunt propter regnum cœlórum. Qui poteſt cápere: cápiat.

Offertorium. Confitebúntur cœli mirabília tua, Dómine, & veritátem tuam in Eccléſia Sanctórum, allelúia, allelúia.

Secreta.

MV'nera, quǽſumus, Dómine, tibi dicáta ſanctífica, & intercedéntibus beátis martýribus tuis Néreo, Achílleo, atque Pancrátio, per éadem nos placátus inténde. Per.

Communio. Gaudéte iuſti in Dómino, allelúia: rectos decet collaudátio, allelúia.

Poſtcommunio.

BEatórum mártyrum tuórũ Nérei, Achíllei, atque Pancrátij, Dómine, interceſſiónibus placátus præſta, quǽſumus: vt, quæ temporáli celebrámus actióne: perpétua ſaluatióne capiámus. Per Dóminũ.

Sancti Seruacij Epiſcopi. Collecta.

DEus, qui cónſpicis quia ex nulla noſtra virtúte ſubsiſtimus: concéde propítius: vt interceſſióne beáti Seruácij cõfeſſóris tui, atque Pontíficis contra ómnia aduérſa muniámur. Per Dóminum.

Secreta.

DA miſéricors Deus, vt hæc nos ſalutáris oblátio & à própriis reátibꝰ indeſinénter expédiat, & ab ómnibus tueátur aduérſis. Per Dóminum noſtrum. Poſtcommunio.

PRæſta, quǽſumus, Dómine Deus noſter: vt, quorum feſtiuitáte votíua ſunt ſacraménta; eórum ſalutária nobis interceſſióne reddántur. Per Dóminum.

De ſancto Yuone confeſſore fiat ſicut de S Antonio, pag. 205.

Eadem die S Potentianæ virginis. Collecta.

EXaúdi nos Deus Salutáris noſter: vt ſicut de beátæ Potentiánæ feſtiuitáte gaudémus; ita piæ deuotiónis erudiámur affectu. Per Dóminum noſtrum. Secreta.

ACcépta, tibi ſit, Dómine, ſacrátæ plebis oblátio, pro tuórum honóre Sanctórum, quorum ſe méritis percepiſſe de tribulatióne cognóſcit auxílium. Per Dóminum.

Poſtcommunio.

SAtiáſti Dómine famíliam tuam munéribus ſacris: eius, quǽſumus, ſemper interuentióne nos réfoue; cuius ſolémnia celebrámus. Per Dóminum noſtrum.

S. Deſiderij Epiſcopi martyris. Collecta.

DEus, qui nos beáti Deſidérij mártyris tui atque Pontíficis ánnua ſolemnitáte lætíficas; concéde propítius: vt cuius natalítia cólimus; de eiúſdem étiam protectióne gaudéamus. Per Dóminum. Secreta.

MVnera tibi, Dómine, dicáta ſanctífica, & intercedénte beáto Deſidério mártyre tuo atque Pontífice, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum.

Poſtcommunio.

HÆc nos commúnio, Dómine, purget à crímine; &, intercedénte beáto Deſidério mártyre tuo atque Pontífice, cœléſtis remédij fáciat eſſe confórtes. Per Dóminum.

SS. Donatiani & Rogatiani martyrum.

Collecta.

PRæſta, quǽſumus, omnípotens Deus: vt, qui glorióſos mártyres fortes in ſua confeſſióne cognóuimus; pios apud te in noſtra interceſſióne ſentiámus. Per Dóminum.

Secreta.

SAcrifíciis præſéntibus, Dómine, quǽſumus, inténde placátus, &, intercedéntibus Sanctis tuis, deuotióni noſtræ profíciant & ſalúti. Per Dóminum. Poſtcommunio.

QVǽſumus, omnípotens Deus: vt, illíus ſalutáris capiámus effectum; cuius per hæc myſtéria pignus accépimus. Per Dóminum.

S. VRBANI PAPÆ ET MART.

Introitus.



SAcerdótes tui, Dómine, índuãt iuſtitiã, & Sancti tui exúltẽt, propter Dauid ſeruũ tuũ non auértas fáciẽ Chriſti tui, allelúia, allelúia. Pſalmus. Meménto Dómine Dauid: & omnis manſuetúdinis eius. Collecta.

DA, quǽſumus, omnípotẽs Deus: vt, qui beáti Vrbáni mártyris tui atque Pontíficis ſolémnia cólimus; eius apud te interceſſiónibus adiuuémur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Prouerb. Cap. 3.

BEátus homo, qui inuénit ſapiéntiam: & qui áffluit prudéntia. Mélior eſt acquiſítio eius negotiatióne argénti & auri: primi & puríſſimi fructus eius. Pretióſior eſt cunctis ópibus: & ómnia, quæ deſiderántur, huic non valent comparári. Longitúdo diérum in déxtera eius: & in ſiníſtra illíus diuítiæ & glória. Viæ eius viæ pulchræ: & omnes ſémitæ illíus pacíficæ. Lignum vitæ eſt his, qui apprehénderint eam: & qui

tenúerit eam beátus. Dóminus ſapiéntia fundáuit terram : ſtabilíuit cœlos prudéntia. Sapiéntia illíus erupérunt abýſſi : & nubes rore concréſcunt.

℟. Quod tempore paſchali non dicitur.

Inuéni Dauid ſeruum meum, óleo ſancto vnxi eum, manus enim mea auxiliábitur ei, & bráchium meum confortábit eum.

℣. Nihil profíciet inimícus in eo, & fílius iniquitátis non nocébit ei.

Allelúia. ℣. Poſuíſti Dómine ſuper caput eius corónam de lápide pretióſo, allelúia.

Secúndum Matthæum. Cap. 25.

IN illo témpore : Dixit Iéſus diſcípulis ſuis parábolam hanc. Homo quidam péregrè proficíſcens vocáuit ſeruos ſuos : & trádidit illis bona ſua. Et vni dedit quinque talénta : álij autem duo, álij verò vnum. Vnicuíque ſecúndum própriam virtútem : & profectus eſt ſtatim. A'biit autem qui quinque talénta accéperat : & operátus eſt in eis, & lucrátus eſt ália quinque. Simíliter qui duo accéperat: lucrátus eſt ália duo. Qui autem vnum accéperat: ábiens fodit in terram, & abſcóndit pecúniam Dómini ſui. Poſt multum verò témporis: venit Dóminus ſeruórum illórum, & póſuit ratiónem cum eis. Et accédens qui quinque talénta accéperat: óbtulit ália quinque talénta, dicens. Dómine : quinque talénta tradidíſti mihi : ecce ália quinque ſuperlucrátus ſum. Ait illi Dóminus eius. Euge ſerue bone & fidélis: quia ſuper pauca fuíſti fidélis, ſupra multa te conſtítuam. Intra in gáudium Dómini tui. Accéſſit autē & qui duo talénta accéperat: & ait. Dómine : duo talénta tradidíſti mihi : ecce ália duo lucrátus ſum. Ait illi Dóminus eius. Euge ſerue bone & fidélis : quia ſuper pauca fuíſti fidelis, ſupra multa te conſtítuam. Intra in gáudium : Dómini tui.

Offertorium. Véritas mea & miſericórdia mea cum ipſo, & in nómine meo exaltá tur cornu eius, allelúia.

Secreta.

HÆc hóſtia, quæſumus, Dóm ne, emúndet noſtra delícta, ſacrifícium celebrándū ſubditórum tibi córpora mentéſque ſanctífice Per Dóminum.

Communio. Fidélis ſeruus & prudēs, quem conſtítuit Dóminus ſuper famíliam ſuam vt det illis in témpore trítici menſúram, allelúia, allelúia.

Poſtcommunio.

REfécti participatióne múneri ſacri, quæſumus, Dómine Deu noſter: vt, cuius exéquimur cultum ſentiámus effectum. Per Dóminum

S. Petronillæ virginis. Collecta.

EXáudi nos Deus ſalutáris noſter vt, ſicut de beátæ Petronillæ feſtiuitáte gaudémus: ita piæ deuotiónis erudiámur affectu. Per Dómi

Secreta.

ACcépta tibi ſit, Dómine, ſacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum, quorum ſe méritis percepíſſe de tribulatióne cognóſcit auxílium. Per Dóminum.

Poſtcommunio.

SAtiáſti, Dómine, famíliam tuam munéribus ſacris : eius, quæſumus, ſemper interuentióne nos réfoue: cuius ſolémnia celebrámus. Per Dóminum.

S. NICOMEDIS MARTYRIS.

Introitus.

IVſtus non conturbábitur, quia Dóminus firmat manum eius : tota die miſerétur & cómmodat, & ſemen eius in benedictióne erit, in ætérnum conſeruábitur, allelúia.

Pſalmus. Noli æmulári in malignántibus neque zeláueris faciéntes iniquitátem.

Collecta.

DEus, qui nos beáti Nicomédis mártyris tui méritis & intercesſióne lætíficas; concéde propítius: vt, qui eius beneficia póſcimus; dona tuæ grátiæ conſequámur. Per.

Léctio libri Sapiéntiæ Eccl[ci]. C. 39.

IVſtus cor ſuum tradet ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum: & in conſpéctu Altíſſimi deprecábitur. Apériet os ſuũ in oratióne: & pro delíctis ſuis deprecábitur. Si enim Dómin⁹ magnus volúerit: ſpíritu intelligéntiæ replébit illũ. Et ipſe tanquam imbres mittet elóquia ſapiéntiæ ſuæ: & in oratióne confitébitur Dómino. Et ipſe díriget consílium eius & diſciplínam: & in abſcónditis ſuis consiliábitur. Et ipſe palam fáciet diſciplínam doctrínæ ſuę: & in lege teſtaménti Dómini gloriábitur. Collaudábunt multi ſapiéntiam eius: & vſque in ſæculum non delébitur. Non recédet memória eius: & nomen eius requirétur: à generatióne in generatiónem.

℟. Quod tamen non dicitur ſi ante feſtum Trinitatis celebretur tunc enim dicatur ſolùm allelúia cum verſu. Dómine præueníſti eum in benedictiónibus dulcédinis, poſuíſti in cápite eius corónam de lápide pretióſo. ℣. Vitam pétiit, & tribuíſti ei longitúdinem diérum in ſæculum ſæculi. Allelúia. ℣. Beátus vir, qui ſuffert tentatiónem, quóniam cùm probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. allelúia.

Secúndum Marcum. Cap. 8.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Si quis vult me ſequi: déneget ſemetípſum, & tollat crucem ſuam, & ſequátur me. Qui enim volúerit ánimã ſuam ſaluã fácere: perdet eam. Qui autem perdíderit ánimam ſuam propter me, & propter Euangélium: ſaluã eam fáciet. Quid enim próderit hómini ſi lucrétur mundum totum, & detriméntum fáciat ánimę ſuæ? Aut quid dabit homo commutatiónis pro ánima ſua? Qui enim me cõféſſus fúerit & mea verba, in generatióne iſta adúltera & peccatrice: & Fílius hóminis confitébitur eum, cùm vénerit in glória Patris ſui, cum A'ngelis ſanctis. Et dicébat illis. Amẽ dico vobis: quia ſunt quidam de hîc ſtántibus, qui non guſtábunt mortem; donec vídeant regnum Dei: véniens in virtúte.

Offertorium. Glória & honóre coronáſti eum, & conſtituíſti eũ ſuper ópera mánuum tuárum Dómine. Allelúia. Secreta

MV'nera Dómine obláta ſanctífica, & intercedénte beáto Nicoméde mártyre tuo, nos per hæc à peccatórum noſtrórum máculis emúnda. Per Dóminum.

Communio. Qui vult veníre poſt me, ábneget ſemetípſum, & tollat crucem ſuam, & ſequátur me, allelúia. Poſtcommunio.

SV'pplices te rogámus omnípotens Deus: vt, quos tuis réficis ſacraméntis; intercedénte beáto Nicoméde mártyre tuo, tibi étiam plácitis móribus dignánter tríbuas deſeruíre. Per Dóminum.

SS. MARCELLINI ET PETRI mart.

Introitus.

CLamauérunt iuſti, & Dóminus exaudíuit eos: & ex ómnibus tribulatiónibus eórũ liberáuit eos, allelúia.

Pſalm. Benedícam Dóminum in omni témpore: ſemper laus eius in ore meo. Collecta.

DEus, qui nos ánnua beatórum mártyrum tuórum Marcellíni & Petri ſolemnitáte lętíficas; præſta, quæſumus: vt, quorum gaudémus méritis; prouocémur exémplis. Per.

Léctio libri Apocalýpſis beáti Ioánnis Apóſtoli. Cap. 7.

IN diébus illis: Reſpóndens vnus de Senióribus: dixit mihi. Hi, qui

amícti

amícti ſunt ſtolis albis, qui ſunt, & vnde venérunt? Et dixi illi. Dómine mi: tu ſcis. Et dixit mihi. Hi ſunt, qui venérunt de tribulatióne magna: & lauérunt ſtolas ſuas, & dealbauérũt eas in ſánguine Agni. Ideo ſunt ante thronum Dei: & ſéruiunt ei die, ac nocte in templo eius. Et qui ſedet in throno: hábitat ſuper illos. Nõ eſúrient neque ſitient ámpliùs, & non cadet ſuper illos ſol, neque vllus æſtus: quóniam Agnus, qui in médio throni eſt, reget illos, & dedúcet illos ad vitæ fontes aquárum. Et abſtérget Deus omnem láchrymam: ab óculis eórum.

℟. Quod tempore Paſchali non dicitur.

Glorióſus Deus in Sanctis ſuis, mirábilis in maieſtáte fáciens prodígia. ℣. Déxtera tua Dómine, glorificáta eſt in virtúte, déxtera manus tua confrégit inimícum.

Allelúia. ℣. Fulgébunt iuſti, & tanquam ſcintíllæ in arundinéto diſcúrrent: & regnábunt in ætérnum, allelúia.

Secúndum Ioánnem. Cap. 16.

IN illo témpore: Dixit Ieſus diſcípulis ſuis. Amen amen dico vobis: quia plorábitis & flébitis vos, mundus autem gaudébit. Vos autẽ contriſtabímini: ſed triſtítia veſtra vertétur in gaúdium. Múlier cùm parit triſtítiã habet: quia venit hora eius. Cùm autem pepérerit púerum, iam non méminit preſſúræ propter gaúdium, quia natus eſt homo in mundum. Et vos ígitur: nunc quidem triſtitiam habétis. Iterum autem vidébo vos: & gaudébit cor veſtrum. Et gaúdium veſtrum: nemo tollet à vobis.

Offertorium. Mirábilis Deus in Sanctis ſuis, Deus Iſráel ipſe dabit virtútem, & fortitúdinem plebi ſuæ: benedíctus Deus, allelúia.

Secreta.

HO'ſtia hæc, quæſumus, Dómine, quam in Sanctórum tuórum natalítiis recẽſéntes offérimus, & víncula noſtræ prauitátis abſóluat, & tuæ miſericórdiæ nobis dona concíliet. Per Dóminum.

Communio. Iuſtórum ánimæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos torméntum malítiæ; viſi ſunt óculis inſipiéntium mori, illi autem ſunt in pace, allelúia, allelúia.

Poſtcommunio.

SAcro múnere ſatiáti ſúpplices te, Dómine, deprecámur: vt quod débitæ ſeruitútis celebrámus officio ⁊ ſaluatiónis tuæ ſentiámus augméntum. Per Dóminum.

S. Medardi Epiſcopi & Confeſſ. Collecta

DA, quæſumus, omnípotens Deus, vt beáti Medárdi cõfeſſóris tui atque Pontíficis veneránda ſolémnitas ⁊ & deuotiónem nobis aúgeat & ſalútem. Per Dóminum.

Secreta.

SAncti tui nos, quæſumus, Dómine, vbíque lætíficẽt, vt dum eórum mérita recólimus, patrocínia ſentiámus. Per Dñm. Poſtcommunio.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus: vt, de percéptis munéribus grátias exhibéntes ⁊ beneficia potióra ſumámus. Per Dóminum.

SS. PRIMI ET FELICIANI martyrum. Introitus.



SApiéntiam Sanctórum narrant pópuli: & laudẽ eórum núntiat Eccléſia: nómina autẽ eórum viuent in ſæculum ſæculi. alle.

Pſalmus. Exultáte iuſti in Dómino: rectos decet collaudátio. Collecta.

DA, quæſumus, omnípotens Deus: vt, qui beatórum mártyrum ſolémnia cólimus ⁊ eórũ apud te interceſſiónibus adiuuémur. Per Dóminum noſtrum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Prou. c. 10.

EXpectátio iuſtórum lætítia: ſpes autem impiórum peribit. Forti-

túdo ſímplicis via Dómini: & pauor his, qui operántur malum. Iuſtus in ætérnum non commouébitur: impij autem non habitábunt in terra. Os iuſti párturit ſapiéntiam: lingua prauórum períbit. Lábia iuſti conſíderant plácita: & os impiórum peruérſa. cap. 11. Simplícitas iuſtórum díriget eos: & ſupplantátio peruerſórum vaſtábit illos. Iuſtítia rectórum liberábit eos: & in inſídiis ſuis capiéntur iníqui. Iuſtus de angúſtia ſua liberátus eſt: & tradétur ímpius pro eo. Simulátor ore décipit amícū ſuum: iuſti autem liberabúntur ſciéntia. In bonis iuſtórum exaltábitur ciuitas: & in perditióne impiórum erit laudátio. In benedictióne iuſtórum: exaltábitur ciuitas.

℟. Quod tempore Paſchali non dicitur.

Exultábunt Sancti in glória, lætabúntur in cubílibus ſuis. ℣. Cantáte Dómino cánticum nouum: laus eius in Eccléſia Sanctórum. Allelúia. ℣. Mirábilis Deus noſter in Sanctis ſuis. allelúia.

Secúndum Matthæum. Cap. 5.

IN illo témpore: Videns turbas Iéſus: aſcéndit in montem. Et cùm ſediſſet: acceſſérūt ad eum diſcípuli eius. Et apériens os ſuum: docébat eos, dicens. Beáti paúperes ſpíritu: quóniam ipſórum eſt regnum cœlórum. Beáti mites: quóniam ipſi poſſidébunt terrā. Beáti, qui lugent: quóniam ipſi conſolabúntur. Beáti, qui eſúriunt, & ſitiūt iuſtítiam: quóniam ipſi ſaturabúntur. Beáti miſericórdes: quóniā ipſi miſericórdiam conſequéntur. Beáti mundo corde: quóniam ipſi Deum vidébunt. Beáti pacífici: quóniam fílij Dei vocabúntur. Beáti, qui perſecutiónē patiúntur propter iuſtítiam: quóniam ipſórum eſt regnum cœlórum. Beáti, éritis cum maledíxerint vobis hómines, & perſecúti vos fúerint, & díxerint omne malum aduérſum vos mentiéntes: propter me. Gaudéte in illa die & exultáte: quóniam merces veſtra: copióſa eſt in cœlis.

Offertorium. Lætámini in Dómino, & exultáte iuſti, & gloriámini omnes recti corde. allelúia.

Secreta.

HOſtias tibi, Dómine, beatórū mártyrum dicátas méritis benígnus aſſúme, & ad perpétuum nobis tríbue proueníre ſubſídium. Per Dóminum noſtrum.

Communio. Ego vos elégi de mundo, vt eátis, & fructum afferátis: & fructus veſter máneat. allelúia.

Poſtcommunio.

QVæſumus, omnípotens Deus: vt, qui cœléſtia aliménta percépimus ⁊ intercedéntibus Sanctis tuis, per hæc contra ómnia aduérſa muniámur. Per Dóminum.

BARNABÆ APOSTOLI.

Introitus.

MIhi autem nimis honorári ſunt amíci tui Deus: nimis confortátus eſt principát⁹ eórum, allelúia. Pſalm. Dómine probáſti me, & cognouíſti me: tu cognouíſti ſeſſiónem meam, & reſurrectiónem meam.

Collecta.

QVæſumus, omnípotens Deus, vt beátus Bárnabas Apóſtolus, tuum pro nobis implóret auxílium: vt à noſtris reátibus abſolúti, à cunctis étiam perículis exuámur. Per Dóminum noſtrum.

Ad Romános. Cap 8.

FRatres: Scimus quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperántur in bonum: his qui ſecúndum propóſitum vocáti ſunt Sancti. Nam quos præſciuit: prædeſtináuit confórmes fieri imáginis Fílij ſui, vt ſit ipſe primogénit⁹ in multis frátribus. Quos autem prædeſtináuit: hos & vocáuit. Et quos vocáuit: hos & iuſtificáuit

cáuit. Quos autem iuſtificáuit: illos & magnificáuit. Quid ergo dicémus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui étiam próprio Filio ſuo non pepércit: ſed pro nobis ómnib⁹ trádidit illum. Quómodo nō étiam cum illo ómnia nobis donáuit? Quis accuſábit aduérſus eléctos Dei? De⁹ qui iuſtíficat? Quis eſt, qui condémnet? Chriſtus Ieſus, qui mórtuus eſt, immo qui & reſurréxit, qui eſt ad déxterā Dei, qui étiā interpéllat pro nobis? Quis nos ſeparábit à charitáte Chriſti? Tribulátio, an angúſtia, an perſecútio, an fames, an núditas, an perículum, an gládius? Sicut ſcriptū eſt. Quia propter te mortificámur tota die: æſtimáti ſumus ſicut oues occiſiónis. Sed in his ómnib⁹ ſuperámus: propter eum, qui diléxit nos. Certus ſum enim: quia neque mors, neque vita, neque A'ngeli, neque Principátus, neque Poteſtátes, neque Virtútes, neque inſtántia, neque futúra, neque fortitúdo, neque altitúdo, neque profúndum, neque creatúra ália póterit nos ſeparáre à charitáte Dei. Quæ eſt in Chriſto Ieſu: Dómino noſtro.

℟. In omnem terram exíuit ſonns eórum: & in fines orbis terræ verba eórum. ℣. Cœli enártant glóriam Dei: & ópera mánuum eius annúntiat firmaméntum.

Allelúia. ℣ Nimis honoráti ſunt amíci tui, Deus: nimis confortátus eſt principátus eórum. Si celebretur ante feſtum S. Trinitatis omittatur reſp. & vtrumque Allelúia dicatur aliàs ſolum primum cum reſp. dicatur.

Allelúia. ℣ Non vos me elegíſtis, ſed ego vos elégi, & póſui vos: vt eátis, & fructum afferátis, & fructus veſter máneat, allelúia.

Secúndum Ioánnem. Cap. 15.

IN illo témpore: Dixit Ieſus diſcípulis ſuis. Hoc eſt præcéptū meum vt diligátis ínuicem: ſicut diléxi vos Maiórem hac dilectiónem nemo habet: vt ánimam ſuam quis ponat pro amícis ſuis. Vos amíci mei eſtis: ſi fecéritis quæ ego præcípio vobis. Iam non dico vos ſeruos: quia ſeruus neſcit quid fáciat dóminus eius. Vos autē dixi amícos: quia ómnia quæcúnque audíui à Patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegíſtis, ſed ego elégi vos, & póſui vos, vt eátis & fructum afferátis, & fructus veſter máneat: vt quodcúnque petiéritis Patrem in nómine meo: det vobis. Credo.

Offertorium. In omnem terram exíuit ſonus eórum, & in fines orbis terræ verba eórum, allelúia.

Secreta.

SAcrándum tibi, Dómine, munus offérimus, quo beáti Bárnabæ ſolémnia recoléntes, purificatiónem quoque noſtris méntibus implorámus. Per Dóminum.

Præfatio de Apoſtolis. pag. 184.

Communio. Vos, qui ſecúti eſtis me, ſedébitis ſuper ſedes, iudicántes duódecim Tribus Iſráel, allelúia, allelúia.

Poſtcommunio:

PErcéptis, Dómine, ſacraméntis ſupplíciter exorámus: vt, intercedénte beáto Bárnaba Apóſtolo tuo, quæ pro illíus veneránda gérimus paſſióne ꝫ nobis profíciant ad medélam. Per Dóminum.

SSS. BASILIDIS, CIRINI, Naboris, & Nazarij mart.

Introitus.

INtret in conſpéctu tuo, Dómine, gémitus compeditórū: redde vicínis noſtris ſéptuplum in ſinu eórum: víndica ſánguinem Sanctórum tuórum, qui effúſus eſt, allelúia allelúia.

Pſalmus. Deus venérunt gentes in hæreditátem tuam: polluérunt templum ſanctum tuum, poſuérunt Ierúſalem in pomórum cuſtódiam.

Digitized by Google

Collecta.

Præſta quæſumus, omnípotens Deus: vt, qui Sanctórum tuórum ſolémnia cólimus, eórum étiam virtútes imitémur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ Prouerb. C. 15.

Lingua ſapiéntium ornat ſciéntiã: os fatuórum ebúllit ſtultítiam. In omni loco: óculi Dómini cõtemplántur bonos & malos. Lingua placábilis lignum vitæ: quæ autem immoderáta eſt, cónteret ſpíritũ. Domus iuſti, plúrima fortitúdo: & in frúctibus ímpij conturbátio. Lábia ſapiéntium diſſeminábũt ſciéntiam: cor ſtultórum diſsímile erit. Víctimæ impiórum abominábiles Dómino: vota iuſtórum placabília. Qui ſéquitur iuſtítiam: diligitur à Dómino.

℟. Quod tempore Paſchali non dicitur. Víndica Dómine ſánguinem Sanctórum tuórum, qui effúſus eſt. ℣. Poſuérunt mortália ſeruórum tuórũ eſcas volatílibus cœli, carnes Sanctórum tuórum béſtiis terræ.

Allelúia. ℣. Te mártyrum candidátus laudat exércitus, Dómine, allelúia.

Secúndum Matthæum. Cap. 10.

In illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Ecce ego mitto vos: ſicut oues in médio lupórum. Eſtóte ergo prudéntes ſicut ſerpéntes: & símplices ſicut colúmbæ. Cauéte autẽ ab homínibus. Tradent enim vos in Concíliis: & in Synagógis ſuis flagellábunt vos. Et ad Præſides, & ad Reges ducémini propter me: in teſtimónium illis & Géntibus. Cùm autẽ tradent vos: nolite cogitáre quómodò, aut quid loquámini. Dábitur enim vobis in illa hora: quid loquámini. Non enim vos eſtis, qui loquímini: ſed Spíritus Patris veſtri, qui lóquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem: & pater fílium. Et inſúrgent filij in paréntes: & morte eos afficient. Et éritis ódio ómnibus: propter nomen meum. Qui autem perſeueráuerit vſque in finem: hic ſaluus erit.

Offertorium. Exultábunt Sancti in glória: lætabúntur in cubílibus ſuis: exultatiónes Dei in faúcibus eórum, allelúia. Secreta.

Hóſtia hæc, quæſumus, Dómine, quam Sanctórum tuórum natalítia recenſéntes offérimus, & víncula noſtræ prauitátis abſóluat, & tuæ nobis miſericórdię dona concíliet. Per Dóminum.

Communio. Poſuerunt mortália ſeruórum tuórum, Dómine, eſcas volatílibus cœli, carnes Sanctórum tuorum béſtiis terræ: ſecúndum magnitúdinem bráchij tui póſſide fílios morti punitorum, allelúia.

Poſtcommunio.

Sacro múnere ſatiáti ſúpplices te, Dómine, deprecámur: vt quod debitæ ſeruitútis celebrámus offício, ſaluatiónis tuæ ſentiámus augméntum. Per Dóminum.

S. Viti martyris. Collecta.

Adéſto Dómine ſupplicatiónibus noſtris: vt, qui ex iniquitáte noſtra reos nos eſſe cognóſcimus, beáti Viti mártyris tui interceſſióne liberémur. Per Dóminum. Secreta.

Munéribus noſtris, quæſumus, Dómine, precibúſque ſuſcéptis, & cœléſtibus nos munda myſtériis, & cleménter exaúdi. Per Dóminum. Poſtcommunio.

Quæſumus, omnípotens Deus: vt, qui cœléſtia alliménta percépimus, intercedénte beáto Vito mártyre tuo per hæc contra ómnia aduérſa muniámur. Per Dóminum.

SS. Cirici & Iulitæ. Collecta. quæ non dicatur in Miſſa iiij. dominicæ poſt Pentec.

Deus, qui nos ánnua Sanctórum tuórum ſolemnitáte lætíficas, concéde propítius: vt, quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis.

Cum hac collecta non dicatur collecta. Concéde quæſumus. ne repetatur ſequens

Secreta.

Secreta.

OBlátis, quǽſumus, Dómine placáre munéribus,& intercedéntibus Sanctis tuis, à cunctis nos defénde perículis. Per Dóminum.

Poſtcommunio.

HÆc nos commúnio, Dómine, purget à crímine: &, intercedéntibus Sanctis tuis, cœléſtis remédij fáciat eſſe conſórtes. Per Dómi.

SS. MARCI ET MARCELLIANI martyrum. Introitus.

SAlus autē iuſtórum à Dómino, & protéctor eórum eſt in témpore tribulatiónis. Pſalmus. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláueris faciéntes iniquitátem. Collecta.

PRæſta, quǽſumus, omnípotens Deus: vt, qui Sanctórū tuórum Marci & Marcelliáni natalítia cólimus: à cunctis malis imminéntibus eórum interceſſiónibus liberémur. Per Dóminum noſtrum.

Ad Hebrǽos. Cap. 11.

FRatres: Sancti per fidem vicérunt regna: operáti ſunt iuſtítiā, adépti ſunt repromiſſiónes. Obturauérunt ora leónum: extinxérunt ímpetum ignis, effugárunt áciem gládij, conualuérunt de infirmitáte, fortes facti ſunt in bello. Caſtra vertérunt exterórū: accepérunt mulíeres de reſurrectióne mórtuos ſuos. A'lij autem diſténti ſunt non ſuſcipiéntes redemptiónē: vt melióre m inueníre nt reſurrectiónem. A'lij verò ludíbria, & vérbera expérti, ínſuper & víncula, & cárceres: lapidáti ſunt, ſecti ſunt, tentáti ſunt, in occiſióne gládij mórtui ſunt. Circuiérūt in melótis, in péllibus caprínis: egéntes, anguſtiáti, afflícti, quibus dignus non erat mundus. In ſolitudínibus errántes: in móntibus, & in ſpelúncis, & in cauérnis terræ. Et hi omnes: teſtimónio fidei probáti inuénti ſunt. In Chriſto Iéſu: Dómino noſtro.

℟. A'nima noſtra ſicut paſſer erépta eſt de láqueo venántium. ℣. Láqueus contrítus eſt, & nos liberáti ſumus: adiutórium noſtrum in nómine Dómini, qui fecit cœlum & terram. Allelúia. ℣. Sancti & iuſti in Dómino gaudéte, vos elégit Deus in hæreditátem ſibi. allelúia.

Secúndum Lucam. Cap. 12.

IN illo témpore. Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Atténdite à ferménto Phariſæórum: quod eſt hypócriſis. Nihil autem opértum eſt, quod non reuelétur: neque abſcónditū, quod non ſciátur. Quóniam, quæ in ténebris dixiſtis, in lúmine dicéntur: &, quod in aure locúti eſtis in cubículis, prædicábitur in tectis. Dico autē vobis amícis meis: ne terreámini ab his, qui occídūt corpus, & poſt hæc non habent ámpliùs quid fáciant. Oſténdam autem vobis: quē timeátis. Timéte eum, qui poſtquam occíderit: habet poteſtátem míttere in gehénnam. Ita dico vobis: hunc timéte. Nonne quinque páſſeres væneunt dipóndio, & vnus ex illis non eſt in obliuióne coram Deo? Sed & capílli cápitis veſtri: omnes numeráti ſunt. Nolíte ergo timére: multis paſſéribus pluris eſtis. Dico autē vobis. Omnis quicúnque cōféſſus fúerit me coram homínibus: & Fílius hóminis confitébitur illum coram A'ngelis Dei. Qui autem negáuerit me coram homínibus: denegábitur coram A'ngelis Dei.

Offertorium. Exultábunt Sancti in glória, lætabúntur in cubílibus ſuis, exultatiónes Dei in faúcibus eórum. Secreta.

MV'nera tibi, Dómine, dicáta ſanctífica, &, intercedéntibus beátis Marco & Marcelliáno, per eádē nos placátus inténde. Per Dó.

Communio. Amen dico vobis, quod vni ex mínimis meis fecíſtis, mihi fecíſtis: veníte benedícti Patris mei, poſſidéte præparátum vobis regnum ab inítio ſæculi.

Poſtcommunio.

SAlutáris tui, Dómine, múnere ſatiáti, ſúpplices exorámus: vt, cuius lætámur guſtu; renouémur efféctu. Per Dóminum.

SS. GERVASII ET PROTHASII. martyrum. Introitus.

LOquétur Dóminus pacẽ in plebem ſuam: & ſuper Sãctos ſuos, & in eos, qui cõuertúntur ad ipſum.

Pſalmus. Benedixíſti Dómine terrã tuam: auertíſti captiuitátem Iacob. Collecta. Quæ non dicitur cum Colle. iiij. Dominicæ poſt Pentec.

DEus, qui nos ánnua Sãctórum tuórum Geruáſij & Protháſij ſolemnitáte lætíficas; concéde propítius: vt, quorum gaudémus méritis; accendámur exémplis. Per Dó.

Non dicatur Collecta. Concéde quæſumus. in hac Miſſa.

Léctio libri Sapiéntiæ. Cap. 3.

IVſtórum ánimæ in manu Dei ſunt: & non tanget illos torméntum mortis. Viſi ſunt óculis inſipiéntiũ mori: & æſtimáta eſt afflíctio éxitus illórum. Et quod à nobis eſt iter extermínij: illi autẽ ſunt in pace. Et ſi coram homínibus torménta paſſi ſunt: ſpes illórũ immortalitáte plena eſt. In paucis vexáti, in multis bene diſponéntur: quóniam Deus tentáuit illos, & inuénit illos dignos ſe. Tanquam aurum in fornáce probáuit illos: & quaſi holocauſti hóſtiam accépit illos, & in tempore erit reſpéctus illórum. Fulgébunt iuſti: & tanquam ſcintíllæ in arũdinéto diſcúrrent. Iudicábunt natiónes: & dominabúntur pópulis. Et regnábit Dóminus illórum: in perpétuum.

℟. Iuſtórum ánimæ in manu Dei ſunt, & nõ tanget illos torméntum malítiæ. ℣. Viſi ſunt óculis inſipiéntium mori, illi autem ſunt in pace. Allelúia. ℣. Iuſti epuléntur, & exúltent in conſpéctu Dei, delecténtur in lætítia. allelúia.

Secúndum Marcum. Cap. 13.

IN illo témpore: Cûm egrederétur Iéſus de templo: ait illi vnus de diſcípulis ſuis. Magíſter: áſpice quales lápides, & quales ſtructúræ. Et reſpóndens Iéſus: ait illi. Vides has omnes magnas ædificatiónes? Non relinquétur lapis ſuper lápidem: qui non deſtruátur. Et cùm ſedéret in Monte Oliuárum contra templum: interrogábãt eum ſeparátim Petrus & Iacóbus & Ioánnes & Andréas. Dic nobis quando iſta fient: & quod ſignum erit, quando hæc omnia incípient conſummári. Et reſpóndens Iéſus: cœpit dícere illis. Vidéte: ne quis vos ſedúcat. Multi enim véniẽt in nómine meo dicéntes, quia ego ſum: & multos ſedúcent. Cùm audiéritis autẽ bella, & opiniónes bellórum, ne timuéritis. Opórtet enim hæc fieri: ſed nondum finis. Exúrget autẽ gens ſuper gentem, & regnum ſuper regnum: & erunt terræmótus per loca, & fames. Inítium dolórum hæc. Vidéte autẽ voſmetípſos. Tradent enim vos in Concíliis: & in Synagógis vapulábitis. Et ante Præſides & Reges ſtábitis propter me: in teſtimónium illis. Et in omnes Gentes: primùm opórtet prædicári Euãgélium. Et cũ dúxerint vos tradéntes, nolíte præcogitáre quid loquámini: ſed quod datum fúerit vobis in illa hora, id loquímini. Non enim eſtis vos loquéntes: ſed Spíritus Sanctus. Tradet autem frater fratrem in mortem: & pater fílium Et conſúrgent fílij in paréntes: & morte eos afficiẽt. Et éritis ódio ómnibus: pro-

pter nomen meum. Qui autem ſuſtinúerit in finem: hic ſaluus erit.

Offertorium. Anima noſtra ſicut paſſer erépta eſt de láqueo venántium, láqueus contrítus eſt, & nos liberáti ſumus. Secreta

OBlátis, quæſumus, Dómine placáre munéribus, &, intercedéntibus Sanctis tuis Geruáſio atque Protháſio, à cunctis nos defénde perículis. Per Dóminum.

Communio. Poſuérunt mortália ſeruórum tuórum Dómine, eſcas volatílibus cœli carnes Sanctórum tuórum béſtiis terræ: ſecúndum magnitúdinem bráchij tui póſſide fílios morti punitórum. Poſtcommunio

HÆc nos commúnio, Dómine, purget à crímine ⁊ &, intercedéntibus Sãctis tuis Geruáſio atque Protháſio, cœléſtis remédij fáciat eſſe conſórtes. Per Dóminum.

S. Albani martyris. Collecta

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus: vt, qui beáti Albáni mártyris tui natalítia cólimus ⁊ à cunctis malis imminéntibus eius interceſſióne liberémur. Non dicatur collecta.

Concéde, quæſumus. Secreta.

OBlátis, quæſumus, Dómine placáre munéribus, &, intercedénte beáto Albáno mártyre tuo, à cunctis nos defénde perículis. Per Dóminum. Poſtcommunio.

SIt nobis, Dómine, reparátio mẽtis & córporis cœléſte myſtérium vt cuius exéquimur actiónem ⁊ ſentiámus efféctum. Per Dóminum.

IN VIGILIA SANCTI Ioannis Baptiſtæ. Introitus.

NE tímeas Zacharía, exaudíta eſt orátio tua, & Elízabeth vxor tua páriet tibi filiũ, & vocábis nomen eius Ioánnem: & erit magnus coram Dómino, & Spíritu Sancto replébitur adhuc ex vtero matris ſuæ: & multi in natiuitáte eius gaudébunt.

Pſalmus. Appáruit autem A'ngelus Dómini Zacharíæ: ſtans à dextris altáris incénſi.

Collecta.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus: vt família tua per viam ſalútis incédat ⁊ & beáti Ioánnis Præcurſóris hortaménta ſectándo, ad eum, quem prædixit, ſecúra peruéniat Dóminum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum: qui tecum viuit.

Lectio Ieremiæ Prophétæ. Cap. 1.

IN diébus illis: Factum eſt verbum Dómini ad me, dicens. Priúſquam te formárem in vtero noui te: & ántequam exíres de vulua ſanctificáui te, & Prophétam in Géntibus dedi te. Et dixi. A, a, a, Dómine Deus, ecce néſcio loqui: quia puer ego ſum. Et dixit Dóminus ad me. Noli dícere quia puer ſum: quóniam ad ómnia, quæ mittã te, ibis, & vniuérſa, quæcúnque mandáuero tibi, loquéris Ne tímeas à fácie eórum, quia ego tecum ſum: vt éruam te, dicit Dóminus. Et miſit Dóminus manum ſuam: & tétigit os meum. Et dixit Dóminus ad me. Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce cõſtitui te hódie ſuper Gentes, & ſuper regna, vt euéllas, & déſtruas, & diſpérdas, & diſſipes & ædifices, & plãtes. Ait Dóminus: omnípotens.

℟. Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioánnes, hic venit. ℣. Vt teſtimónium perhibéret de lúmine: paráre Dómino plebem perféctam. Si fuérit Dóminica.

Allelúia. ℣. Iuſtus vt palma florébit: & ſicut cedrus multiplicábitur.

Inítium ſancti Euangélij ſecúndum Lucam. Cap. 1.

FVit in diébus Heródis Regis Iudææ, Sacérdos quidam, nómine Zacharías de vice Abía: & vxor illíus de filiábus A'aron, & nomen eius Elízabeth. Erant autẽ iuſti ambo ant

Deum: incedéntes in ómnibus mandátis, & iuſtificatiónibus Dómini ſine queréla. Et non erat illis filius, eo quòd eſſet Elízabeth ſtérilis: & ambo proceſsíſſent in diébus ſuis. Factũ eſt autem cùm ſacerdótio fungerétur Zacharías, in órdine vicis ſuæ ante Deum: ſecúndum conſuetúdinem ſacerdótij, ſorte éxiit vt incénſum póneret ingréſſus in templum Dómini. Et omnis multitúdo pópuli erat orans foris: hora incénſi. Appáruit autem illi A'ngelus Dómini: ſtans à dextris altáris incénſi. Et Zacharías turbátus eſt videns: & timor irruit ſuper eum. Ait autem ad illum A'ngelus. Ne tímeas Zacharía: quóniã exaudíta eſt deprecátio tua. Et vxor tua Elízabeth páriet tibi filium: & vocábis nomen eius Ioánnem. Et erit gáudium tibi & exultátio: & multi in natiuitáte eius gaudébunt. Erit enim magnus coram Dómino: & vinum & síceram non bibet, & Spíritu Sancto replébitur adhuc ex vtero matris ſuæ. Et multos filiórum Iſráel: conuértet ad Dóminum Deum ipſórum. Et ipſe præcédet ante illum in ſpíritu & virtúte Elíæ: vt conuértat corda patrum in filios, & incrédulos ad prudéntiam iuſtórum. Paráre Dómino: plebem perféctam.

Offertorium. Glória & honóre coronáſti eum: & conſtituíſti eum ſuper ópera mánuum tuárum, Dómine. Secreta.

MV'nera Dómine obláta ſanctífica, &, intercedénte beáto Ioánne Baptíſta, nos per hæc à peccatórum noſtrórum máculis emúnda. Per Dóminum.

Communio. Magna eſt glória eius in Salutári tuo, glóriam & magnum decórem impónes ſuper eum, Dómine.

Poſtcommunio.

BEáti Ioánnis Baptíſtæ nos, Dómine, præclára comitétur orátio: &, quem ventúrum eſſe prædíxit ? poſcat nobis fauére placátum Dóminum noſtrum Iéſum Chriſtum Filium tuum.

MISSA MATVTINALIS.
In die Sancti Ioannis Baptiſtæ.
Introitus.

IVſtus vt palma florébit, ſicut cedrus Líbani multiplicábitur plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei noſtri. Pſalmus. Bonum eſt confitéri Dómino: & pſállere nómini tuo Altíſſime.

Collecta.

COncéde quæ'ſumus, omnípotens Deus: vt, qui beáti Ioánnis Baptíſtæ ſolémnia cólimus ? eius apud te intercesſióne muniámur. Per Dóminum.

Léctio Iſaíæ Prophétæ. Cap. 42.

HÆc dicit Dóminus Deus. Ecce ſeruus meus ſuſcípiam eũ: eléctus me', complácuit ſibi in illo ánima mea. Dedi Spíritum meum ſuper eum: iudícium Géntibus próferet. Non clamábit, neque accípiet perſónam: nec audiétur foris vox eius. Cálamum caſſátum non cónteret: & lignum fúmigans non extínguet. In veritáte edúcet iudícium. Non erit triſtis neque turbuléntus: donec ponat in terra iudícium: & legem eius ínſulæ expectábunt.

℟. Iuſtus vt palma florébit, ſicut cedrus Líbani multiplicábitur, in domo Dómini.

℣. Ad annuntiándum manè miſericórdiam tuam, & veritátem tuam per noctem.

Allelúia. ℣. Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen Ioánnes erat. allelúia.

Secúndum Lucam. Cap. 1.

IN illo témpore: Dixit Zacharías ad A'ngelum. Vnde hoc ſciã? Ego enim ſum ſenex: & vxor mea procéſſit in diébus ſuis. Et reſpóndens A'ngelus: dixit ei. Ego ſum Gábriel,

qui aſto ante Deum: & miſſus ſum loqui ad te, & hæc tibi euangelizáre. Et ecce eris tacens, & non póteris loqui, vſque in diē, quo hæc fiāt, pro eo quòd non credidíſti verbis meis: quæ implebúntur in témpore ſuo. Et erat plebs expéctans Zacharíam: & mirabántur, quòd tardáret ipſe in templo. Egréſſus autem nō póterat loqui ad illos: & cognouérūt, quòd viſiónem vidíſſet in templo. Et ipſe erat ínnuens illis: & permánſit mutus. Et factū eſt vt impléti ſunt dies offícij eius: ábiit in domum ſuam. Poſt hos autem dies concépit Elízabeth vxor eius: & occultábat ſe mēſibus quinque, dicens. Quia ſic fecit mihi Dóminus in diébus, quibus reſpéxit auférre oppróbrium meum: inter hómines. Credo.

Offertorium In virtúte tua, Dómine, lætábitur iuſtus, & ſuper Salutáre tuum exultábit veheménter, deſidérium ánimæ eius tribuíſti ei.

Secreta.

MV'nera Dómine obláta ſanctífica, &, intercedénte beáto Ioánne Baptíſta, nos per hęc à peccatórum noſtrórum máculis emúnda. Per Dóminum.

Communio Poſuíſti Dómine in cápite eius corónam de lápide pretióſo. Poſtcōmunio.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus: vt, qui cœléſtia aliménta percépimus, intercedénte beáto Ioánne Baptíſta, per hęc contra ómnia aduérſa muniámur. Per Dóminum.

AD MAIOREM MISSAM eiuſdem diei. Introitus.

DE vētre matris meæ vocáuit me Dóminus nómine meo, & póſuit os meum, vt gládium acútum: ſub teguménto manus ſuæ protéxit me, póſuit me quaſi ſagíttam eléctam.

Pſalmus. Audite ínſulæ, & atténdite pópuli de longè: Dóminus ab vtero vocáuit me.

Collecta.

DEus, qui præſéntem diem honorábilem nobis in beáti Ioánnis natiuitáte fecíſti: da pópulis tuis ſpirituálium grátiam gaudiórū: & ómnium fidélium mentes dírige in viam ſalútis ætérnæ. Per Dóminum.

Lectio Iſaíæ Prophétæ. Cap. 49.

HÆc dicit Dóminus. Audíte ínſulæ: & atténdite pópuli de lōgè. Dóminus ab vtero vocáuit me: de ventre matris meę recordátus eſt nóminis mei. Et póſuit os meū quaſi gládium acútum: in vmbra manus ſuæ protéxit me, & póſuit me ſicut ſagíttā eléctam. In pháretra ſua abſcóndit me: & dixit mihi. Seruus meus es tu: quia in te gloriábor. Et nunc hæc dicit Dóminus: formans me ex vtero ſeruum ſibi. Dedi te in lucem Géntium: vt ſis ſalus mea vſque ad extrémum terræ. Reges vidébunt & conſúrgent, Príncipes: & adorábunt propter Dóminū Deum tuum, quia fidélis eſt: & Sanctum Iſráel, qui elégit te.

℞. Priúſquam te formárem in vtero noui te, & ántequam exíres de ventre, ſanctificáui te. ℣. Miſit Dóminus manum ſuam, & tétigit os meum: & repléuit illud.

Allelúia. ℣ Inter natos mulíerum non ſurréxit maior Ioánne Baptíſta. allelúia.

Secúndum Lucam. Cap. 1.

IN illo témpore: Elízabeth implétum eſt tempus pariéndi: & péperit fílium. Et audiérunt vicíni & cognáti eius, quia magnificáuit Dóminus miſericórdiam ſuam cum illa: & congratulabántur ei. Et factum eſt in die octáuo venérunt circuncídere púerum: & vocábant eum nómine patris ſui Zacharíam. Et reſpóndens mater eius: dixit. Néquaquam: ſed vocábitur Ioánnes. Et dixérunt ad illam: quia nemo eſt in cognatió-

Digitized by Google

ne tua, qui vocétur hoc nómine. Innuébant autem patri eius: quem vellet vocári eum. Et póſtulans pugillárem: ſcripſit, dicens. Ioánnes eſt nomen eius. Et miráti ſunt vniuérſi. Apértum eſt autem illicò os eius, & lingua eius: & loquebátur, benedícens Deum. Et factus eſt timor ſuper omnes vicínos eórum: & ſuper ómnia mōtána Iudǽæ diuulgabántur ómnia verba hæc. Et poſuérunt omnes, qui audiérunt, in corde ſuo: dicētes. Quiſputas puer iſte erit? E'tenim manus Dómini: erat cum illo. Et Zacharías pater eius implétus eſt Spíritu Sancto: & prophetáuit, dicens. Benedíctus Dóminus Deus Iſráel: quia viſitáuit: & fecit redemptiónem plebis ſuæ. Credo.

Offertorium. Iuſtus vt palma florébit, ſicut cedrus, quæ in Líbano eſt, multiplicábitur.

Secreta.

TVa, Dómine, munéribus altária cumulámus, illíus natiuitátem honóre débito celebrántes, qui Saluatórem mundi & cécinit affutúrum, & adéſſe monſtráuit Dóminum noſtrum Iéſum, Chriſtum Fílium tuum, qui tecū viuit & regnat.

Communio. Tu puer Prophéta Altíſſimi vocáberis: præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias eius. Poſtcommunio

SVmat Eccléſia tua, Deus, beáti Ioánnis Baptíſtę generatióne lætítiam; per quem ſuæ regeneratiónis cognóuit authórem Dóminum noſtrū Iéſum Chriſtum Filium tuū: Qui tecū viuit & regnat in vnitáte.

Per octauas & in die octa. Miſſa vt præcedit præter collectam, ſecretam & poſtcom. quæ ſequuntur. Collecta

COncéde, quæſumus, omnípotens Deus: vt, qui beáti Ioánnis Baptíſtæ ſolémnia cólimus; eius apud te interceſſióne muniámur. Per Dóminum. Secreta.

MV'nera, Dómine obláta ſanctífica, &, intercedénte beáto Ioánne Baptíſta, nos per hæc à peccatórum noſtrórum máculis emúnda. Per Dóminum.

Poſtcommunio.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus: vt, qui cœléſtia aliménta percépimus; intercedénte beáto Ioánne Baptíſta, per hæc contra ómnia aduérſa muniámur. Per Dómi.

SS. IOANNIS ET PAVLI mart. Introitus.

MVltæ tribulatiónes iuſtórum, & de his ómnibus liberáuit eos Dóminus: Dóminus cuſtódit ómnia oſſa eórū, vnum ex his non conterétur. Pſalmus. Benedícam Dóminum in omni témpore: ſemper laus eius in ore meo. Collecta.

QVæſumus, omnípotens Deus; vt nos gemináta lætítia hodiérnæ feſtiuitátis excípiat: quæ de beatórum Ioánnis & Pauli glorificatióne procédit; quos éadem fides & páſſio verè fecit eſſe germános. Per Dóminum noſtrum.

Ad Romános. Cap. 8.

FRatres: Quis nos ſeparábit à charitáte Chriſti? Tribulátio, an angúſtia, an perſecútio, an fames, an núditas, an perículum, an gládius? Sicut ſcriptum eſt. Quia propter te mortificámur tota die: æſtimáti ſumus ſicut oues occiſiónis. Sed in his ómnibus ſuperámus: propter eum, qui diléxit nos. Certus ſum enim: quia neque mors, neque vita, neque A'ngeli, neque Principátus, neque Poteſtátes, neque Virtútes, neque inſtántia, neque futúra, neque fortitúdo, neque altitúdo, neque profúndum, neque creatúra ália póterit nos ſeparáre à charitáte Dei. Quę eſt in Chriſto Iéſu: Dómino noſtro.

℟. Ecce quàm bonum, & quàm iucúndum habitáre fratres in vnum. ℣. Sicut vnguéntum in cápite, quod deſcéndit in barbam, barbam A'aron. Allelúia. ℣. Iſti ſunt duæ olíuæ, & duo candelábra lucéntia ante Dóminum: habẽt poteſtátem claúdere cœlum núbibus, & aperíre portas eius: quia linguæ eórum claues cœli factæ ſunt. allelúia.

Secúndum Lucam. Cap. 6.

IN illo témpore: Deſcéndens Ieſus de mõte: ſtetit in loco campéſtri, & turba diſcipulórum eius, & multitúdo copióſa plebis ab omni Iudǽa & Ieruſálem & marítima & Tyri & Sidónis, qui vénerant, vt audírent eum, & ſanaréntur à languóribus ſuis. Et qui vexabántur à ſpirítibus immúndis curabántur. Et omnis turba quærébat eum tángere: quia virtus dé illo exíbat, & ſanábat omnes. Et ipſe eleuátis óculis in diſcípulos ſuos: dicébat. Beáti paúperes: quia veſtrum eſt regnum Dei. Beáti, qui nunc eſurítis: quia ſaturabímini. Beáti, qui nunc fletis: quia ridébitis. Beáti éritis cùm vos óderint hómines, & cùm ſeparáuerint vos, & exprobráuerint, & eiécerint nomẽ veſtrum tanquam malum: propter filium hóminis. Gaudéte in illa die, & exultáte: ecce enim merces veſtra: multa eſt in cœlo.

Offertorium. Gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, quóniam tu Dómine benedíces iuſtis: Dómine vt ſcuto bonæ voluntátis tuæ coronáſti eos. Secreta.

HO'ſtias tibi, Dómine, Sanctórũ mártyrum tuórum Ioánnis & Pauli dicátas méritis benígnus aſſúme, & ad perpétuum nobis tríbue prouenire ſubſídium. Per Dóminũ.

Communio. Et ſi corã homínibus tormẽta paſſi ſunt, Deus tentáuit eos: tanquam aurum in fornáce probáuit eos, & ſicut holocaúſta accépit eos. Poſtcommunio.

SV'mpſimus, Dómine, Sanctórum tuórum ſolémnia celebrántes cœléſtia ſacraménta ꝭ præſta, quǽſumus: vt, quod temporáliter gérimus ꝭ ætérnis gaúdiis conſequámur. Per Dóminum.

IN VIGILIA SS. APOSTOL. Petri & Pauli. Introitus.


DIcit Dóminus Petro: cùm eſſes iúnior cingébas te, & ambulábas vbi volébas, cum autem ſenúeris, exténdes manus tuas & álius te cinget, & ducet quò tu non vis: hoc autem dixit, ſignificans qua morte clarificatúrus eſſet Deum.

Pſalmus. Cœli enárrant glóriam Dei: & ópera mánuũ eius annúntiat firmaméntum.

Collecta.

PRæſta, quǽſumus, omnípotens Deus: vt nullis nos permíttas perturbatiónibus cóncuti ꝭ quos in apoſtólicæ confeſſiónis petra ſolidáſti. Per Dóminum.

Poterit omitti comme. S. Ioan. ob ſimilitudinem ſecretæ huius Miſſæ.

Léctio A'ctuum Apoſtolórum. Cap. 3.

IN diébus illis: Petrus & Ioánnes aſcendébant in templum: ad horã oratiónis nonam. Et quidam vir, qui erat claudus ex vtero matris ſuæ, baiulabátur: quem ponébãt quotídie ad portam templi, quæ dícitur Speciósa, vt péteret eleemóſynam ab introeúntibus in templum. Is cùm vidíſſet, Petrum & Ioánnem incipiéntes introíre in templum: rogábat vt eleemóſynam accíperet. Intuens autem in eum Petrus cum Ioánne: dixit. Argéntum & aurum non eſt mihi: quod autem hábeo, hoc tibi do. In nómine Ieſu Chriſti Nazaréni: ſurge, & ámbula. Et apprehénſa manu eius déxtera: alleuáuit eum. Et prótinus conſolidátæ ſunt baſes eius & plantæ: & exíliẽs ſtetit,

& ambulábat. Et intráuit cum illis in templum: ámbulans, & exíliens, & laudãs Deum. Et vidit omnis pópulus eum ambulántem: & laudántem Deum. Cognoſcébant autem illum: quóniã ipſe erat, qui ad eleemóſynã ſedébat ad Specióſam portam templi. Et impléti ſunt ſtupóre & éxtaſi: in eo, quod contígerat illi. ℞ In omnem terram exíuit ſonus eórum: & in fines orbis terræ verba eórum. ℣ Cœli enárrant glóriam Dei: & ópera mánuum eius annúntiat firmaméntum.

Si Dominica fuerit A lleluia. ℣ Nimis honoráti ſunt amíci tui, Deus: nimis confortátus eſt principátus eórum. allelúia.

Secúndum Ioannem Cap. 21.

IN illo témpore: Dixit Ieſus Petro. Simon Ioánnis díligis me plus his? Dicit ei. E'tiam Dómine: tu ſcis quia amo te. Dicit ei. Paſce agnos meos. Dicit ei íterum. Simon Ioánnis díligis me? Ait illi. E'tiam Dómine: tu ſcis quia amo te. Dicit ei. Paſce agnos meos. Dicit ei tértiò. Simon Ioánnis amas me? Contriſtátus eſt Petrus, quia dixit ei tértiò, amas me: & dicit ei. Dómine: tu ómnia noſti: tu ſcis quia amo te. Dicit ei. Paſce oues meas. Amen amen dico tibi: cùm eſſes iúnior cingébas te, & ambulábas vbi volébas. Cùm autem ſenúeris: extẽdes manus tuas, & álius te cinget, & ducet quò tu non vis. Hoc autem dixit: ſigníficans qua morte clarificatúrus eſſet Deum.

Offertorium. M ihi autem nimis honorificáti ſunt amíci tui, Deus: nimis confortátus eſt principátus eórum. Secreta.

MVnus pópuli tui, Dñe, quæſumus, apoſtólica interceſſióne ſanctífica, nóſque à peccatorũ noſtrórum máculis emúnda. Per Dó.

Communio. S imon Ioánnis díligis me plus his? Dómine, tu ómnia noſti, tu ſcis Dómine, quia amo te. Poſtcommunio.

QVos cœléſti, Dñe, aliménto ſatiáſti; apoſtólicis interceſſiónibus ab omni aduerſitáte cuſtódi. Per.

Eodem die S. Leonis Papæ. Collecta.

DEus, qui beátum Leónem Pontíficem Sanctórum tuórũ méritis coæquáſti; concéde propítius: vt, qui commemoratiónis eius feſta percólimus; vitæ quoque imitémur exémpla. Per Dóminum. Secreta.

ANnue nobis Dómine, vt méritis beáti Leónis, nobis fámulis tuis hæc proſit oblátio, quã immolándo totíus mundi tribuíſti relaxári delícta. Per Dómi. Poſtcommunio.

DEus, qui ánimæ fámuli tui Leónis ætérnæ beatitúdinis prǽmia contuliſti; concéde propítius: vt, qui peccatórum noſtrórum póndere prémimur; eius apud te précibus ſubleuémur. Per Dóminum.

Ipſo etiam die SS. Irænei ſociorũque eius. Collecta.

DEus, qui nos concédis Sanctórum tuórum natalítia cólere; da nobis in ætérna beatitúdine de eórum ſocietáte gaudére. Per Dóminum noſtrum. Secreta.

MV'nera tibi Dómine, noſtræ deuotiónis offérimus, quæ & pro tuórum tibi grata ſint honóre iuſtórũ, & nobis ſalutária, te miſeránte, reddántur. Per. Poſtcommunio.

PRæſta nobis Dómine, quæſumus, intercedéntibus Sãctis tuis: vt, quæ ore contígimus; pura mẽte capiámus. Per Dóminum.

IN DIE EORVMDEM SS. Apoſtolorum Petri & Pauli. Introitus.

NVnc ſcio verè, quia miſit Dóminus A'ngelũ ſuum: & erípuit me de manu Heródis, & de omni expectatióne plebis Iudæórum. Pſalmus. D ómine probáſti me, & cognouíſti

& cognouiſti me: tu cognouiſti feſſiónem meam, & reſurrectiónem meam.

Collecta.

DEus, qui hodiérnam diem Apoſtolórum tuórũ Petri & Pauli, martýrio conſecráſti: da Ecclésiæ tuæ eórum in ómnibus ſequi præcéptum: per quos religiónis ſumpſit exórdium. Per Dóminum.

Léctio Actuũ Apoſtolórũ. Cap. 12.

IN diébus illis: Miſit Heródes Rex manus: vt affligeret quoſdam de Ecclésia. Occídit autem Iacóbum: fratrem Ioánnis gládio. Videns autem quia placéret Iudǽis: appóſuit apprehéndere & Petrum. (Erant autem dies azymórum.) Quem, cũ apprehendíſſet, miſit in cárcerem: tradens quátuor quaterniónibus mílitum cuſtodiéndum, volens poſt Paſcha prodúcere eum pópulo. Et Petrus quidem ſeruabátur in cárcere: orátio autem fiébat ſine intermiſſióne ab Ecclésia ad Deum pro eo. Cum autem productúrus eum eſſet Heródes: in ipſa nocte erat Petrus dórmiens inter duos mílites vinctus caténis duábus. Et cuſtódes ante óſtium: cuſtodiébant cárcerem. Et ecce Angelus Dómini aſtitit: & lumen reſulſit in habitáculo. Percuſſóque látere Petri: excitáuit eum, dicens. Surge velóciter. Et cecidérunt caténæ de mánibus eius. Dixit autem Angelus ad eum. Præcíngere: & cálcea te cáligas tuas. Et fecit ſic. Et dixit illi. Circúnda tibi veſtiméntum tuum: & ſéquere me. Et éxiẽs ſequebátur eum: & neſciébat, quia verum eſt, quod fiébat per Angelum. Æſtimábat autem ſe viſum vidére. Tranſeúntes autem primam & ſecúndam cuſtódiam: venérunt ad portam férream, quæ ducit ad ciuitátem, quæ vltrò apérta eſt eis. Et exeúntes proceſſérunt vicum vnum: & contínuò diſcéſſit Angelus ab eo. Et Petrus ad ſe reuérſus, dixit. Nũc ſcio verè quia miſit Dóminus Angelum ſuum, & erípuit me de manu Heródis: & de omni expectatióne plebis Iudæórũ.

℞. Conſtítues eos Príncipes ſuper omnem terram: mémores erunt nóminis tui, Dómine. ℣. Pro pátribus tuis nati ſunt tibi filij: proptérea pópuli confitebúntur tibi.

Allelúia. ℣. Beátus es Simon Bar-Iona: quia caro & ſanguis non reueláuit tibi: ſed Pater meus, qui eſt in cœlis, allelúia.

Secúndum Matthǽum. Cap. 16.

IN illo témpore: Venit Iéſus in partes Cæſarέæ Philíppi: & interrogábat diſcípulos ſuos, dicẽs. Quem dicunt hómines eſſe Fílium hóminis? At illi dixérunt. Alij Ioánnem Baptíſtam, álij autem Elíam, álij verò Ieremíam: aut vnũ ex Prophétis. Dixit illis Iéſus. Vos autem quem me eſſe dícitis? Reſpóndens Simon Petrus: dixit. Tu es Chriſtus Fílius Dei viui. Reſpóndẽs autem Iéſus: dixit ei Beátus es Simon Bar-Iona: quia caro & ſanguis non reueláuit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus: & ſuper hanc petram ædificábo Ecclésiam meam. Et portæ ínferi: non præualébũt aduérſus eam. Et tibi dabo claues regni cœlórum. Et quodcúnque ligáueris ſuper terram: erit ligátum in cœlis Et quodcúnque ſólueris ſuper terram: erit ſolútum in cœlis. Credo.

Offertorium. Conſtítues eos Príncipes ſuper omnem terram, mémores erunt nóminis tui in omni progénie & generatióne.

Secreta.

HOſtias Dómine, quas nómini tuo ſacrándas offérimus, Apoſtólica proſequátur orátio, per quã nos & expiári tríbuis, & deféndi Per Dóminum.

Præfatio. Te Dómine ſupplíciter.

Communio. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificábo Ecclésiam meam.

Poſtcommunio.

QVos cœléſti, Dómine, aliméto ſatiáſti: Apoſtólicis interceſſió-

nibus ab omni aduerſitáte cuſtódi. Per Dóminum.

IN COMMEMORATIONE S. Pauli.

Introitus.

SCio cui crédidi, & certus ſum, quia potens eſt depóſitum meũ ſeruáre in illum diem. Pſalmus. De réliquo repóſita eſt mihi: coróna iuſtítiæ. Collecta.

DEus, qui multitúdinem Géntiũ beáti Pauli Apóſtoli prædicatióne docuíſti: ⁊ da nobis, quæſumus: vt, cuius natalítia cólimus ⁊ eius apud te patrocínia ſentiámus. Per.

Commemoratio de Sanctis Marciale, Ioanne, & Petro, vt habetur in fine Miſſæ.

Ad Galátas. Cap. 1.

FRatres: Notum vobis fácio Euãgélium, quod euãgelizátum eſt à me, quia non eſt ſecúndum hóminem: neque enim ego ab hómine accépi illud, neque dídici, ſed per reuelatiónẽ Ieſu Chriſti. Audiſtis enim conuerſatiónem meam aliquándo in Iudaíſmo: quóniã ſuprà modum perſequébar Eccléſiam Dei, & expugnábam illam, & proficiébam in Iudaíſmo ſupra multos coætáneos meos in génere meo, abundántiùs æmulátor exiſtens paternárum meárum traditiónum. Cùm autem plácuit ei, qui me ſegregáuit ex vtero matris meæ, & vocáuit per grátiam ſuam, vt reuelárer in me Filiũ ſuum, vt euangelizárem illum in Géntibus: continuò non acquiéui carni & ſánguini, neque veni Ieroſólymam ad anteceſſóres meos Apóſtolos, ſed ábij in Arábiam, & íterum reuérſus ſum Damáſcum. Deínde poſt annos tres veni Ieroſólymã vidére Petrum: & manſi apud eum diébus quíndecim. A'lium autem Apoſtolórum vidi néminem: niſi Iacóbum fratrem Dómini. Quæ autem ſcribo vobis: ecce coram Deo: quia non méntior.

℟. Qui operátus eſt Petro in apoſtolátum, operátus eſt & mihi inter Gentes, & cognouérunt grátiam Dei, quæ data eſt mihi. ℣. Grátia Dei in me vácua non fuit, ſed grátia eius ſemper in me manet.

Allelúia. ℣. Magnus Sanctus Paulus vas electiónis, verè dignè eſt glorificándus, allel.

Secúndum Matthǽum. Cap. 19.

IN illo témpore: Dixit Simon Petrus ad Ieſum. Ecce nos relíquimꝰ ómnia: & ſecúti ſumus te. Quid ergo erit nobis? Ieſus autẽ dixit illis. Amẽ dico vobis: quòd vos, qui ſecúti eſtis me, in regeneratióne cùm ſéderit Fílius hóminis in ſede maieſtátis ſuæ, ſedébitis & vos ſuper ſedes duódecim iudicántes duódecim Tribus Iſráel. Et omnis, qui relíquerit domũ, vel fratres, aut ſoróres, aut patrem, aut matrem, aut vxórem, aut filios, aut agros propter nomen meũ: céntuplum accípiet: & vitam ætérnam poſſidébit. Credo.

Offertorium. Mihi autẽ nimis honorificáti ſunt amíci tui Deus, nimis confortátus eſt principátus eórum. Secreta.

APóſtoli tui Pauli précibus, Dómine, plebis tuæ dona ſanctífica, vt, quæ tibi tuo grata ſunt inſtitúto, gratióra fiant patrocínio ſupplicántis. Per Dóminum.

Præfatio. Te Dómine ſupplíciter. pag. 184.

Communio. Amen dico vobis, quòd vos, qui reliquíſtis ómnia, & ſecúti eſtis me, céntuplum accipiétis: & vitam ætérnam poſſidébitis. Poſtcommunio.

PErcéptis, Dómine, ſacraméntis, beátis Apóſtolis interueniéntibꝰ, deprecámur: vt, quæ pro illórum celebráta ſunt glória ⁊ nobis profíciant ad medélam. Per Dóminum.

Eodem die S. Marcialis, de quo ſit prima commemoratio, niſi eſſet dominica: tunc enim de ipſa dominica eſſet prima commemoratio niſi etiam incideret feſtum præſens

infra octa. S. Sacramenti altaris, nam tunc prima comme. eſſet de ipſis octa. ij. de Dominica iij. vero hæc Collecta.

DEus, qui beátum Marciálem Pontíficem Sanctórũ tuórum méritis coæquáſti: concéde propítius: vt, qui commemoratiónis eius feſta percólimus: vitæ quoque imitémur exémpla. Per Dóminum.

Secreta.

ANnue nobis Dómine, vt méritis beáti Marciális nobis fámulis tuis hæc profit oblátio, quam immolándo totíus mundi tribuíſti relaxári delícta. Per Dóminum.

Poſtcommunio.

DEus, qui ánimæ fámuli tui Marciális ætérnæ beatitúdinis prǽmia contuliſti: concéde propítius: vt, qui peccatórum noſtrórum póndere prémimur: eius apud te précibus ſubleuémur. Per Dóminum.

Deinde de S. Ioanne. Collecta.

Concéde quǽſumus. pag. 246.

Poſtea de Sancto Petro. Collecta.

DEus, qui Apóſtolo tuo Petro collátis cláuibus regni cœléſtis, ligándi atque ſoluéndi pontificium tradidíſti: concéde, vt interceſſiónis eius auxílio, à peccatórum noſtrórum néxibus liberémur. Per. Secreta.

ECcléſiæ tuæ, quǽſumus, Dómine, preces & hóſtias beáti Petri Apóſtoli cõméndet orátio, vt, quod pro illíus glória celebrámus, nobis proſit ad véniam. Per. Poſtcommunio.

LÆtíficet nos, Dómine, munus oblátũ: vt ſicut in Apóſtolo tuo Petro te mirábilem prædicámus: ſic per illum tuæ ſumámus indulgéntiæ largitátem. Per Dóminum.

Per octa. Apoſtolorum ad commemorationem. Collecta. Deus cuius déxtera. cum ſecreta & poſtcõmunione vt in octa. & ſi Miſſa dicatur, fiat vt in ipſa octa. pag. 254.

In octaua Sancti Ioannis Baptiſtæ fiat prout notatum eſt ſupra per eius octa. pag. 246.

IN VISITATIONE GLORIOSÆ virginis Mariæ, vtraque Miſſa ſit de feſto.

Introitus.

GAudeámus omnes in Dómino, diem feſtum celebrãres ſub honóre Maríæ vírginis: de cuius viſitatióne gaudẽt A'ngeli, & collaúdant Fílium Dei.

Pſalmus. Eructáuit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi.. Collecta.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui ex abundántia charitátis beátam Maríam tuo Fílio fœcundátam ad ſalutatiónem Elízabeth inſpiráſti: præſta, quǽſumus: vt per eius viſitatiónem donis cœléſtibus repleámur: & ab ómnibus aduerſitátibus eruámur. Per eúndem.

Léctio libri Sapiéntiæ. Cant. 2.

ECce iſte venit ſáliẽs in móntibus tranſíliens colles. Símilis eſt diléctus meus: cápreæ hinnulóque ceruórum. En ipſe ſtat poſt parietẽ noſtrum: aſpíciens per feneſtras, proſpíciens per cancéllos. En diléctus meus: lóquitur mihi. Surge própera ámica mea: colúmba mea, formóſa mea, & veni. Iam enim hyems tránſiit: imber ábiit, & receſſit. Flores apparuérunt in terra noſtra: tẽpus putatiónis aduénit. Vox túrturis audíta eſt in terra noſtra: ficus prótulit groſſos ſuos, víneæ floréntes dedérunt odórem ſuum. Surge própera amíca mea, ſpecióſa mea, & veni: colúmba mea, in foramínibus petræ, in cauérna macérię. Oſténde mihi fáciem tuam: ſonet vox tua in áuribus meis. Vox enim tua dulcis: & fácies tua decóra.

℞. Propter veritátem & manſuetúdinem & iuſtítiam, & dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Audi filia, & vide, & inclína au-

rem tuã, quia concupíuit Rex ſpéciẽ tuam. A llelúia. ℣. Aue ſtillans melle alueárium, aue veri Salomónis férculum, aue Verbi Dei tu ſacrárium, aue deitátis receptáculum, María. allelúia.

Secúndum Lucam. Cap. 1.

IN illo témpore: Exúrgens María: ábiit in montána cum feſtinatióne in ciuitátem Iúda. Et intráuit in domum Zacharíæ: & ſalutáuit Elízabeth. Et factum eſt vt audíuit ſalutatiónem Maríæ Elízabeth: exultáuit infans in vtero eius. Et repléta eſt Spíritu Sancto Elízabeth: & exclamáuit voce magna, & dixit. Benedícta tu inter mulíeres: & benedíctus fructus vẽtris tui. Et vnde mihi hoc, vt véniat mater Dómini mei ad me? Ecce enim, vt facta eſt vox ſalutatiónis tuæ in áuribus meis: exultáuit in gaúdio infans in vtero meo. Et beáta, quæ credidíſti: quóniam perficiéntur ea, quæ dicta ſunt tibi à Dómino. Et ait María. Magníficat ánima mea Dóminum. Et exultáuit ſpíritus meus: in Deo Salutári meo. Quia reſpéxit humilitátem ancíllæ ſuæ: ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. Quia fecit mihi magna, qui potens eſt: & ſanctum nomen eius. Et miſericórdia eius à progénie in progénies: timéntibus eum. Fecit poténtiam in bráchio ſuo: diſpérſit ſupérbos mẽte cordis ſui. Depóſuit poténtes de ſede: & exaltáuit húmiles. Eſuriéntes impléuit bonis: & díuites dimíſit inánes. Suſcépit Iſráel púerũ ſuum: recordátus miſericórdiæ ſuæ. Sicut locútus eſt ad patres noſtros: Abráham, & sémini eius in ſæcula. Manſit autem María cum illa quaſi ménſibus tribus: & reuérſa eſt in domum ſuam. Credo.

Offertorium. F œlix namque es ſacra virgo María, & omni laude digníſſima, quia ex te ortus eſt ſol iuſtítiæ Chriſtus Deus noſter, allelúia. Præfatio. Et te in viſitatióne.

Secreta.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui curam de ómnibus in te confidéntibus ſemper habes, preſta, quæſumus, vt per oblatiónẽ, quam tibi offérimus, viſitatiónẽ ſpirituálem beátæ Maríæ vírginis in noſtris neceſſitátibus ſentiámus. Per Dómi.

Communio. B eáta víſcera Maríæ vírginis, quæ portauérunt ætérni Patris Filium.

Poſtcommunio.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui commemoratiónem beátæ Maríę vírginis matris Filij tui Dómini noſtri Iéſu Chriſti fieri voluíſti? præſta, quæſumus, vt per mérita Viſitatiónis ipsíus, ætérni conuíuij partícipes ęfficiámur. Per eúndem.

EODEM DIE MISSA SS. Proceſſi, & Martiniani martyrum commendétur priuatim dicenda, quæ tamen olim erat Miſſa matutinalis. Introitus.



V'dicant Sancti Gentes, & dominántur pópulis: & regnábit Dóminus Deus illórũ in perpétuum. Pſalm. E xultáte iuſti in Dómino: rectos decet collaudátio. Collecta.

DEus, qui nos Sanctórũ tuórum Procéſſi & Martiniáni confeſſiónibus glorióſis circúndas & prótegis: da nobis & eórum imitatióne proficere? & interceſſióne gaudére. Per Dóminum noſtrum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Cap. 5.

STabunt iuſti in magna conſtántia aduérſus eos, qui ſe anguſtiauérunt: & qui abſtulérunt labóres eórũ. Vidéntes turbabúntur timóre horríbili: & mirabúntur in ſubitatióne inſperátæ ſalútis. Dicéntes intra ſe, pœniténtiam agéntes: & præ angúſtia ſpíritus geméntes. Hi ſunt

quos

quos aliquándo habúimus in deríſum:& in ſimilitúdinem impropérij. Nos inſenſáti vitam illórum æſtimabámus inſániam: & finem illórum ſine honóre. Ecce quómodò computáti ſunt inter filios Dei: & inter Sanctos ſors illórum eſt.

℟. Exultábunt Sancti in glória, lætabúntur in cubílibus ſuis. ℣. Cantáte Dómino cánticum nouum: laus eius in Eccléſia Sanctórum. Allelúia. ℣. Mirábilis Dóminus noſter in Sanctis ſuis. allelúia.

Secúndum Matthæum. Cap. 24.

IN illo témpore: Sedēte Iéſu ſuper Montem Oliuéti: acceſſérunt ad eum diſcípuli ſecrétò, dicéntes. Dic nobis quando hæc erunt: & quod ſignum aduéntus tui, & conſummatiónis ſæculi. Et reſpóndens Iéſus: dixit eis. Vidéte: ne quis vos ſedúcat. Multi enim vénient in nómine meo, dicéntes ego ſum Chriſtus: & multos ſedúcent. Auditúri enim eſtis prælia & opiniónes præliórum. Vidéte ne turbémini. Opórtet enim hæc fieri: ſed nondum eſt finis. Conſúrget enim gens in gentem, & regnum in regnum: & erunt peſtiléntiæ, & fames, & terræmótus per loca. Hæc autem ómnia: inítia ſunt dolórum. Tunc tradent vos in tribulatiónē: & occídent vos. Et éritis ódio ómnibus Géntibus: propter nomen meum. Et tunc ſcandalizabúntur multi, & ínuicem tradent: & ódio habébunt ínuicem. Et multi Pſeudoprophétæ ſurgent: & ſedúcent multos. Et quóniam abundábit iníquitas: refrigéſcet cháritas multórum. Qui autem perſeueráuerit vſque in finem: hic ſaluus erit.

Offertorium. Gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, quóniam tu Dómine benedíces iuſtis: Dómine vt ſcuto bonæ voluntátis tuæ coronáſti eos.

Secreta.

SVſcipe Dómine preces & múnera, quæ vt tuo ſint digna conſpéctu, Sanctórum tuórum précibus adiuuémur. Per Dóminum.

Communio. Anima noſtra ſicut paſſer erépta eſt de láqueo venántium.

Poſtcommunio.

COrporis ſacri & pretióſi ſánguinis repléti libámine, quæſumus, Dómine Deus noſter: vt, quod pia deuotióne gérimus; certa redemptióne capiamus. Per Dóminum.

IN TRANSLATIONE ET natali S. Martini Epiſcopi & Confeſſ. Introitus.

STátuit ei Dóminus teſtaméntū pacis: & príncipem fecit eum, vt ſit illi ſacerdótij dígnitas in ætérnum.

Pſalmus. Miſericórdias Dómini: in ætérnum cantábo.

Collecta.

DEus, qui cónſpicis quia ex nulla noſtra virtúte ſubſíſtimus; concéde propítius: vt interceſſióne beáti Martíni confeſſóris tui, atque Pontíficis contra ómnia aduérſa muniámur. Per Dóminum noſtrum Iéſum Chriſtum Filium tuum. Qui tecum viuit.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccl. Cap. 44.

ECce Sacérdos magnus, qui in diébus ſuis plácuit Deo: & inuéntus eſt iuſtus. Et in témpore iracúndiæ factus eſt reconciliátio. Non eſt inuéntus ſimilis illi: qui conſeruáret legem Excélſi. Ideo iureiurándo: fecit illum Dóminus créſcere in plebem ſuam. Benedictiónem ómnium Géntium dedit illi: & teſtaméntum ſuum cōfirmáuit ſuper caput eius. Cognóuit eum in benedictiónibus ſuis: conſeruáuit illi miſericórdiam ſuam, & inuénit grátiam

coram óculis Dómini. Magnificáuit eum in conſpéctu Regum: & dedit illi corónam glóriæ. Státuit illi teſtaméntum ſempitérnum & dedit illi ſacerdótium magnum, & beatificáuit illū in glória. Fungi ſacerdótio: & habére laudem in nómine ipſius. Et offérre illi incénſum dignum: in odórem ſuauitátis.

℟. Inuéni Dauid ſeruum meum, óleo ſancto vnxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, & bráchium meum confortábit eum.

℣. Nihil proficiet inimícus in eo: & filius iniquitátis non nocébit ei.

Allelúia. ℣. Hic Martínus pauper & módicus cœlum diues ingréditur, hymnis cœléſtibus honorátur, allelúia. In tranſlatione

Euangel. ſecúndum Matthǽum. Cap. 24.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Vigiláte: quia neſcítis qua hora Dóminus veſter ventúrus ſit. Illud autem ſcitóte: quóniam ſi ſciret paterfamílias qua hora fur ventúrus eſſet, vigiláret vtique, & non síneret pérfodi domum ſuam. Ideo & vos eſtóte paráti: quia qua neſcítis hora Filius hóminis ventúrus eſt. Quiſputas eſt fidélis ſeruus & prudens, quem conſtítuit Dóminus ſuper familiam ſuā, vt det illis cibum in témpore? Beátus ille ſeruus: quem, cùm vénerit Dóminus eius, inuénerit ſic faciéntem. Amen dico vobis: quóniam ſuper ómnia bona ſua: conſtítuet eum. In eius vero natali Euangelium. Sint lumbi. pag. 202.

Offertorium. Inuéni Dauid ſeruum meum, óleo ſancto vnxi eum, manus enim mea auxiliábitur ei, & bráchium meum confortábit eum. Secreta.

DA miſéricors Deus, vt hæc nos ſalutáris oblátio, & à própriis reátibus indeſinénter expédiat, & ab ómnibus tueátur aduérſis. Per

Communio. Fidélis ſeruus & prudens, quem conſtítuit Dóminus ſuper famíliam ſuam: vt det illis in témpore trítici menſúram. Poſtcommunio.

PRæſta, quǽſumus, Dómine Deus noſter: vt quorum feſtiuitáte votíua ſunt ſacraménta: eórum ſalutária nobis interceſſióne reddántur. Per Dóminum noſtrum.

PER OCTA. ET IN OCT. SS. Apoſtol. Petri & Paul.

Introitus.

SApiéntiam Sanctórum narrāt pópuli, & laudē eórum núntiat Eccléſia: nómina autē eórum viuent in ſǽculum ſǽculi.

Pſalmus. Exultáte iuſti in Dómino: rectos decet collaudátio. Collecta.

DEus, cuius déxtera beátum Petrum ambulántē in flúctibus, ne mergerétur, eréxit: & coapóſtolum eius Paulum tértiò naufragántē de profúndo pélagi liberáuit: exáudi nos propítius: & concéde, vt ambórum méritis æternitátis glóriam conſequámur. Qui viuis.

Lectio libri Sapientiæ. Eccl. Cap. 44.

HI ſunt viri miſericórdiæ: quorū iuſtitiæ obliuiónem non accepérunt. Cū ſémine eórū pérmanent bona: hæréditas ſancta nepótes eórū. Et in teſtaméntis pacis ſtetit ſemē eórum: & filij eórū propter eos vſque in ætérnum manent. Generátio eórum & glória eórum: nō derelinquétur. Córpora eórum in pace ſepúlta ſunt: & nomen eórum viuet in ſǽcula. Sapiéntiam eórum narrábunt omnes pópuli: & laudem eórum pronúntiat: omnis Eccléſia Sanctórum.

℟. In omnem terram exíuit ſonus eórum, & in fines orbis terræ verba eórum. ℣. Cœli enárrant glóriam Dei, & ópera mánuum eius annúntiat firmaméntum.

Allelúia. ℣. Per manus autem Apoſtolórum

rum fiebant ſigna, & prodigia multa in plebe, allelúia.

Secúndum Matthæum. Cap. 14.

IN illo témpore: Iuſſit Ieſus diſcípulos ſuos aſcéndere in nauículā, & præcédere eum trans fretum: donec dimitteret turbas. Et dimíſſa turba: aſcéndit in mōtem ſolus oráre. Véſpere autem facto, ſolus erat ibi: nauícula autem in médio mari iactabátur flúctibus. Erat autem illis contrárius ventus. Quarta autem vigília noctis venit ad eos: ámbulās ſuper mare. Et vidéntes eum ſupra mare ambulántem: turbáti ſunt dicéntes, quia fantáſma eſt. Et præ timóre clamauérunt. Statímque Iéſus locútus eſt eis, dicens. Habéte fidúciam. Ego ſum: nolíte timére. Reſpóndens autem ei Petrus: dixit. Dómine: ſi tu es: iube me veníre ad te ſuper aquas. At ipſe ait. Veni. Et deſcéndens Petrus de nauícula, ambulábat ſuper aquam: vt veníret ad Iéſum. Videns verò ventum válidum: tímuit. Et cùm cœpíſſet mergi: clamáuit, dicens. Dómine: ſaluum me fac. Et cōtinuò Iéſus extendens manum apprehéndit eū: & ait illi. Módicæ fidei, quare dubitáſti? Et cùm aſcendiſſet in nauículam: ceſſáuit ventus. Qui autem in nauícula erāt: venérunt, & adorauérunt eum, dicéntes. Verè: Fílius Dei es.

Offertorium. Exultábunt Sancti in glória, lætabúntur in cubílibus ſuis, exultatiónes Dei in faúcibus eórum.

Secreta.

OFférimus tibi Dómine preces & múnera, quæ vt tuo digna ſint conſpéctu, Apoſtolórum tuórum précibus adiuuémur. Per Dó.

Communio. Ego vos elégi de mundo, vt eátis, & fructum afferátis, & fructus veſter máneat.

Poſtcommunio.

PRótege Dómine pópulū tuum, &, Apoſtolórum tuórum patrocínio confidéntem perpétua defenſióne conſérua. Per Dóminum.

SEPTEM FRATRVM martyrum. Introitus.



LAVDATE púeri Dóminum, laudáte nomē Dómini: qui habitáre facit ſtérilē in domo matrem filiórū lætántem. Pſalmus. Sit nomen Dómini benedíctum: ex hoc nūc, & vſque in ſæculum.

Collecta.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus: vt, qui glorióſos mártyres fortes in ſua confeſſióne cognóuimus, pios apud te in noſtra interceſſióne ſentiámus. Per Dóminum.

Lectio libri Sapiéntiæ. Cap. 5.

IVſti in perpétuum viuent: & apud Dóminum eſt merces eórum, & cogitátio eórum apud Altíſſimum. Ideo accípient regnum decóris & diadéma ſpeciéi de manu Dómini: quóniā déxtera ſua teget eos, & bráchio ſuo defféndet illos. Accípiēt armatúram zeli illíus: & armábit creatúram ad vltiónem inimicórum. Induent pro thoráce iuſtítiam: & accípient pro gálea iudícium certū. Sument ſcutum inexpugnábile æquitátem: ibunt diréctæ promiſſiónes. Et ad certum locum dedúcet illos: Dóminus Deus noſter.

℟. Ecce quàm bonum & quàm iucúndum habitáre fratres in vnum. ℣. Sicut vnguéntum in cápite, quod deſcéndit in barbam, barbam A'aron. Allelúia. ℣. Te mártyrum candidátus laudat exércitus, Dómine. allelúia.

Secúndum Matthæum. Cap. 12.

IN illo témpore: Loquēte Ieſu ad turbas: ecce mater eius & fratres ſtabant foris, quæréntes loqui ei. Dixit autem ei quidā. Ecce mater tua & fratres tui foris ſtant: quæréntes te. At ipſe reſpóndēs: dicénti ſibi ait. Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fra-

tres mei? Et exténdens manum in diſcípulos ſuos: dixit. Ecce mater mea: & fratres mei. Quicúnque enim fécerit voluntátem Patris mei, qui in cœlis eſt: ipſe meus frater, & ſoror & mater eſt.

Offertorium. Anima noſtra ſicut paſſer erépta eſt de láqueo venántium: láqueus contrítus eſt, & nos liberáti ſumus. Secreta.

SAcrificiis præſéntibus Dómine, quæſumus, inténde placátus, & intercedéntibus Sanctis tuis, deuotióni noſtræ proficiant & ſalúti. Per Dóminum noſtrum.

Communio. Quicúnque fécerit voluntátem Patris mei, qui in cœlis eſt: ipſe meus frater, ſoror & mater eſt, dicit Dóminus.

Poſtcommunio.

QVæſumus, omnípotens Deus: vt illíus ſalutáris capiámus effĕctum? cuius per hæc myſtéria pignus accépimus. Per Dóminum.

In tranſlatione Sancti Benedicti ſicut in eius nata. pag. 221.

In Clara valle SSS. martyrum Eutropij, Zozimæ & Bonoſæ, fiat ſicut de SS. Mauricio & ſociis eius vt in eorũ feſto, tacendo in collecta eorum nomina. Quãdo aliis diebus per annum de eiſdem martyribus Miſſa celebratur, tunc collectæ ſequentes dicuntur. Collecta

DEus, qui beátos Eutrópiũ Zozimã & Bonóſam martýrij glória mirífice decoráſti: da nobis fámulis tuis, eórum piis méritis, & in omni tribulatióne ſuccúrſum? & in hoſtíli tentatióne triúmphum. Per

Secreta.

SVménda Dómine Deus, tuæ pietátis libámina, ab omni nos mẽtis & córporis inquinatióne puríficent, quibus, Sanctórum mártyrum tuórum ſuffragántibus méritis, & de ſpirituálibus malis véniam, & de temporálibus patiéntiam cõſequámur. Per Dóminum. Poſtcommunio.

QVæſumus, omnípotens Deus? vt fámulos tuos ignis tuæ inſpiratiónis inflámmet: & quos ſuſcépti ſacrifícij tui timor humíliat? Sanctórum mártyrum tuórum interceſſio nómini tuo fáciat eſſe deuótos. Per Dóminum.

S. Margaretæ virginis. Collecta

OMnípotens ſempitérne Deus, qui infirma mũdi éligis, vt fórtia qúæque confúndas? cõcéde propítius: vt, qui beátę Margarétæ mártyris tuæ ſolémnia cólim? eius apud te patrocínia ſentiámus. Per. Secreta.

HOſtias, Dómine, quas tibi offérimus propítius ſúſcipe, &, intercedénte beáta Margaréta mártyre tua, víncula peccatórum noſtrórum abſólue. Per. Poſtcommunio.

REfécti cibo potúq; cœléſti, Deus noſter, te ſúpplices exorámus: vt, in cuius hæc commemoratióne percépimus? eius muniámur & précibus. Per Dóminum.

S. Praxedis virginis. Collecta.

EXaúdi nos Deus Salutáris noſter: vt ſicut de beátæ Praxédis feſtiuitáte gaudémus? ita piæ deuotiónis erudiámur affectu. Per. Secreta.

ACcépta tibi ſit, Dómine, ſacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum, quorum ſe méritis percepiſſe de tribulatióne cognóſcit auxílium. Per. Poſtcommunio.

SAtiáſti Dómine famíliam tuam munéribus ſacris: eius, quæſumus, ſemper interuentióne nos réfoue? cuius ſolémnia celebrámus. Per.

SANCTÆ MARIÆ MAGDALenæ. Introitus.



Audeámus omnes in Dómino, diem feſtum celebrãtes ſub honóre Maríę Magdalénæ: de cuius ſolẽnitáte gaudent A'ngeli, &. collaúdant Fílium Dei.

Pſalmus.

Pſalmus. Eructáuit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. Collecta.

EXaúdi nos Deus Salutáris noſter: vt ſicut de beátæ Maríæ Magdalénæ feſtiuitáte gaudémus? ita piæ deuotiónis erudiámur afféctu. Per.

Léctio libri Sapiéntiæ. Prou. Cap. 31.

MVlíerem fortem quis inuéniet? Procul, & de vltimis fínibus prétium eius. Confídit in ea cor viri ſui: & ſpóliis non indigébit. Reddet ei bonum & non malum: ómnibus diébus vitæ ſuæ. Quæſíuit lanam & linum: & operáta eſt consílio mánuum ſuárum. Facta eſt quaſi nauis inſtitóris: de longè portans panem ſuum. Et de nocte ſurréxit: dedítque prædam domeſticis ſuis, & cibária ancillis ſuis. Conſideráuit agrum & emit eum: de fructu mánuum ſuárum plantáuit víneam. Accínxit fortitúdine lumbos ſuos: & roboráuit bráchium ſuum. Guſtáuit, & vidit, quia bona eſt negotiátio eius: non extinguétur in nocte lucérna eius. Manum ſuam miſit ad fórtia: & dígiti eius apprehendérunt fuſum. Manum ſuam apéruit ínopi: & palmas ſuas exténdit ad paúperem. Non timébit dómui ſuæ à frigóribus niuis: omnes enim domeſtici eius veſtiti ſunt duplícibus. Stragulátam veſtem fecit ſibi: byſſus & púrpura induméntum eius Nóbilis in portis vir eius: quando ſéderit cum Senatóribus terræ. Síndonem fecit, & véndidit: & cíngulum trádidit Chananæo. Fortitúdo & decor induméntum eius: & ridébit in die nouíſſimo. Os ſuum apéruit ſapiéntiæ: & lex cleméntiæ in lingua eius. Conſideráuit ſémitam domus ſuæ: & panem otióſa non comédit. Surrexérunt filij eius & beatíſſimam prædicauérunt: & vir eius laudáuit eam. Multæ fíliæ congregauérunt diuítias: tu ſupergréſſa es vniuérſas. Fallax grátia, & vana eſt pulchritúdo: múlier timens Dóminum, ipſa laudábitur. Date ei de fructu mánuum ſuárum: & laudent eam in portis: ópera eius.

℟. Spécie tua & pulchritúdine tua, inténde, próſperè procéde, & regna. ℣. Propter veritátem & manſuetúdinem & iuſtítiam, & dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Allelúia. ℣. Surréxit Dóminus, & occúrrés muliéribus ait, auéte: tunc acceſſérunt, & tenuérunt pedes eius, allelúia.

Secúndum Lucam. Cap. 7.

IN illo témpore: Rogábat Iéſum quidam Phariſæus: vt manducáret cum illo. Et ingréſſus domũ Phariſæi: diſcúbuit. Et ecce múlier, quæ erat in ciuitáte peccátrix, vt cognóuit quòd accubuíſſet in domo Phariſæi: áttulit alabáſtrum vnguénti & ſtans retrò ſecus pedes eius, láchrymis cœpit rigáre pedes eius, & capillis cápitis ſui tergébat. Et oſculabátur pedes eius: & vnguénto vngébat. Videns autem Phariſæus, qui vocáuerat eum: ait intra ſe, dicens. Hic ſi eſſet Prophéta: ſciret vtique quæ & qualis eſt múlier, quæ tangit eum, quia peccátrix eſt. Et reſpóndens Iéſus: dixit ad illum. Simon: hábeo tibi áliquid dícere. At ille ait. Magíſter: dic. Duo debitóres erant cuidam fœneratóri: vnus debébat denários quingéntos, & álius quinquagínta. Non habéntibus illis vnde rédderent: donáuit vtríſque. Quis ergo eum plus díligit? Reſpóndens Simon: dixit. Æ'ſtimo: quia is, cui plus donáuit. At ille dixit ei. Rectè iudicáſti. Et conuérſus ad mulíerem: dixit Simóni. Vides hanc mulíerem? Intráui in domum tuam: aquam pédibus meis non dediſti. Hæc autem láchrymis rigáuit pedes meos: & capillis ſuis terſit. O'ſculum mihi non dediſti: hæc autem ex quo intráuit, non ceſſáuit oſculári pedes meos. O'leo caput meum non vnxiſti: hæc autem vn-

guénto vnxit pedes meos. Propter quod dico tibi. Remittúntur ei peccáta multa: quóniã diléxit multùm. Cui autem minùs dimíttitur: minùs díligit. Dixit autem ad illam Remittúntur tibi peccáta tua. Et cœpérũt, qui ſimul accumbébant dícere intra ſe. Quis eſt hic, qui étiam peccáta dimíttit? Dixit autem ad mulierem. Fides tua: te ſaluã fecit. Vade: in pace.

Offertorium. Angelus Dómini deſcéndit de cœlo: & dixit mulíeribus: quem quæritis, ſurréxit, ſicut dixit, allelúia.

Secreta.

ACcépta tibi ſit, Dómine, ſacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum, quorum ſe méritis percepíſſe de tribulatióne cognóſcit auxílium Per Dóminum.

Communio. Diffúſa eſt grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Poſtcommunio

SAtiáſti Dómine famíliam tuam munérib⁹ ſacris: eius, quǽſumus, ſemper interuentióne nos réfoue: cuius ſolémnia celebrámus. Per Dó.

S. APOLLINARIS EPISCOPI & martyris. Introitus.

SAcerdótes Dei benedícite Dóminum: Sancti & húmiles corde laudáte Deũ. Pſalm. Benedícite ómnia ópera Dómini Dómino: laudáte, & ſuperexaltáte eum in ſæcula.

Collecta.

DEus, qui nos beáti Apollináris mártyris tui atque Põtíficis ánnua ſolemnitáte lætíficas: concéde propítius: vt, cuius natalítia cólimus: de eiúſdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

Lectio libri Sapientiæ. Eccl^ci. Cap. 14.

BEátus vir, qui in ſapiéntia morabitur & qui in iuſtitia meditábitur: & in ſenſu cogitábit circumſpectiónem Dei. Cibábit illum pane vitæ & intelléctus: & aqua ſapiéntiæ ſalutáris potábit illum. Et firmábitur in illo, & non flectétur: & continébit illum, & non confundétur, & exaltábit illum apud próximos ſuos. Et nómine ætérno hæreditábit illum: Dóminus Deus noſter. Cap. 15.

℟. Iuſtus non conturbábitur, quia Dóminus firmat manum eius. ℣. Tota die miserétur, & cómmodat, ſemen eius in benedictióne erit.

Allelúia. ℣ Poſuíſti Dómine in cápite eius corónam de lápide pretióſo. allelúia.

Secúndum Lucam. Cap. 22.

IN illo témpore: Facta eſt conténtio inter diſcípulos: quis eórum viderétur eſſe maior. Dixit autem eis Ieſus. Reges Géntium dominántur eórum: & qui poteſtátem habent ſuper eos benéfici vocántur. Vos autẽ non ſic. Sed qui maior eſt in vobis: fiat ſicut iúnior. Et qui præcéſſor eſt: ſicut miniſtrátor. Nam quis maior eſt qui recúmbit, an qui miníſtrat? Nonne qui recúmbit? Ego autem in médio veſtrum ſum: ſicut qui miníſtrat. Vos autem eſtis: qui permanſíſtis mecum in tentatiónibus meis. Et ego diſpóno vobis, ſicut diſpóſuit mihi Pater meus regnum: vt edátis, & bibátis ſuper menſam meam in regno meo, & ſedeátis ſuper thronos: iudicántes duódecim Tribus Iſráel.

Offertorium. Véritas mea & miſericórdia mea cum ipſo, & in nómine meo exaltábitur cornu eius.

Secreta.

MV'nera tibi Dómine dicáta ſanctífica, &, intercedénte beáto Apollináre mártyre tuo atque Pontífice, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum.

Communio. Semel iurávi in Sancto meo: ſemen eius in ætérnum manébit: & ſedes eius ſicut Sol in conſpéctu meo, & ſicut Luna perfécta in ætérnum, & teſtis in cœlo fidélis.

Poſtcommunio.

HÆc nos commúnio, Dómine, purget à crímine: & intercedēte beáto Apollináre mártyre tuo, atque Pontífice, cœléſtis remédij fáciat eſſe conſórtes. Per Dóminum.

S. Chriſtinæ virginis. Collecta.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui infírma mundi éligis, vt fórtia quæque confúndas: concéde propítius: vt, qui beátæ Chriſtínæ mártyris tuæ ſolémnia cólimus: eius apud te patrocínia ſentiámus. Per Dóminum. Secreta

HO'ſtias, Dómine, quas tibi offérimus, propítius ſúſcipe, & intercedénte beáta Chriſtína mártyre tua, víncula peccatórum noſtrórum abſólue. Per Dóminum.

Poſtcommunio.

REfécti cibo potúque cœléſti, Deus noſter, te ſúpplices exorámus: vt, in cuius hæc commemoratióne percépimus: eius muniámur & précibus. Per Dóminum.

SANCTI IACOBI APOſtoli. Introitus.

MIhi autem nimis honoráti ſunt amíci tui, Deus: nimis confortátus eſt principátus eórum. Pſalmus. Dómine probáſti me, & cognouíſti me: tu cognouíſti ſeſſiónem meam, & reſurrectiónem meam. Collecta

ESto Dómine plebi tuæ ſanctificátor & cuſtos: vt Apóſtoli tui Iacóbi muníta præsídiis & conuerſatióne tibi pláceat: & ſecúra deſéruiat. Per Dóminum.

Ad Ephéſios. Cap. 2.

FRatres: Iam non eſtis hóſpites & áduenæ: ſed eſtis ciues Sāctórum & doméſtici Dei ſuperædificáti ſuper fundaméntum Apoſtolórum & Prophetárum, ipſo ſummo anguláti lápide Chriſto Iéſu. In quo omnis ædificátio conſtrúcta: creſcit in templum ſanctum in Dómino. In quo & vos coædificámini in habitáculum Dei: in Spíritu Sancto.

℞. Nimis honoráti ſunt amíci tui Deus, nimis confortátus eſt principátus eórum.

℣. Dinumerábo eos, & ſuper arénam multiplicabúntur. Allelúia. ℣. Non vos me elegíſtis, ſed ego vos elégi, & póſui vos: vt eátis, & fructum afferátis: & fructus veſter máneat, allelúia.

Secúndum Matthǽum. Cap. 20.

IN illo témpore: Accéſſit ad Iéſum mater filiórum Zebedǽi cum filiis ſuis: adórans, & petēs áliquid ab eo. Qui dixit ei. Quid vis? Ait illi. Dic vt ſédeant hi duo filij mei vnus ad déxteram tuam, & vnus ad ſiníſtram: in regno tuo. Reſpóndens autem Ieſus: dixit. Neſcítis quid petátis. Poteſtis bíbere cálicem, quem ego bibitúrus ſum? Dicunt ei. Póſſumus. Ait illis. Cálicem quidem meum bibétis: ſedére autem ad déxteram meam, & ad ſiníſtram, non eſt meum dare vobis: ſed quibus parátum eſt à patre meo. Credo.

Offertorium. In omnem terram exíuit ſonus eórum: & in fines orbis terræ verba eórum.

Secreta.

OBlatiónes pópuli tui, Dómine, quǽſumus, beáti Apóſtoli tui Iacóbi páſſio beáta concíliet, vt, quę noſtris non apta ſunt méritis, fiant tibi plácita eius deprecatióne. Per Dóminum.

Præfatio. Te Dómine ſupplí. pag. 184.

Communio. Vos, qui ſecúti eſtis me, ſedébitis ſuper ſedes, iudicántes duódecim Tribus Iſráel.

Poſtcommunio.

BEáti Apóſtoli tui Iacóbi, quǽſumus, Dómine interceſſióne nos ádiuua: pro cuius ſolemnitáte percépimus tua ſancta lætántes. Per Dóminum noſtrum.

Digitized by Google

Eodem die SS. Chriſtofori & Cucufatis. mart. Collecta.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus: vt, qui Sanctorũ tuórum ſolémnia cólimus, eórum étiam virtútes imitémur. Secreta.

HOſtia hæc, quæſumus, Dómine, quam Sanctórum tuórum natalítia recenſéntes offérimus & víncula noſtræ prauitátis abſóluat, & tuæ nobis miſericórdię dona concíliet. Per Dóminum. Poſtcommunio.

SAcro múnere ſatiáti ſúpplices te Dómine, deprecámur: vt quod débitæ ſeruitútis celebrámus officio, ſaluatiónis tuæ ſentiámus augméntum. Per Dóminum.

S. ANNÆ MATRIS B. VIRginis Mariæ. Introitus.



Audeámus omnes in Dómino, diem feſtum celebrátes ſub honóre ſanctę Annę matris Maríę vírginis: de cuius ſolemnitáte gaudẽt A'ngeli, & collaúdant Fílium Dei.

Pſalmus. Eructáuit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. Collecta.

DEus, qui hodiérnam diem beátæ Annę natalítio venerábilem feciſti, concéde propítius: vt nos, qui eam genitrícem tuæ matris cognóſcimus & fatémur, ipsíus apud te interceſſiónibus adiuuémur. Qui viuis & regnas.

Léctio libri Sapiéntiæ. Prou. Cap. 31.

MVlíerem fortem quis inuéniet? Procul, & de vltimis finibus prétium eius. Confidit in ea cor viri ſui: & ſpóliis non indigébit. Reddet ei bonum & non malum: ómnibus diébus vitæ ſuæ. Quæſiuit lanam & linum: & operáta eſt conſilio mánuum ſuárum. Facta eſt quaſi nauis inſtitóris: de longè portans panem ſuum. Et de nocte ſurréxit: dedítque prædam domeſticis ſuis, & cibária ancillis ſuis. Conſiderauit agrum & emit eum: de fructu mánuum ſuárum plantáuit víneam. Accínxit fortitúdine lumbos ſuos: & roboráuit bráchium ſuum. Guſtáuit, & vidit, quia bona eſt negotiátio eius: non extinguétur in nocte lucérna eius. Manum ſuam miſit ad fórtia: & dígiti eius apprehendérunt fuſum. Manum ſuam apéruit ínopi: & palmas ſuas exténdit ad paúperem. Non timébit dómui ſuæ à frigóribus niuis: omnes enim domeſtici eius veſtiti ſunt duplícibus. Stragulátam veſtem fecit ſibi: byſſus & púrpura induméntum eius. Nóbilis in portis vir eius: quando ſéderit cum Senatóribus terræ. Síndonem fecit, & véndidit: & cíngulum trádidit Chananǽo. Fortitúdo & decor induméntum eius: & ridébit in die nouiſſimo. Os ſuum apéruit ſapiéntiæ: & lex cleméntiæ in lingua eius Conſiderauit ſémitam domus ſuæ: & panem otióſa non comédit. Surrexérunt filij eius, & beatiſſimam prædicauérunt: & vir eius laudáuit eam. Multæ filiæ congregauérunt diuítias: tu ſupergréſſa es vniuérſas. Fallax grátia, & vana eſt pulchritúdo: múlier timens Dóminum, ipſa laudábitur. Date ei de fructu mánuum ſuárum: & laudent eam in portis: ópera eius.

℟. Propter veritátem & manſuetúdinem & iuſtítiam, dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Audi filia, & vide, & inclína aurem tuam quia concupíuit Rex ſpéciem tuã. Allelúia. ℣. Salue mater matris Chriſti: quæ iam fœlix conſcendiſti iúbilans ad æthera, iter nobis para tutum, vt in Dómini Virtútum collocémur déxtera, allelúia.

Inítium ſancti Euangélij ſecúndum Matthæum. Cap. 1.

LIber generatiónis Iéſu Chriſti filij Dauid: filij Abrahã. Abráham:

génuit

Digitized by Google

génuit I'ſaac. I'ſaac autem: génuit I'acob. I'acob autem: génuit Iúdam & fratres eius. Iúdas autem: génuit Pharès & Zaram de Thamar. Pharès autem: génuit Eſrom. Eſrom autẽ: génuit Aram. Aram autem: génuit Amínadab. Amínadab autẽ: génuit Naáſon. Naáſon autem: génuit Salmon. Salmon autem: génuit Booz de Raab. Booz autem: génuit Obeth ex Ruth. Obeth autem: génuit Ieſſe. Ieſſe autem: génuit Dauid Regem. Dauid autem Rex: génuit Salomónem ex ea, quæ fuit Vriæ. Sálomòn autem: génuit Róboàm. Róboàm autem: génuit Abía. Abía autem: génuit Aſa. Aſa autem: génuit Ióſaphat. Ióſaphat autẽ: génuit Ióram. Ióram autem: génuit Ozíam. Ozías autem: génuit Ióathàn. Ióathàn autem: génuit Achaz. Achaz autem: génuit Ezechíam. Ezechías autem: génuit Manáſſem. Manáſſes autem: génuit Amon. Amon autem: génuit Ioſíam. Ioſías autem: génuit Iechoníam & fratres eius in trãſmigratióne Babylónis. Et poſt tranſmigratiónem Babylónis. Iechonías génuit Saláthiel. Saláthiel autẽ: génuit Zoróbabel. Zoróbabel autem: génuit A'biùd. A'biùd autem: génuit Elíacìm. Elíacìm autem: génuit Azor. Azor autem: génuit Sadóch. Sadóch autem génuit Achìm. Achìm autẽ: génuit Eliùd. Eliùd autem: génuit Eleázar. Eleázar autem: génuit Matham. Matham autem: génuit I'acob. I'acob autem: génuit Ióſeph virum Mariæ. De qua natus eſt Iéſus: qui vocátur Chriſtus.

Offertorium. Diffúſa eſt grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, & in ſæculum ſæculi. Secreta.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus, vt quod inuiſíbile celebrámus ſacraméntũ, intercedénte beáta Anna matre vírginis glorióſæ, ad ſalútem noſtrárum tránſeat animárum. Per Dóminum.

Communio. Símile eſt regnum cœlórum hómini negotiatóri quæréni bonas margarítas: inuénta vna pretióſa margaríta, dedit ómnia ſua, & comparáuit eam.

Poſtcommunio.

SVmptis ſacraméntis, quæſumus, Dómine, intercedénte beáta Anna matre matris Vnigéniti Fílij tui: vt nos ab hóſtium defendas formídine? & ætérnæ mortis amaritúdine. Per eúndem.

In commemoratione eiuſdem aliis diebus per annũ Gaudeámus omnes in Dómino. vt in feſto, vel dicatur. Introitus.

Dilexíſti iuſtítiã, & odíſti iniquitátẽ: proptérea vnxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ cõſórtibus tuis. Pſalmus. Eructáuit cor meum verbum bonum dico ego ópera mea Regi. Collecta.

DEus, qui beátæ Annæ tantam grátiam donáre dignátus es, vt beatíſſimam Maríam matrẽ tuam in ſuo útero glorióſo portáre mererétur? da nobis, quæſumus, per intercesſiónẽ matris & fíliæ, tuæ propitiatiónis abũdántiam: vt quarum memóriam pio amóre compléctimur? eárum méritis & précibus ad cœléſtem Ierúſalem peruenire mereámur. Qui viuis. Cætera vt in Miſſa præcedenti præter ea quæ ſequuntur.

Tempore Paſchali ſecundum Allelúia. ℣. Spécie tua & pulchritúdine tua: inténde, próſperè procéde, & regna. Secreta.

SVper has oblatiónes, quæſumus, omnípotens Pater, quæ in memóriam ſanctíſſimæ Annæ matris beatíſſimæ genitrícis Vnigéniti Fílij tui Dómini noſtri cõſecrántur, tuam effúnde benedictiónem, & per eas nobis tríbue córdium purificatiónem, & múnerum tuórum

veram participatiónẽ. Per eúndem.

Poſtcommunio.

SVmpta ſacraménta, quǽſumus Dómine, intercedénte beáta Anna matre glorióſæ genitrícis Vnigéniti tui, nos ab hóſtium defendãt formídine? & ætérnæ mortis amaritúdine. Per eúndem.

SSS. Nazarij, Celſi, & Pantaleonis.

Collecta.

PRæſta, quǽſumus, omnípotens Deus: vt, qui glorióſos mártyres fortes in ſua confeſſióne cognóuimus? pios apud te in noſtra interceſſióne ſentiámus. Per Dóminum.

Secreta.

SAcrifíciis præſéntibus Dómine, quǽſumus, inténde placátus, &, intercedéntibus Sanctis tuis, deuotióni noſtræ profíciant & ſalúti. Per Dóminum noſtrum.

Poſtcommunio.

QVǽſumus, omnípotens Deus: vt illíus ſalutáris capiámus efféctum? cuius per hæc myſtéria pignus accépimus. Per Dóminum.

S. FELICIS PAPÆ ET MART.

Introitus.

SAcerdótes eius índuam Salutári: & Sancti eius exultatióne exultábunt. Pſalmus. Meménto Dómine Dauid: & omnis manſuetúdinis eius.

Collecta.

INfirmitátem noſtrã réſpice omnípotens Deus: & quia pondus própriæ actiónis grauat? beáti Felícis mártyris tui atque Pontíficis intercéſſio glorióſa nos prótegat. Per Dóminum noſtrum.

Lectio libri Sapiéntiæ. Ecclci. Cap.31.

BEátus vir, qui inuéntus eſt ſine mácula: & qui poſt aurum non ábiit: nec ſperáuit in pecúnię theſauris. Quis eſt hic, & laudábimus eum? Fecit enim mirabília in vita ſua. Qui probátus eſt in illo, & perféctus inuéntus eſt: & erit illi glória ætérna. Qui pótuit tránſgredi, & non eſt tranſgréſſus: & fácere mala, & non fecit. Ideo ſtabilíta ſunt bona illíus in Dómino: & eleemóſynas illíus enarrábit: omnis Eccléſia Sanctórum.

℟. Sacerdótes eius índuam ſalutári, & Sancti eius exultatióne exultábũt. ℣. Illuc prodúcam cornu Dauid: paráui lucérnam Chriſto meo.

Allelúia. ℣. Diſpóſui teſtaméntum eléctis meis, iuráui Dauid ſeruo meo. allelúia.

Secúndum Lucam. Cap.12.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Sint lumbi veſtri præcíncti: & lucérnæ ardéntes in mánibus veſtris Et vos símiles homínibus expectántibus Dóminũ ſuum, quando reuertátur à núptiis: vt cùm vénerit, & pulſáuerit, cõféſtim apériant ei. Beáti ſerui illi: quos cùm vénerit Dóminus, inuénerit vigilántes. Amen dico vobis: quod præcínget ſe, & fáciet illos diſcúmbere, & tránſiens miniſtrábit illis. Et ſi vénerit in ſecúnda vigília, & ſi in tértia vigília vénerit, & ita inuénerit: beáti ſunt ſerui illi. Hoc autem ſcitóte: quóniam ſi ſciret paterfamílias qua hora fur veníret, vigiláret vtique, & non ſíneret pérfodi domum ſuam. Et vos eſtóte paráti: quia qua hora non putátis: fílius hóminis véniet.

Offertoriũ. Lætámini in Dómino, & exultáte iuſti: & gloriámini omnes recti corde.

Secreta.

ACcépta ſit in conſpéctu tuo, Dómine, noſtra deuótio, & eius nobis fiat ſupplicatióne ſalutáris, pro cuius ſolémnitáte defértur. Per Dóminum noſtrum.

Communio. Iuſtórum ánimæ in manu Dei ſunt, & non tãget illos torméntum malítiæ: viſi ſunt óculis inſipiéntium mori, illi autem ſunt in pace.

Poſtcommunio

SPíritum nobis Dómine tuæ charitátis infúnde: vt, quos vno pane cœléſti ſatiáſti; intercedénte beáto Fœlíce mártyre tuo atque Pontífice, tua fácias pietáte concórdes. Per. in vnitáte eiúſdem.

Eodem die. SSS. Simplicij, Fauſtini, & Beatricis martyrum. Collecta.

DEus, qui nos ánnua Sanctórum tuórum ſolemnitáte lætíficas; concéde propítius: vt, quorum gaudémus méritis; accendámur exémplis. Non dicitur Collecta. Concéde quæſumus. Secreta.

OBlátis, quæſumus, Dómine placáre munéribus, &, intercedéntibus Sanctis tuis, à cunctis nos defénde perículis. Per Dóminum.

Poſtcommunio.

HÆc nos commúnio, Dómine, purget à crímine; &, intercedéntibus Sanctis tuis, cœléſtis remédij fáciat eſſe conſórtes. Per Dómi.

SS. ABDON ET SENNES.

Introitus.

INtret in conſpéctu tuo Dómine, gémitus compeditórũ: redde vicínis noſtris ſéptuplũ in ſinu eórum, víndica ſánguinem Sanctórum tuórum, qui effúſus eſt.

Pſalmus. Deus venérunt Gentes in hæreditátem tuam: polluérunt templum ſanctum tuum, poſuérunt Ierúſalem in pomórum cuſtódiam. Collecta.

DEus, qui Sanctis tuis Abdon & Sennem ad hanc glóriam veniéndi copióſum munus grátiæ contulíſti: da fámulis tuis ſuórum véniam peccatórum; vt, Sanctórũ tuórum intercedéntibus méritis, ab ómnibus mereámur aduerſitátibus liberári. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Prouerb. Cap. 15.

LIngua ſapiéntiũ ornat ſciéntiam: os fatuórum ebúllit ſtultítiam. In omni loco: óculi Dómini contemplántur bonos & malos. Lingua placábilis lignum vitæ: quæ autem immoderáta eſt, cónteret ſpíritum. Domus iuſti plúrima fortitúdo: & in frúctibus ímpij conturbátio. Lábia ſapiéntium diſſeminábunt ſciéntiam: cor ſtultórum diſsímile erit. Víctimæ impiórum abominábiles Dómino: vota iuſtórum placabília. Qui ſéquitur iuſtítiam: dilígitur à Dómino.

℟. Glorióſus Deus in Sanctis ſuis, mirábilis in maieſtáte fáciens prodígia. ℣. Déxtera tua, Dómine, glorificáta eſt in virtúte, déxtera manus tua confrégit inimícum.

Allelúia. ℣. Te mártyrum candidátus laudat exércitus, Dómine, allelúia.

Secúndum Matthæum. Cap. 10.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Ecce ego mitto vos: ſicut oues in médio lupórum. Eſtóte ergo prudéntes ſicut ſerpéntes: & símplices ſicut colúmbæ. Cauéte autem ab homínibus. Tradent enim vos in concíliis: & in Synagógis ſuis flagellábunt vos. Et ad præſides & ad Reges ducémini propter me: in teſtimóniũ illis & Géntibus. Cùm autem tradẽt vos: nolíte cogitáre quómodò aut quid loquámini. Dábitur enim vobis in illa hora: quid loquámini. Non enim vos eſtis, qui loquímini: ſed Spíritus Patris veſtri, qui lóquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem: & pater fílium. Et inſúrgent filij in paréntes: & morte eos afficient. Et éritis ódio ómnibus: propter nomen meum. Qui autem perſeueráuerit vſque in finem: hic ſaluus erit.

Offertorium. Mirábilis Deus in Sanctis ſuis, Deus Iſráel, ipſe dabit virtútem & fortitúdinem plebi ſuæ, benedíctus Deus, allelúia.

Secreta.

HÆc hóſtia, quǽſumus, Dómine, quam in Sanctórũ tuórum natalítiis recenſéntes offérimus, & víncula noſtræ prauitátis abſóluat & tuæ nobis miſericórdiæ dona concíliet. Per Dóminum.

Communio. Poſuérunt mortália ſeruórum tuórum, Dómine, eſcas volatílibus cœli, carnes Sanctórum tuórum béſtiis terræ, ſecúndum magnitúdinem bráchij tui póſſide fílios morti punitórum. Poſtcommunio.

PEr huius, Dómine, operatiónem myſtérij, & vítia noſtra purgéntur: & intercedéntibus Sanctis tuis, iuſta deſidéria compleántur. Per.

S. Germani Epiſcopi & Confeſ. Collecta.

DA, quǽſumus, omnípotens Deus: vt beáti Germáni confeſſóris tui atque Pontíficis veneránda ſolémnitas: & deuotiónem nobis áugeat & ſalútem. Secreta.

SAncti tui nos, quǽſumus, Dómine, vbíque lætíficent, vt dum eórum mérita recólimus, patrocínia ſentiámus. Poſtcommunio.

PRæſta, quǽſumus, omnípotens Deus: vt de percéptis munéribus grátias exhibéntes: beneficia potióra ſumámus. Per Dóminum.

AD VINCVLA SANCTI Petri. Introitus.



NVnc ſcio verè, quia miſit Dóminus A'ngelũ ſuum: & erípuit me de manu Heródis, & de omni expectatióne plebis Iudæórum. Pſalmus. Dómine probáſti me, & cognouíſti me: tu cognouíſti ſeſſiónem meam, & reſurrectiónem meam.

Collecta.

DEus, qui beátum Petrum Apóſtolum à vínculis abſolútum illǽſum abíre fecíſti: noſtrórum, quǽſumus, abſólue víncula peccatórũ: & ómnia mala à nobis propitiátus exclúde. Per Dóminum.

Léctio A'ctuum Apoſtolórum. Cap. 12.

IN diébus illis: Miſit Heródes Rex manus: vt afflígeret quoſdam de Eccléſia. Occídit autem Iacóbum: fratrem Ioánnis gládio. Videns autem quia placéret Iudǽis: appóſuit apprehéndere & Petrum. (Erant autem dies azymórum.) Quem, cũ apprehendíſſet, miſit in cárcerem: tradens quátuor quaterniónibus mílitum cuſtodiéndum, volens poſt Paſcha prodúcere eum pópulo. Et Petrus quidem ſeruabátur in cárcere: orátio autem fiébat ſine intermiſſióne ab Eccléſia ad Deum pro eo. Cum autem productúrus eum eſſet Heródes: in ipſa nocte erat Petrus dórmiens inter duos mílites vinctus caténis duábus. Et cuſtódes ante óſtium: cuſtodiébant cárcerem. Et ecce A'ngelus Dómini áſtitit: & lumen refúlſit in habitáculo. Percuſſóque látere Petri: excitáuit eum, dicens. Surge velóciter. Et cecidérunt caténæ de mánibus eius. Dixit autem A'ngelus ad eum. Præcíngere: & cálcea te cáligas tuas. Et fecit ſic. Et dixit illi. Circúnda tibi veſtiméntum tuum: & ſéquere me. Et éxiẽs ſequebátur eum: & neſciébat, quia verum eſt, quod fiébat per A'ngelum. Æſtimábat autem ſe viſum vidére. Tranſeúntes autem primã & ſecúndam cuſtódiam: venérunt ad portam férream, quæ ducit ad ciuitátem, quæ vltrò apérta eſt eis. Et exeúntes proceſſérunt vicum vnum: & contínuò diſcéſſit A'ngelus ab eo. Et Petrus ad ſe reuérſus, dixit. Nunc ſcio verè quia miſit Dóminus A'ngelum ſuum, & erípuit me de manu Heródis: & de omni expectatióne: plebis Iudæórum.

℟. Conſtítues eos Príncipes ſuper omnem

terram : mémores erunt nóminis tui, Dómine. ℣. Pro pátribus tuis nati ſunt tibi filij: proptérea pópuli confitebúntur tibi.

A llelúia. ℣. Beátus es Simon Bar-Iona: quia caro & ſánguis non reueláuit tibi: ſed Pater meus, qui eſt in cœlis, allelúia.

Secúndum Matthǽum. Cap. 16.

IN illo témpore: Venit Iéſus in partes Cæſáreæ Philíppi: & interrogábat diſcípulos ſuos, dicens. Quem dicunt hómines eſſe Filium hóminis? At illi dixérunt. A'lij Ioánnem Baptíſtam, álij autem Elíam, álij verò Ieremíam: aut vnum ex Prophétis. Dixit illis Iéſus. Vos autem quem me eſſe dícitis? Reſpóndens Simon Petrus: dixit. Tu es Chriſtus Filius Dei viui. Reſpóndens autem Iéſus: dixit ei. Beátus es Simon Bar-Iona: quia caro & ſanguis non reueláuit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus: & ſuper hanc petram ædificábo Eccléſiam meam. Et portę ínferi: non præualébunt aduérſus eam. Et tibi dabo claues regni cœlórum. Et quodcúnque ligáueris ſuper terram: erit ligátum in cœlis. Et quodcúnque ſólueris ſuper terram: erit ſolútum in cœlis. Credo.

Offertorium. Conſtítues eos Príncipes ſuper omnē terrā, mémores erunt nóminis tui in omni progénie & generatióne. Secreta.

OBlátum tibi, Dómine, ſacrifícium viuíficet nos ſemper & múniat. Per Dóminum.

Præfatio. Te Dómine ſupplí. pag. 184.

Communio. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificábo Eccléſiam meam.

Poſtcommunio.

COrporis ſacri & pretióſi ſánguinis repléti libámine, quǽſumus, Dómine Deus noſter: vt quod pia deuotióne gérimus? certa redemptióne capiámus. Per Dóminum.

Eódem die SS. Machabæorum. Collecta.

PRæſta, quǽſumus, omnípotens Deus: vt, qui glorióſos mártyres fortes in ſua confeſſióne cognóuimus? pios apud te in noſtra interceſſióne ſentiámus. Per Dóminum.

Secreta.

SAcrifíciis præſéntibus Dómine, quǽſumus, inténde placátus, &, intercedéntibus Sanctis tuis, deuotióni noſtræ profíciant & ſalúti. Per.

Poſtcommunio.

QVǽſumus, omnípotens Deus: vt illíus ſalutáris capiámus efféctum? cuius per hæc myſtéria pignus accépimus. Per Dóminum.

Ipſo etiam die S. Euſebij Epiſcopi & martyris. Collecta.

DA, quǽſumus, omnípotens Deus: vt, qui beáti Euſébij mártyris tui atque pontíficis ſolémnia cólimus? eius apud te interceſſiónibus adiuuémur. Per Dóminū.

Secreta.

HÆc hóſtia, quǽſumus, Dómine, emúndet noſtra delícta, & ſacrifícium celebrándum ſubditórum tibi córpora mentéſque ſanctíficet. Per Dóminum. Poſtcommunio.

REfécti participatióne múneris ſacri, quǽſumus, Dómine Deus noſter: vt, cuius exéquimur cultum? ſentiámus efféctum. Per Dóminum.

S. STEPHANI PAPÆ & mart.

Introitus.

SAcerdótes tui índuāt ſalutári, & Sancti eius exultatióne exultábunt. Pſalm. Meménto Dómine Dauid: & omnis manſuetúdinis eius. Collecta.

DEus, qui nos beáti Stéphani mártyris tui atque Pontíficis ánnua ſolemnitáte lætíficas? concéde propítius: vt, cuius natalítia cólimus? de eiúſdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

Ad Hebræos. Cap. 13.

FRatres: Doctrínis váriis & peregrínis: nolíte abdúci. O'ptimum eſt enim grátia ſtabilíre cor: nō eſcis, quæ non profuérunt ambulántibus in eis. Habémus altáre: de quo édere non habent poteſtátem, qui tabernáculo deſéruiunt. Quorum enim animálium infértur ſánguis pro peccáto in Sancta per Pontíficē: horum córpora cremátur extra caſtra. Propter quod & Iéſus, vt ſanctificáret per ſuum ſánguinem pópulum: extra portam paſſus eſt. Exeámus ígitur ad eum extra caſtra: impropérium eius portántes. Non enim habémus hîc manéntem ciuitátē: ſed futúram inquírimus. Per ipſum ergo offerámus hóſtiam laudis ſemper Deo: id eſt, fructum labiórum confiténtium nómini eius. Beneficéntiæ autem & communiónis: nolíte obliuíſci. Tálibus enim hóſtiis: promerétur Deus.

℞. Os iuſti meditábitur ſapiéntiam, & lingua eius loquétur iudícium. ℣. Lex Dei eius in corde ipſius, & nō ſupplantabúntur greſſus eius. Allelúia. ℣. Amáuit eum Dóminus, & ornáuit eum, ſtola glóriæ índuit eum. allelúia.

Secúndum Lucam. Cap. 19.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis parábolam hanc. Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam: accípere ſibi regnum, & reuérti. Vocátis autem decem ſeruis ſuis: dedit illis decem mnas. Et ait ad illos. Negotiámini dum vénio. Ciues autem eius óderāt illum: & miſérunt legatiónem poſt illum, dicéntes. Nólumus hunc regnáre ſuper nos. Et factū eſt vt redíret accépto regno: & iuſſit vocári ſeruos, quibus dedit pecúniam, vt ſciret quantum quiſque negotiátus eſſet. Venit autem primus: dicens. Dómine: mna tua decem mnas acquiſíuit. Et ait illi. Euge ſerue bone, quia in módico fuíſti fidélis: eris poteſtátem habens ſupra decem ciuitátes. Et alter venit, dicens. Dómine: mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait. Et tu eſto ſupra quinque ciuitátes. Et alter venit, dicens. Dómine: ecce mna tua, quam hábui repóſitam in ſudário. Tímui enim te, quia homo auſtérus es: tollis quod non poſuíſti, & metis quod non ſemináſti. Et dixit ei. De ore tuo te iúdico: ſerue nequam. Sciébas quòd ego homo auſtérus ſum: tollens quod non póſui, & metens quod non ſeminául. Et quare non dedíſti pecúniā meam ad menſam, & ego véniens, cum vſúris vtique exegíſſem illam? Et aſtántibus dixit. Auférte ab illo mnam: & date illi, qui decem mnas habet. Et dixérunt ei. Dómine: habet decē mnas. Dico autem vobis, quia omni habénti dábitur: ab eo autem, qui non habet, & quod habet auferétur ab eo. Verúntamen inimícos meos illos, qui noluérunt me regnáre ſuper ſe, addúcite huc: & interfícite ante me.

Offertorium. Inuéni Dauid ſeruum meum, óleo ſancto vnxi eum, manus enim mea auxiliábitur ei: & bráchium meum confortábit eum.

Secreta.

MV'nera tibi Dómine dicáta ſāctífica, &, intercedénte beáto Stéphano mártyre tuo atque Pontífice, per eádem nos placátus inténde. Per Dóminum.

Communio. Dómine quinque taléntatradidíſti mihi, ecce ália quinque ſuperlucrátus ſum, euge ſerue fidélis: quia in pauca fuíſti fidélis, ſupra multa te conſtítuam: intra in gaúdium Dómini tui.

Poſtcommunio.

HÆc nos commúnio, Dómine, purget à crímine: &, intercedénte beáto Stéphano mártyre tuo atque Pontífice, cœléſtis remédij fáciat eſſe consórtes. Per Dóminum noſtrum Iéſum Chriſtum.

Digitized by Google

In Inuentione S. Stephani Protomartyris fiat ſicut in eius natali. pag. 197.
De ſancto Dominico fiat ſicut de Sancto Antonio. pag. 205.

S. SIXTI PAPÆ ET MART

Introitus

SAcerdótes Dei benedícite Dóminum: Sancti & húmiles corde laudáte Deũ. Pſalmus. Benedícite ómnia ópera Dómini Dómino: laudáte & ſuperexaltáte eum in ſæcula.

Collecta.

DEus, qui cónſpicis quia ex nulla noſtra virtúte ſubſíſtimus: cócéde propítius: vt interceſſióne beáti Sixti mártyris tui atque Pontíficis contra ómnia aduérſa muniámur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Prouerb. Cap. 3.

BEátus homo, qui inuénit ſapiéntiã: & qui áffluit prudéntia. Mélior eſt acquiſitio eius negotiatióne argénti & auri: primi & puriſſimi fructus eius. Pretióſior eſt cunctis ópibus: & ómnia, quæ deſiderántur, huic non valent comparári. Longitúdo diérum in déxtera eius: & in ſiníſtra illíus diuítiæ & glória. Viæ eius viæ pulchræ: & omnes ſémitæ illíus pacíficæ. Lignum vitæ eſt his, qui apprehénderint eam: & qui tenúerit eam beátus. Dóminus ſapiéntia fundáuit terram: ſtabilíuit cœlos prudéntia. Sapiéntia illíus erupérunt abýſſi: & nubes rore concréſcunt.

℟. Sacerdótes eius índuam ſalutári, & Sancti eius exultatióne exultábunt. ℣. Illuc prodúcam cornu Dauid: paráui lucérnam Chriſto meo. Allelúia. ℣. Beátus vir, qui ſuffert tentatiónem, quóniam cùm probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. allelúia.

Secúndum Matthæum. Cap. 25.

IN illo témpore: Dixit Ieſus diſcípulis ſuis parábolam hanc. Homo quidam péregrè proficíſcens vocáuit ſeruos ſuos: & trádidit illis bona ſua. Et vni dedit quinque talénta: álij autem duo, álij verò vnum. Vnicuíque ſecúndum própriam virtútem: & profécтus eſt ſtatim. Abiit autem qui quinque talénta accéperat: & operátus eſt in eis, & lucrátus eſt ália quinque. Simíliter qui duo accéperat: lucrátus eſt ália duo. Qui autem vnum accéperat: ábiens fodit in terram, & abſcóndit pecúniam Dómini ſui. Poſt multum verò témporis: venit dóminus ſeruórum illórum, & póſuit ratiónem cum eis. Et accédẽs qui quinque talénta accéperat: óbtulit ália quinque talénta, dicens: Dómine: quinque talénta tradidiſt mihi: ecce ália quinque ſuperlucrátus ſum. Ait illi Dóminus eius. Euge ſerue bone & fidélis: quia ſuper pauca fuiſti fidélis ſupra multa te conſtítuam. Intra in gaúdium Dómini tui. Accéſſit. autem & qui duo talént accéperat: & ait. Dómine: duo talénta tradidíſti mihi: ecce ália duo lucrátus ſum. Ait illi Dóminus eius Euge ſerue bone & fidélis: quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra mult te conſtítuam. Intra in gaúdium Dómini tui.

Offertorium. Inuéni Dauid ſeruum meum óleo ſancto vnxi eum, manus enim mea auxiliábitur ei, & bráchium meum confortábit eum.

Secret.

SAcrifíciis præſéntibus Dómine quæſumus, inténde placátus v & deuotióni noſtræ profíciant & ſalúti. Per Dóminum.

Communio. Fidélis ſeruus & prudens, qu conſtítuit Dóminus ſuper famíliam ſuam vt det illis in témpore trítici menſúram.

Poſtcommunio.

PRæſta quæſumus, Dómine Deu noſter: vt, cuius nobis feſtiuitát

votíua ſunt ſacraménta⁊ eius ſalutária nobis interceſſióne reddántur. Per Dóminum.

Eodem die SS. Feliciſſimi & Agapiti martyrum. Collecta.

DEus, qui nos concédis Sanctórum mártyrum tuórum Feliciſſimi & Agápiti natalítia cólere⁊ da nobis in ætérna lætítia de eórum ſocietáte gaudére. Per Dóminũ. Secreta.

MV'nera tibi, Dómine, noſtræ deuotiónis offérimus, quæ & pro tuórum tibi grata ſint honóre iuſtórum, & nobis ſalutária, te miſeránte, reddántur. Per. Poſtcommunio.

PRæſta nobis Dómine quǽſumus, intercedéntibus Sanctis tuis Feliciſſimo & Agápito, vt, quæ ore contígimus⁊ pura mente capiámus.

Sancti Donati Epiſcopi, & Martyris. Collecta.

INfirmitátẽ noſtram réſpice omnípotens Deus: & quia pondus própriæ actiónis grauat⁊ beáti Donáti mártyris tui atque Pontíficis intercéſſio glorióſa nos prótegat. Per.

Secreta.

ACcépta ſit in conſpéctu tuo, Dómine, noſtra deuótio, & eius nobis fiat ſupplicatióne ſalutáris, pro cuius ſolemnitáte defértur. Per. Poſtcommunio.

SPíritum nobis Dómine tuæ charitátis infúnde: vt quos vno cœléſti pane ſatiáſti⁊ intercedénte beáto Donáto mártyre tuo atque Pontífice, tua fácias pietáte concórdes. Per. in vnitáte eiúſdem.

SS. CYRIACI SOCIORVM que eius. Introitus.

TIméte Dóminũ omnes Sancti ei⁹, quóniã nihil deeſt timéntib⁹ eũ: díuites eguérunt, & eſuriérunt, inquiréntes autem Dóminũ non defícient omni bono.

Pſalmus. Benedícam Dóminum in omni témpore: ſemper laus eius in ore meo.

Collecta.

DEus, qui nos ánnua beáti Cyríaci mártyris ſociorúmque eius ſolemnitáte lætíficas⁊ concéde propítius: vt, quorum natalítia cólimus⁊ virtútem quoque paſſiónis imitémur. Per Dóminum.

Ad Corinthios. 2. Cap. 1.

FRatres: Benedíctus Deus & Pater Dómini noſtri Iéſu Chriſti: Pater miſericordiárũ, & Deus totíus conſolatiónis, qui cõſolátur nos in omni tribulatióne noſtra, vt poſsímus & ipſi cõſolári eos, qui in omni preſſúra ſunt, per exhortatiónẽ, qua exhortámur & ipſi à Deo, quóniam ſicut abúndãt paſſiónes Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abúndat cõſolátio noſtra. Siue autem tribulámur pro veſtra exhortatióne & ſalúte, ſiue exhortámur pro veſtra conſolatióne & ſalúte: quæ operátur toleràntiam earúmdem paſſiónum, quas & nos pátimur. Et ſpes noſtra firma pro vobis: ſciéntes quóniam ſicut ſócij paſſiónum eſtis, ſic éritis & conſolatiónis. In Chriſto Iéſu: Dómino noſtro.

℞. Timéte Dóminum omnes Sancti eius, quóniam nihil deeſt timéntibus eum.

℣. Inquiréntes autem Dóminum non defícient omni bono. Allelúia. ℣. Iuſti epuléntur, & exúltent in conſpéctu Dei, delecténtur in lætítia. Allelúia.

Secúndum Matthǽum. Cap. 10.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Nihil opértum quod nõ reuelábitur: & occúltum quod non ſciétur. Quod dico vobis in ténebris: dícite in lúmine. Et quod in aure audítis: prædicáte ſuper tecta. Et nolíte timére eos, qui occídunt corpus, ánimam autem non poſſunt occídere: ſed pótiùs eum timéte, qui poteſt ánimam & corpus pérdere in gehénnam. Nonne duo paſſeres aſſe

væneunt,

væneunt, & vnus ex illis non cadet ſuper terrã ſine Patre veſtro? Veſtri autem capilli cápitis: omnes numeráti ſunt. Nolíte ergo timére: multis paſſéribus melióres eſtis vos. Omnis ergo qui cõfitébitur me coram hominibus: confitébor & ego eum coram Patre meo: qui eſt in cœlis.

Offertorium. Lætámini in Dómino, & exultáte iuſti: & gloriámini omnes recti corde.

Secreta.

ACcépta ſit in cõſpéctu tuo, Dómine, noſtra deuótio, & eórum nobis fiat ſupplicatióne ſalutáris, pro quorum ſolemnitáte deféртur. Per Dóminum.

Communio. Signa eos, qui in me credent, hæc ſequéntur dæmónia eiíciẽt, ſuper ægros manus impónent, & benè habébunt.

Poſtcommunio.

REfécti participatióne múneris ſacri, quæſumus, Dómine Deus noſter: vt, cuius exéquimur cultum, ſentiámus effectum. Per Dóminum.

IN VIGILIA SANCTI Laurentij. Introitus.

DIſpérſit dedit paupéribus, iuſtítia eius manet in ſæculum ſæculi: cornu eius exaltábitur in glória. Pſalmus. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis eius volet nimis. Collecta.

ADéſto Dómine ſupplicatiónibus noſtris: & interceſſióne beáti Lauréntij mártyris tui perpétuam nobis miſericórdiã benígnus impénde. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccl[ci]. Cap. 51.

COnfitébor tibi Dómine Rex: & collaudábo te Deum Saluatórem meum. Cõfitébor nómini tuo, quóniã adiútor & protéctor factus es mihi: & liberáſti corpus meum à perditióne. A láqueo linguæ iníquæ: & à lábiis operántium mendácium Et in conſpéctu perſequéntium factus es mihi adiútor: & liberáſti me ſecúndum multitúdinem miſericórdiæ nóminis tui. A rugiéntibus præparátis ad eſcam: de mánibus quæréntium ánimam meam, & de portis tribulatiónum, quæ circundedérũt me. A preſſúra flammæ, quæ circúndedit me: & in médio ignis non ſum æſtuátus. De altitúdine vẽtris ínferi, & à lingua coinquináta: & à verbo mendácij. A Rege iníquo: & à lingua iniúſta. Laudábit vſque ad mortem ánima mea Dóminum: quóniam éruis ſuſtinéntes te, & líberas eos de mánibus angúſtiæ: Dómine Deus noſter.

℟. Diſpérſit dedit paupéribus, iuſtítia eius manet in ſæculum ſæculi. ℣. Potens in terra erit ſemen eius: generátio rectórum benedicétur. Si fuerit Dominica. Allelúia. ℣. Beátus vir, qui ſuffert tentatiónem, quóniã cùm probátus fúerit, accípiet corónã vitæ. Allel.

Secúndum Matthæum. Cap. 16.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Si quis vult poſt me veníre: ábneget ſemetípſum, & tollat crucem ſuam, & ſequátur me. Qui enim volúerit ánimã ſuam ſaluam fácere: perdet illam. Qui autem perdíderit ánimã ſuam propter me: inuéniet eam. Quid enim prodeſt hómini ſi mundum vniuérſum lucrétur, ánimæ verò ſuæ detriméntum patiátur? Aut quã dabit homo commutatiónem pro ánima ſua? Filius enim hóminis ventúrus eſt in glória Patris ſui, cum A'ngelis ſuis: & tunc reddet vnicuíque ſecúndum ópera eius. Amen dico vobis: ſunt quidam de hîc ſtántibus, qui non guſtábunt mortem: donec vídeant filium hóminis veniéntem in regno ſuo.

Offertorium. Orátio mea mũda eſt, & ídeo peto, vt detur locus voci meæ in cœlo: quia

ibi eſt iudex meus, & cónſcius meus in ætérnum: aſcéndat ad Dóminum deprecátio mea. Secreta.

HOſtias, Dómine, quas tibi offérimus propítius ſúſcipe, &, intercedénte beáto Lauréntio mártyre tuo, víncula peccatórum noſtrórum abſólue. Per Dóminum.

Communio. Qui vult veníre poſt me, ábneget ſemetípſum: & tollat crucem ſuam, & ſequátur me. Poſtcommunio

DA, quæſumus, Dómine Deus noſter: vt, ſicut beáti Lauréntij mártyris tui commemoratióne temporáli gratulámur officio ⁊ ita perpétuo lætémur aſpéctu. Per Dó.

Eodem die Sancti Romani martyris.

Collecta.

ADéſto Dómine ſupplicatiónibus noſtris: vt, qui ex iniquitáte noſtra reos nos eſſe cognóſcimus ⁊ beáti Románi mártyris tui interceſſióne liberémur. Per Dómi. Secreta.

MVnéribus noſtris, quæſumus, Dómine, precibúſque ſuſcéptis, & cœléſtibus nos munda myſtériis, & cleménter exaúdi. Per Dóminum noſtrum. Poſtcommunio.

QVæſumus, omnípotens Deus: vt, qui cœléſtia aliménta percépimus ⁊ intercedénte beáto Románo mártyre tuo, per hæc contra ómnia aduérſa muniámur. Per Dó.

IN DIE PRIMA MISSA.

Introitus.

COnféſſio & pulchritúdo in conſpéctu eius: ſánctitas & magnificéntia in ſanctificatióne eius.

Pſalm. Cantáte Dómino cánticum nouum: cantáte Dómino omnis terra. Collecta.

EX'cita Dómine in Eccléſia tua Spíritum, cui beátus Lauréntius Leuíta ſeruíuit: vt, eódem nos repléte, ſtudeámus & amáre quod amáuit ⁊ & ópere exercére quod dócuit. Per eiúſdem.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccl[ci] Cap. 31.

BEátus vir, qui inuéntus eſt ſine mácula: & qui poſt aurum non ábiit, nec ſperáuit in pecúniæ theſaúris. Quis eſt hic, & laudábimus eum? Fecit enim mirabília in vita ſua. Qui probátus eſt in illo, & perféctus inuéntus eſt: & erit illi glória ætérna. Qui pótuit tránſgredi ⁊ & non eſt tranſgréſſus: & fácere mala, & non fecit. Ideo ſtabilíta ſunt bona illíus in Dómino: & eleemóſynas illíus enarrábit: omnis Eccléſia Sanctórum.

℟. Probáſti Dómine cor meum, & viſitáſti nocte. ℣. Igne me examináſti, & non eſt inuénta in me iníquitas.

Allelúia. ℣. Leuita Lauréntius bonũ opus operátus eſt, qui per ſignum crucis cæcos illumináuit, allelúia.

Secúndum Matthæum. Cap. 10.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Qui amat patrẽ aut matrem pluſquam me: non eſt me dignus. Et qui amat filium, aut filiam ſuper me: non eſt me dignus. Et qui non áccipit crucem ſuam, & ſéquitur me: non eſt me dignus. Qui ínuenit ánimam ſuam: perdet illam Et qui perdíderit ánimam ſuam propter me: inuéniet eam. Qui récipit vos: me récipit. Et qui me récipit: récipit eum, qui me miſit. Qui récipit Prophétam in nómine Prophétæ: mercédem Prophétæ accípiet. Et qui récipit iuſtum in nómine iuſti: mercédem iuſti accípiet. Et quicúnque potum déderit vni ex mínimis iſtis cálicem aquæ frigidæ tantum in nómine diſcípuli: amen dico vobis: non perdet mercédem ſuam.

Offertorium. Conféſſio & pulchritúdo in conſpéctu eius, ſánctitas & magnificéntia in ſanctificatióne eius. Secreta.

SAcrificium noſtrum tibi, Dómine, quæſumus, beáti Lauréntij precátio ſancta concíliet, vt, cuius honóre ſolémniter exhibétur, méritis efficiátur accéptum. Per Dómi.

Communio. Qui mihi miniſtrat, me ſequátur: & vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit. Poſtcommunio.

SVpplices te rogámus omnípotens Deus: vt, quos donis cœléſtibus ſatiáſti, intercedénte beáto Lauréntio mártyre tuo, perpétua protectióne cuſtódias. Per Dómi.

AD MAIOREM MISSAM.

Introitus.

COnféſſio & pulchritúdo in conſpéctu eius: ſánctitas & magnificéntia in ſanctificatióne eius. Pſalm. Cantáte Dómino cánticum nouum: cantáte Dómino omnis terra. Collecta.

DA nobis, quæſumus, omnípotens Deus: vitiórũ noſtrórum flammas extínguere, qui beáto Lauréntio tribuiſti tormentórum ſuórum incéndia ſuperáre. Per Dómi.

Ad Corinthios. 2. Cap. 9.

FRatres: Qui parcè ſéminat: parcè & metet. Et qui ſéminat in benedictiónibus: de benedictiónibus & metet. Vnuſquíſque prout deſtinánit in corde ſuo: non ex triſtítia, aut ex neceſſitáte. Hilarem enim datórem díligit Deus. Potens eſt autem Deus omnem grátiam abundáre fácere in vobis: vt in ómnibus ſemper omnem ſufficiéntiã habéntes, abundétis in omne opus bonum, ſicut ſcriptum eſt. Diſpérſit dedit paupéribus: iuſtítia eius manet in ſǽculum ſǽculi. Qui autẽ adminiſtrat ſemen ſemĩnánti: & panem ad manducándum præſtábit. Et multiplicábit ſemẽ veſtrum: & augébit incrementa frugum: iuſtítiæ veſtræ.

℟. Probáſti Dómine cor meum, & viſitáſti nocte. ℣. Igne me examináſti, & non eſt inuénta in me iníquitas.

Allelúia. ℣. Leuíta Lauréntius bonũ opus operátus eſt: qui per ſignum crucis cæcos illumináuit. allelúia.

Secúndum Ioánnem. Cap. 12.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Amen amen dico vobis: niſi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit, ipſum ſolum manet. Si autem mórtuum fúerit: multum fructum affert. Qui amat ánimam ſuam: perdet eam. Et qui odit ánimam ſuam in hoc mundo: in vitam ætérnam cuſtódit eam. Si quis mihi miniſtrat: me ſequátur. Et vbi ſum ego: illic & miniſter meus erit. Si quis mihi miniſtráuerit: honorificábit eum: Pater meus.

Offertorium. Conféſſio & pulchritúdo in conſpéctu eius, ſánctitas & magnificéntia in ſanctificatióne eius. Secreta.

ACcipe, quæſumus, Dómine múnera dignánter obláta, &, beáti Lauréntij ſuffragánribus méritis, ad noſtræ ſalútis auxílium prouenire concéde Per Dóminum.

Communio. Qui mihi miniſtrat me ſequátur: & vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit. Poſtcommunio.

SAcro múnere ſatiáti ſúpplices te Dómine, deprecámur: vt quod débitæ ſeruitútis celebrámus offício, intercedénte beáto Lauréntio, ſaluatiónis tuæ ſentiámus augméntum. Per Dóminum.

IN OCTAVA DIE IPSIVS S. Laurentij.

Introitus.

PRobáſti Dñe cor meum, & viſitáſti nocte: igne me examináſti: & non eſt inuénta in me iníquitas. Pſalmus. Exaúdi Dómine iuſtítiam meam: inténde deprecatiónẽ meam. Cætera omnia vt in prædicta maiori Miſſa S. Laurentij.

Digitized by Google

IN SVSCEPTIONE S. Coronæ Domini, prima Miſſa.
De S. Tyburtio. Introitus.

IVſtus vt palma florébit: ſicut Cedrus Líbani multiplicábitur plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei noſtri.

Pſalmus. Bonum eſt confitéri Dómino: & pſállere nómini tuo Altíſſime. Collecta.

BEáti Tybúrtij nos, Dñe, fóueant continuáta præsídia: quia non désinis propítius intuéri ✝ quos tálibus auxíliis cócéſſeris adiuuári. Per.

Léctio libri Sapiéntiæ. Cap. 4.

IVſtus ſi morte præoccupátus fúerit: in refrigério erit. Senéct⁹ enim venerábilis eſt non diutúrna: neque número annórum computáta. Cani ſunt autem ſenſus hóminis: & ætas ſenectútis vita immaculáta. Placens Deo factus diléctus: & viuens inter peccatóres tranſlátus eſt. Raptus eſt ne malítia mutáret intelléctum illíus:: aut ne fíctio decíperet ánimam illíus. Conſummátus in breui explé uit témpora multa: plácita enim Deo erat ánima illíus. Propter hoc properáuit edúcere illum de médio iniquitátum: quóniam grátia Dei, & miſericórdia eſt in Sanctos eius: & reſpéctus in eléctos illíus.

℟. Iuſtus non conturbábitur, quia Dóminus firmat manum eius. ℣. Tota die miſerétur & cómmodat, & ſemen eius in benedictióne erit.

Allelúia. ℣. Iuſtus vt palma florébit, & ſicut Cedrus multiplicábitur. allelúia.

Secúndum Lucam. Cap. 9.

IN illo tempore: Dixit Iéſus discípulis ſuis. Si quis vult poſt me veníre: ábneget ſemetípſum, & tollat crucem ſuam quotídie, & ſequátur me. Qui enim volúerit ánimã ſuam ſaluam fácere: perdet illã. Nam qui perdíderit ánimã ſuam propter me: ſaluam fáciet illam. Quid enim próficit homo ſi lucrétur vniuérſum mundum, ſe autem ipſum perdat, & detriméntũ ſui fáciat? Nam qui me erubúerit & meos ſermónes: hunc Fílius hóminis erubéſcet, cùm vénerit in maieſtáte ſua & Patris & Sanctórum Angelórum. Dico autẽ vobis: verè ſunt áliqui hîc ſtantes, qui non guſtábunt mortem: donec vídeant regnum Dei.

Offertorium. In virtúte tua, Dómine, lætábitur iuſtus, & ſuper ſalutáre tuum exultábit veheménter: deſidérium ánimæ eius tribuíſti ei. Secreta.

ADéſto Dómine précibus pópuli tui, adéſto munéribus, vt, quæ ſacris ſunt obláta myſtériis, tuórum pláceant interceſſióne Sanctórum. Per Dóminum noſtrum.

Communio. Poſuíſti Dómine in cápite eius corónam de lápide pretióſo.

Poſtcommunio.

SV'mpſimus, Dómine, pignus redemptiónis ætérnæ ✝ ſit nobis, quæſumus, interueniénte beáto Tybúrtio mártyre tuo, vitæ præſéntis auxílium páriter & futúræ. Per Dóminum noſtrum.

MAIOR MISSA DE S. Corona. Introitus.

GAudeámus omnes in Dómino, diem feſtum celebrãtes ſub honóre Corónæ Dómini: de cuius ſolemnitáte gaudent A'ngeli, & collaúdant Fílium Dei.

Pſalmus. O mnes Gentes plaúdite mánibus: iubiláte Deo in voce exultatiónis.

Collecta.

DEus, qui vnigéniti Fílij tui Dómini noſtri Ieſu Chriſti pretióſo ſánguine humánum genus redí-

mere

mere dignátus es : concéde propítius, vt, qui ad adorándam viuíficam corónam aduéniunt † à peccatórum ſuórum néxibus liberéntur. Per eúndem.

Léctio libri Sapiéntiæ. Cant. 3.

LEctulum Salomónis ſexagínta fortes ámbiunt : ex fortíſſimis Iſráel. Omnes tenéntes gládios : & ad bella doctíſſimi. Vniuſcuiúſque enſis ſuper femur ſuum : propter timóres noctúrnos. Férculum fecit ſibi Rex Sálomon : de lignis Líbani. Colúmnas eius fecit argénteas : reclinatórium áureum aſcénſum purpúreũ média charitáte conſtráuit, propter filias Ieruſalem. Egredímini, & vidéte filiæ Sion Regẽ Salomónem in diadémate, quo coronáuit eum mater ſua : in die deſponſatiónis eius & in die lætítiæ cordis illíus. Quàm pulchra es amíca mea, quàm pulchra es & decóra : óculi tui columbárum, abſque eo, quod intrínſecùs latet. Veni de Líbano ſponſa mea : veni de Líbano : veni coronáberis.

℟. Coróna áurea ſuper caput eius expréſſa ſigno ſanctitátis, glória honóris, & opus fortitúdinis. ℣. Quóniam præueníſti eum in benedictiónibus dulcédinis, poſuíſti in cápite eius corónam de lápide pretióſo.

Allelúia. ℣. Dulcis ſpina dulcis Chriſti dulcem pungens vérticem : quæ ſola fuíſti digna coronáre Regem cœlórum, & Dóminum, allelúia.

Secúndum Ioánnem. Cap. 19.

IN illo témpore : Apprehéndit Pilátus Ieſum : & flagellauit. Et mílites plecténtes corónam de ſpinis impoſuérunt cápiti eius : & veſte purpúrea circumdedérunt eum. Et veniébant ad eum : & dicébant. Aue Rex Iudæórum. Et dabant ei álapas. Exíuit autem Pilátus foras : & dixit eis. Ecce addúco vobis eum foras : vt cognoſcátis, quia in eo nullam cauſam inuénio. Exiuit ergo Ieſus portans ſpíneam corónam : & purpúreum veſtiméntum. Credo.

Offertorium. Lauda Ieruſalem Dóminum, quia dabit tibi corónam pro cínere : & eris coróna glóriæ in manu Dómini, & diadéma regni in manu Dei tui, allelúia.

Secreta.

OMnípotẽs ſempitérne Deus, fac nos ita Vnigéniti tui paſſiónis ſacraménta perágere, vt indulgéntiam percípere mereámur. Per eúndem Dóminum noſtrum.

Communio. Lætáre mater noſtra : quia dabit Dóminus cápiti tuo augménta gratiárum, & coróna ínclyta próteget te.

Postcommunio.

DA, quæſumus, omnípotens Deus : vt qui in tot aduérſis ex noſtra infirmitáte defícimus † intercedénte Vnigéniti Fílij tui paſſióne, reſpirémus. Per eúndem.

SS. HYPPOLITI MARTYRIS ſociorumque eius. Introitus.

IVſti epuléntur, & exúltent in conſpéctu Dei : delecténtur in lætítia. Pſalmus. Exúrgat Deus, & diſſipéntur inimíci eius : & fúgiant, qui odérunt eum, à fácie eius.

Collecta.

DA, nobis omnípotens Deus : vt beáti Hyppóliti mártyris tui ſociorúmque eius veneránda ſolémnitas † & deuotiónem nobis aúgeat & ſalútem. Per Dóminum.

Ad Hebræos Cap. 11.

FRatres. Sancti per fidem vicérunt regna : operáti ſunt iuſtítiã, adépti ſunt repromiſſiónes. Obturauérunt ora leónum : extinxérunt ímpetum ignis, effugérunt áciem gládij, conualuérunt de infirmitáte, fortes facti ſunt in bello. Caſtra vertérunt exterórũ : accepérunt mulíeres de reſurrectióne mórtuos ſuos

Digitized by Google

A'lij autem diſténti ſunt non ſuſcipiéntes redemptiónē: vt meliórem inuenírēt reſurrectiónem. A'lij verò ludíbria, & vérbera expérti inſuper & víncula, & cárceres: lapidáti ſunt, ſecti ſunt, tentáti ſunt, in occiſióne gládij mórtui ſunt. Circuiérunt in melótis, in péllibus caprínis: egéntes, anguſtiáti, afflícti quibus dignus non erat mundus. In ſolitudínibus errántes: in móntibus, & in ſpelúncis, & in cauérnis terræ. Et hi omnes: teſtimónio fídei probáti inuēti ſunt. In Chriſto Ieſu: Dómino noſtro.

℟. Iuſtórum ánimæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos torméntum malítiæ.

℣. Viſi ſunt óculis inſipiéntium mori, illi autem ſunt in pace. Allelúia. ℣. Sancti tui, Dómine, benedícent te, glóriam regni tui dicent, allelúia.

Sequéntia ſancti Euangélij ſecúndum Lucam. Cap. 12.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcípulis ſuis. Atténdite à ferménto Phariſæórum: quod eſt hypócriſis. Nihil autem opértum eſt, quod non reuelétur: neque abſcónditū, quod non ſciátur. Quóniam, quæ in ténebris dixiſtis, in lúmine dicéntur: &, quod in aure locúti eſtis in cubículis, prædicábitur in tectis. Dico autē vobis amícis meis: ne terreámini ab his, qui occídunt corpus, & poſt hæc non habent ámpliùs quid fáciant. Oſténdam autem vobis: quē timeátis. Timéte eum, qui poſtquam occíderit: habet poteſtátem míttere in gehénnam. Ita dico vobis: hunc timéte. Nonne quinque páſſeres væneunt dipóndio, & vnus ex illis non eſt in obliuióne coram Deo? Sed & capílli cápitis veſtri: omnes numeráti ſunt. Nolíte ergo timére: multis paſſéribus pluris eſtis. Dico autem vobis. Omnis quicúnque conféſſus fúerit me coram homínibus: & Fílius hóminis confitébitur illum coram A'ngelis Dei. Qui autem negáuerit me coram homínibus: denegábitur coram A'ngelis Dei.

Offertorium. Anima noſtra ſicut paſſer erépta eſt de láqueo venántium, láqueus contrítus eſt, & nos liberáti ſumus. Secreta.

RE'ſpice Dómine múnera pópuli tui Sanctórum feſtiuitáte votíua, & tuæ teſtificátio veritátis nobis proficiat ad ſalútem. Per Dóminū.

Communio. Dico autem vobis amícis meis: ne terreámini ab his, qui vos perſequúntur. Poſtcommunio.

SAcramentórum tuórum, Dómine, commúnio ſumpta nos ſaluet: & in tuæ veritátis luce confírmet. Per Dóminum.

IN VIGILIA ASSVMPTIONIS Sanctæ Mariæ.

Si Dominica fuerit prima Miſſa erit de Dominica, ad quam pro com. B. Mariæ dicetur Coll. Concéde nos. non autem Deus, qui virginálem. maior vero Miſſa erit de vigilia. Introitus.

SAlue ſancta parens, eníxa puérpera Regem: qui cœlū terrámque regit in ſǽcula ſæculórum.

℣. Benedícta tu in muliéribus: & benedíctus fructus ventris tui. non dicitur Glória in excélſis. niſi fuerit Dominica.

Collecta.

DEus, qui virginálem aulam beátæ Mariæ, in qua habitáres, elígere dignátus es: da, quǽſumus, vt ſua nos defenſióne munítos: iucúndos fácias ſuæ interéſſe feſtiuitáti. Qui viuis & regnas.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccl[i.] Cap. 24.

AB inítio & ante ſǽcula creáta ſum, & vſque ad futúrum ſǽculum non déſinam: & in habitatióne ſancta coram ipſo miniſtráui. Et ſic in Sion firmáta ſum, & in ciuitáte ſanctificáta ſimíliter requiéui:

&

& in Ierúſalem potéſtas mea. Et radicáui in pópulo honorificáto: & in partes Dei mei hæréditas illíus. Et in plenitúdine Sanctórum: deténtio mea.

℟. Benedícta & venerábilis es virgo María: quæ ſine tactu pudóris inuénta es mater Saluatóris. ℣. Virgo Dei génitrix, quem totus non capit orbis, in tua ſe clauſit víſcera factus homo. Si Dominica fuerit.

Allelúia. ℣. Virga Ieſſe flóruit, virgo Deũ & hóminem génuit: pacem Deus réddidit, in ſe reconcílians ima ſummis. allelúia.

Secúndum Lucam. Cap. 11.

IN illo témpore: Loquénte Iéſu ad turbas: extóllens vocem quædam múlier de turba, dixit illi. Beátus venter, qui te portáuit: & vbera, quæ ſuxíſti. At ille dixit. Quínimo: beáti qui aúdiunt verbum Dei: & cuſtódiunt illud.

Offertoriũ. Beáta es virgo María, quæ Dóminum portáſti creatórem mundi: genuíſti, qui te fecit, & in ætérnum pérmanes virgo.

Secreta.

MAgna eſt, Dómine, apud cleméntiam tuam Dei genitrícis orátio, quam idcírco de præſénti ſæculo tranſtuliſti, vt pro peccátis noſtris apud te fiduciáliter intercédat. Per eúndem.

Præfatio. Et te in veneratióne.

Communio. Beáta víſcera Maríæ vírginis, quæ portauérunt ætérni Patris Fílium.

Poſtcommunio.

COncéde miſéricors Deus fragilitáti noſtræ præsídium: vt, qui ſanctæ Dei genitrícis réquiem celebrámus ꝫ interceſſiónis eius auxílio à noſtris iniquitátibus reſurgámus. Per eúndem.

Eodem die S. Euſebij Confeſſoris.

Collecta.

DEus, qui nos beáti Euſébij confeſſóris tui ánnua ſolemnitáte lætíficas ꝫ concéde propítius: vt, cuius natalítia cólimus ꝫ per eius ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Secreta.

LAudis tuæ, Dómine, hóſtias immolámus in tuórum cõmemoratióne Sanctórum, quibus nos & præſéntibus éxui malis confídimus & futúris. Per Dóminum.

Poſtcommunio.

REfécti cibo potúque cœléſti, Deus noſter, te ſúpplices exorámus: vt, in cuius hæc commemoratióne percépimus ꝫ eius muniámur & précibus. Per Dóminum.

IN DIE EIVSDEM ASSVMP.

Introitus.

GAudeámus omnes in Dómino, diem feſtum celebrãtes ſub honóre Maríæ vírginis: de cuius Aſſũptióne gaudent Ángeli, & collaúdant Fílium Dei.

Pſalmus. Eructáuit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. Collecta.

FAmulórum tuórũ Dómine delíctis ignóſce: & qui placére de áctibus noſtris non valémus ꝫ genitrícis Fílij tui Dómini Dei noſtri interceſſióne ſaluémur. Per eúndem.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccl^ci. Cap. 24.

IN ómnibus réquiem quæſíui: & in hæreditáte Dómini morábor. Tunc præcépit, & dixit mihi creátor ómnium: & qui creáuit me, requiéuit in tabernáculo meo. Et dixit mihi. In Iacob inhábita, & in Iſráel hæreditáre: & in eléctis meis mitte radíces. Et ſic in Sion firmáta ſum, & in ciuitáte ſanctificáta ſimíliter requiéui: & in Ierúſalem potéſtas mea. Et radicáui in pópulo honorificáto: & in partes Dei mei hæréditas illíus, & in plenitúdine Sanctórum deténtio mea. Quaſi cedrus exaltáta ſum in Líbano: & quaſi cypréſſus in

monte Sion. Quaſi palma exaltáta ſum in Cades: & quaſi plantátio roſæ in Iéricho. Quaſi olíua ſpecióſa in campis: & quaſi plátanus exaltáta ſum iuxta aquam in platéis. Sicut cinnamómum, & bálſamum aromatizans: odórem dedi. Quaſi myrrha eléćta: dedi ſuauitátem odóris.

℟. Propter veritátem & manſuetúdinem & iuſtítiam, & dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Audi filia, & vide, & inclína aurem tuam, quia concupíuit Rex ſpéciem tuam.

Ad Primam Miſſam & priuatis diebus per octa. Allelúia. ℣. Aſſúmpta eſt María in cœlum, gaudent Angeli, & collaudántes benedícunt Dóminum, allelúia.

Ad maiorem Miſſam, in Dominica infra octauas, & in octaua die. Allelúia. ℣. Hódie María virgo cœlos aſcéndit, gaudéte quia cum Chriſto regnat in ætérnum, allelúia.

Secúndum Lucam. Cap. 10.

IN illo témpore: Intráuit Iéſus in quoddā caſtéllum: & múlier quædam Martha nómine excépit illum in domum ſuam. Et huic erat ſoror nómine María: quæ étiam ſedēs ſecus pedes Dómini audiébat verbum illius. Martha autem: ſatagébat circa frequēs miniſtérium. Quæ ſtetit: & ait. Dómine: non eſt tibi curæ quòd ſoror mea relíquit me ſolam miniſtráre? Dic ergo illi: vt me ádiuuet. Et reſpóndens: dixit illi Dóminus. Martha: Martha: ſolícita es: & turbáris erga plúrima. Porrò: vnum eſt neceſſárium. María óptimā partem elégit: quæ non auferétur ab ea. Credo.

Offertorium. Fœlix namque es ſacra virgo María, & omni laude digníſſima: quia ex te ortus eſt Sol iuſtítiæ Chriſtus Deus noſter. allelúia. Secreta.

SVbuéniat, Dñe, plebi tuæ Dei genitrícis orátio, quam etſi pro conditióne carnis migráſſe cognóſcimus, in cœléſti glória apud te pro nobis oráre ſentiámus. Per eúndem.

Præfatio. Et te in Aſſumptióne.

Communio. Beáta víſcera Maríæ vírginis, quæ portauérunt ætérni Patris Fílium.

Poſtcommunio.

MEnſæ cœléſtis partícipes effécti implorámus cleméntiam tuam, Dómine Deus noſter: vt, qui feſta Dei genitrícis cólimus, à malis imminéntibus eius interceſſiónibus liberémur. Per eúndem.

Hæc ſupraſcripta Miſſa & eius præfatio dicatur per octauas: & in octaua. In craſtino Aſſumptionis B. Mariæ vbi fit de S. Rocho fiat vt de S. Antonio. pag. 205.

In octaua Sancti Laurentij. Introitus.

Probáſti Dómine. vt ſupra in die notatum eſt. pag. 271.

Eodem die Sancti Mammetis martyris.

Collecta. Præſta quæſumus. Secreta. Munéribus noſtris. Poſtcommunio. Da quæſumus. vt hic. Sed in monaſteriis Epiſcopatus Lingonenſis, non ſolum fit hæc commemoratio ſed dicitur Miſſa ſequens. Introitus.

LÆtábitur iuſtus in Dómino, & ſperábit in eo: & laudabúntur omnes recti corde. Pſalm. Exaúdi Deus oratiónem meam cùm déprecor: à timóre inimíci éripe ánimam meam. Collecta.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus: vt, qui beáti Mammétis mártyris tui natalítia cólimus, interceſſióne eius in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Cap. 4.

IVſtus ſi morte præoccupátus fúerit: in refrigério erit. Senéctus enim venerábilis eſt non diutúrna: neque número annórum computáta. Cani ſunt autem ſenſus hóminis: & ætas ſenectútis vita immaculáta. Placens Deo factus diléctus: & viuens inter peccatóres tranſlátus eſt. Raptus eſt ne malítia mutáret intelléctū illíus:

aut

aut ne fictio decíperet ánimã illíus. Conſummátus in breui expléuit témpora multa : plácita enim Deo erat ánima illíus. Propter hoc properáuit edúcere illum de médio iniquitátum : quóniam grátia Dei & miſericórdia eſt in Sanctos eius : & reſpéctus in eléctos illíus.

℟. Poſuíſti Dómine ſuper caput eius corónã de lápide pretióſo. ℣. Deſidérium ánimæ eius tribuíſti ei : & voluntáte labiórum eius non fraudáſti eum. Allelúia. ℣. Lætábitur iuſtus in Dómino, & ſperábit in eo: & laudabúntur omnes recti corde, allelúia.

Secúndum Lucam. Cap. 14.

IN illo témpore: Dixit Ieſus diſcípulis ſuis. Si quis venit ad me & nõ odit patrem ſuum & matrẽ, & vxórem & filios & fratres & ſoróres, adhuc autem & ánimam ſuam: non poteſt meus eſſe diſcípulus. Et qui non báiulat crucem ſuam, & venit poſt me: non poteſt meus eſſe diſcípulus. Quis enim ex vobis volens turrim ædificáre non prius ſedens cómputat ſumptus, qui neceſsárij ſunt, ſi hábeat, ad perficiéndum, ne póſtea quàm poſúerit fundaméntũ, & nõ potúerit perficere, omnes qui vident, incípiãt illúdere ei dicéntes, quia hic homo cœpit ædificáre, & non pótuit conſummáre? Aut quis Rex itúrus commíttere bellum adúerſus áliũ Regem, non ſedens priùs cógitat, ſi poſſit cum decẽ míllibus occúrrere ei, qui cũ vigínti míllibus venit ad ſe? Alioquin: adhuc illo longè agénte legatiónem mittens: rogat ea, quæ pacis ſunt. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiáuerit ómnibus, quæ póſſidet: non poteſt meus eſſe diſcípulus.

Offertorium. Glória & honóre coronáſti eum: & conſtituíſti eum ſuper ópera mánuum tuárum Dómine.

Secreta.

MVnéribus noſtris, quæſumus, Dómine, precibúſque ſuſcéptis, & cœléſtibus nos munda myſtériis, & clemẽter exaúdi. Per Dñm

Communio. Qui vult venire poſt me, ábneget ſemetípſum, & tollat crucem ſuam, & ſequátur me.

Poſtcommunio.

DA, quæſumus, Dómine Deus noſter: vt ſicut tuórum cõmemoratióne Sanctórum temporáli gratulámur officio ⁊ ita perpétuo lætémur aſpéctu. Per Dóminum.

S. Agapiti martyris. Collecta

LÆtétur Eccléſia tua, Deus, beáti Agápiti mártyris tui confiſa ſuffrágiis: atque eius précibus glorióſis & deuóta permáneat ⁊ & ſecúra conſíſtat. Per Dóminum.

Secreta.

SVſcipe Dómine múnera, quæ in eius tibi ſolemnitáte deférimus: cuius nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminum.

Poſtcommunio.

SAtiáſti Dómine famíliam tuam munéribus ſacris: eius, quæſum⁹, ſemper interuentióne nos réfoue ⁊ cuius ſolémnia celebrámus. Per Dó

S. Magni martyris. Collecta

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus: vt, qui beáti Magni mártyris tui natalítia cólimus ⁊ à cunctis malis imminéntibus eius interceſſióne liberémur.

Non dicatur coll. Concéde quæſumus. cum præſenti.

Secreta.

OBlátis, quæſumus, Dómine placáre munéribus, &, intercedénte beáto Magno mártyre tuo, à cunctis non defénde perículis. Per Dóminum noſtrum.

Poſtcommunio.

SIt nobis, Dómine, reparátio méntis & córporis cœléſte myſtérium: vt, cuius exéquimur actiónem ⁊ ſentiamus efféctum. Per Dóminum.

S^mi. PATRIS BERNARDI primi Abbatis Claræuallis.

Introitus.

IN médio Eccléſiæ apéruit os ei⁹ & impléuit eum Dóminus ſpíritu ſapiéntię & intelléctus: ſtola glóriæ índuit eum. allelúia, allelúia, allelúia.

Pſalmus Iucunditátem & exultatiónem: theſaurizáuit ſuper eum. Collecta.

PE'rfice, quæſumus, Dómine piũ in nobis ſanctę religiónis effectũ: & ad obtinéndam tuæ grátiæ largitátem ? beátus Bernárdus Abbas & Doctor egrégius ſuis apud te ſemper pro nobis méritis & précibus intercédat. Per Dóminum.

Léctio libri Sapientiæ. Eccl^ci. Cap. 45.

DIlléctus à Deo & homínibus: cuius memória in benedictióne eſt. Símilem illum fecit in glória Sanctórum: & magnificáuit eum in timóre inimicórum, & in verbis ſuis monſtra placáuit. Glorificáuit illum in conſpéctu Regum: & iuſſit illi coram pópulo ſuo, & oſténdit illi glóriam ſuam. In fide & lenitáte ipsíus Sanctum fecit illum: & elégit eum ex omni carne. Audíuit enim vocem ipsíus: & indúxit illum in nubem. Et dedit illi cor ad præcépta & legem vitæ: & diſciplínæ.

℟. Dómine præueníſti eum in benedictiónibus dulcédinis: poſuíſti in cápite eius corónam de lápide pretióſo. ℣. Vitam pétiit, & tribuíſti ei longitúdinem diérum in ſæculum ſæculi. Allelúia. ℣. Charitáte vulnerátus, caſtitáte dealbátus, verbo vitæ laureátus eſt Bernárdus ſublimátus in glória, alle.

In commemoratione eius tempore lxx. Tractus. Beátus vir. pag. 217. Sed tempore Paſchali primum Allelúia. ℣. Iuſtus germinábit ſicut lílium & florébit in ætérnum ante Dóminum. Secundum. Allelúia. ℣. Charitáte. vt ſuprà.

Secúndum Matthæum. Cap. 19.

IN illo témpore: Dixit Simon Petrus ad Iéſum. Ecce nos relíquimus ómnia: & ſecúti ſumus te. Quid ergo erit nobis? Iéſus autem: dixit illis. Amen dico vobis: quòd vos, qui ſecúti eſtis me, in regeneratióne cùm ſéderit filius hóminis in ſede maieſtátis ſuæ ſedébitis & vos ſuper ſedes duódecim, iudicãtes duódecim Trib⁹ Iſráel. Et omnis, qui relíquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxórem, aut filios, aut agros, propter nomen meum: céntuplum accípiet: & vitam ætérnam poſſidébit. Credo.

Offertorium. Deſidérium ánimæ eius tribuíſti ei Dómine: & voluntáte labiórum eius non fraudáſti eum: poſuíſti in cápite eius corónam de lápide pretióſo. allelúia.

Secreta.

GRata tibi ſit Deus, intercedénte beáto Bernárdo, huius oblátio ſacraménti, quod in memóriam paſſiónis Vnigéniti tui tuæ offérimus maieſtáti. Per eúndem.

Communio. Amen dico vobis quòd vos, qui reliquíſtis ómnia, & ſecúti eſtis me, céntuplum accipiétis, & vitam ætérnam poſſidébitis, allelúia.

Poſtcommunio.

SVum in nobis, omnípotẽs Deus, intercedénte beáto Bernárdo, cibus, quem ſúmpſimus, operétur efféctum ? vt incórporet nos ſibi eſus edéntes. Per Dóminum.

In octaua Aſſumpt. B. Mariæ, ſicut in die. ſed non dicitur. Credo: niſi fuerit Dñica.

Eodem die SS. Timothei & Symphoriani martyrum. Collecta.

AVxílium tuum nobis Dómine, quæſumus, placátus impénde? &, intercedéntibus beátis martýribus tuis Timótheo atque Symphoriáno, déxteram ſuper nos tuæ propitiatiónis exténde. Per. Secreta.

ACcépta tibi ſit, Dómine, ſacrátę plebis oblátio pro tuórũ honóre

nóre Sanctórum, quorum ſe méritis percepiſſe de tribulatióne cognóſcit auxílium. Poſtcommunio

DIuíni múneris largitáte ſatiáti, quǽſumus, Dómine Deus noſter: vt, intercedéntibus beátis martýribus tuis Timótheo & Symphoriáno, eius ſemper participatióne viuámus. Per Dóminum.

S. BARTHOLOMÆI APOST

Introitus.



Mihi autem nimis honoráti ſunt amíci tui, Deus: nimis confortátus eſt principátus eórum. Pſalmus. Dómine probáſti me, & cognouíſti me: tu cognouíſti ſeſſiónem meam, & reſurrectiónem meam.

Collecta.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui huius diéi venerándā ſanctámque lætítiam beáti Apóſtoli tui Bartholomæi feſtiuitáte tribuíſti: da Eccléſiæ tuæ, quǽſumus, & amáre quod crédidit: & prædicáre quod dócuit. Per Dóminum.

Ad Ephéſios. Cap. 2.

FRatres: Iam non eſtis hóſpites & áduenæ: ſed eſtis ciues Sanctórum & doméſtici Dei, ſuperædificáti ſuper fundaméntum Apoſtolórum & Prophetárum, ipſo ſummo angulári lápide Chriſto Ieſu. In quo omnis ædificátio conſtrúcta: creſcit in templum ſanctum in Dómino. In quo & vos coædificámini in habitáculum Dei: in Spíritu Sancto.

℟. In omnem terram exíuit ſonus eórum, & in fines orbis terræ verba eórum. ℣. Cœli enárrāt glóriam Dei: & ópera mánuum eius annúntiat firmaméntum.

Allelúia. ℣. Nimis honoráti ſunt amíci tui Deus: nimis confortátus eſt principátus eórum. Allelúia.

Secundum Lucam. Cap. 22.

IN illo témpore: Facta eſt conténtio inter diſcípulos: quis eórum viderétur eſſe maior. Dixit autem eis Ieſus. Reges Géntium dominántur eórum: & qui poteſtátem habēt ſuper eos benéfici vocántur. Vos autem, non ſic. Sed qui maior eſt in vobis: fiat ſicut iúnior. Et qui præcéſſor eſt: ſicut miniſtrátor. Nam quis maior eſt qui recúmbit, an qui miníſtrat? Nonne qui recúmbit? Ego autem in médio veſtrum ſum: ſicut qui miníſtrat. Vos autem eſtis: qui permanſíſtis mecum in tentatiónibus meis. Et ego diſpóno vobis, ſicut diſpóſuit mihi Pater meus regnum: vt edátis & bibátis ſuper mēſam meam in regno meo, & ſedeátis ſuper thronos: iudicántes duódecim Tribus Iſráel. Credo.

Offertorium. Conſtítues eos Príncipes ſuper omnem terram: mémores erunt nóminis tui, in omni progénie, & generatióne.

Secreta.

SVſcipe múnera Dómine, quæ in eius tibi ſolemnitáte deférimus, cuius nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminum.

Præfatio. Te Dómine ſuppliciter. 184.

Communio. Vos, qui ſecúti eſtis me: ſedébitis ſuper ſedes, iudicántes duódecim Tribus Iſráel. Poſtcommunio.

REfécti cibo potúque cœléſti, Deus noſter, te ſúpplices deprecámur: vt, in cuius hæc commemoratióne percépimus: eius muniámur & précibus. Per Dóminum.

De Sancto Ludouico Rege Francorum fiat vt de S. Antonio. pag. 205.

Eodem die S. Geneſij martyris. Collecta

BEáti Geneſij nos, Dómine, fóueant continuáta præſídia: quia non déſinis propítius intuéri: quos tálibus auxíliis concéſſeris adiuuári.

Secreta.

ADéſto Dómine précibus pópuli tui, adéſto munéribus, vt quæ

ſacris ſunt obláta myſtériis, tuórum pláceāt interceſſióne Sanctórū. Per.

Poſtcommunio.

SV'mpſimus, Dómine, pignus redemptiónis ætérnæ ? ſit nobis, quǽſumus, interueniénte beáto Genéſio mártyre tuo, vitæ præſéntis auxílium páriter & futúræ. Per Dó.

In octaua S. Bernardi fiat ſicut in die. pag. 278. ſed non dicitur Credo. niſi fuerit Dominica.

Eodem die S. Rufi martyris. Collecta.

LÆtétur Eccléſia tua, Deus, beáti Rufi mártyris tui confiſa ſuffrágiis: atque eius précibus glorióſis & deuóta permáneat ? & ſecúra conſíſtat. Per Dóminum. Secreta.

SV'ſcipe Dómine múnera, quæ in eius tibi ſolemnitáte deférimus, cuius nos confídimus patrocínio liberári. Per Dñm. Poſtcommunio.

SAtiáſti Dómine famíliam tuam munéribus ſacris: eius, quǽſumus, ſemper interuētióne nos réfoue ? cuius ſolémnia celebrámus. Per.

SANCTI AVGVSTINI
Epiſcopi & Confeſſoris.
Introitus.



IN médio Eccléſiæ apéruit os ei⁹: & impléuit eum Dóminus ſpíritu ſapiéntiæ & intelléctus: ſtola glóriæ índuit eum. Pſalmus. Iucunditátem & exultatiónem: theſaurizáuit ſuper eum. Collecta

DEus, qui ánimæ fámuli tui Auguſtini ætérnæ beatitúdinis prǽmia contuliſti ? concéde propítius: vt, qui peccatórum noſtrórum póndere prémimur ? eius apud te précibus ſubleuémur. Per Dóminū.

Léctio libri Sapiētiæ. Eccl[ci]. Cap. 44.

ECce Sacérdos magnus, qui in diébus ſuis plácuit Deo: & inuéntus eſt iuſtus. Et in témpore iracúndiæ: factus eſt reconciliátio. Non eſt inuéntus símilis illi: qui conſeruáret legem Excélſi. I'deo iureiurándo: fecit illum Dóminus créſcere in plebem ſuam. Benedictióne ómnium Géntium dedit illi: & teſtaméntum ſuum confirmáuit ſuper caput eius. Cognóuit eum in benedictiónibus ſuis: conſeruáuit illi miſericórdiam ſuam, & inuénit grátiā coram óculis Dómini. Magnificáuit eum in cōſpéctu Regum: & dedit illi corónam glóriæ. Státuit illi teſtaméntum ſempitérnum: & dedit illi ſacerdótium magnum, & beatificáuit illum in glória. Fungi ſacerdótio: & habére laudem in nómine ipſius. Et offérre illi incénſum dignum: in odórem ſuauitátis.

℟. Os iuſti meditábitur ſapiéntiam, & lingua eius loquétur iudícium. ℣. Lex Dei eius in corde ipſius, & nō ſupplantabúntur greſſus eius. Allelúia. ℣. Póſui adiutórium ſuper poténtem, & exaltáui eléctum de plebe mea. Allelúia.

Secúndum Matthǽum. Cap. 24.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Vigiláte: quia neſcítis qua hora Dóminus veſter ventúrus ſit. Illud autem ſcitóte: quóniam ſi ſciret paterfamílias qua hora fur vētúrus eſſet, vigiláret vtique, & non sineret pérfodi domum ſuam. I'deo & vos eſtóte paráti: quia qua neſcítis hora, Fílius hóminis ventúrus eſt. Quíſputas eſt fidélis ſeruus & prudens, quem cōſtítuit Dóminus ſuus ſuper famíliā ſuam, vt det illis cibū in témpore ? Beátus ille ſeruus: quem cū vénerit Dómin⁹ eius, inuenérit ſic faciéntē. Amen dico vobis: quóniam ſuper ómnia bona ſua: cōſtítuet eū.

Offertorium. Véritas mea & miſericórdia mea cum ipſo, & in nómine meo exaltábitur cornu eius. Secreta.

ANnue nobis Dómine, vt méritis beáti Auguſtini nobis fámu-

lis tuis hæc proſit oblátio, quam immolándo totíus mundi tribuíſti relaxári delícta. Per Dóminum.

Communio. Dómine quinque talénta tradidíſti mihi, ecce ália quinque ſuperlucrátus ſum, euge ſerue fidélis: quia in pauca fuíſti fidélis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaúdiũ Dómini tui. Poſtcommunio.

DEus, qui beátum Auguſtínum Pontíficem Sanctórũ tuórum méritis coæquáſti: concéde propítius: vt, qui commemoratiónis eius feſta percólimus: vitæ quoque imitémur exémpla. Per Dóminum.

S. Hermetis martyris. Collecta

DEus, qui beátũ Hermétem mártyrem tuum virtúte conſtántiæ in paſſióne roboráſti: ex eius nobis imitatióne, tribue pro amóre tuo próſpera mundi deſpícere: & nulla eius aduérſa formidáre. Per Dóminum noſtrum. Secreta.

SAcrificium tibi, Dómine, laudis offérimus in tuórũ commemoratióne Sanctórum, da, quæſumus, vt, quod illis cóntulit glóriam, nobis proſit ad ſalútem. Per Dóminũ.

Poſtcommunio.

REpléti, Dómine, benedictióne cœléſti, quæſumus cleméntiam tuã: vt, intercedente beáto Hermete mártyre tuo, quæ humíliter gérimus: ſalúbriter ſentiámus. Per Dó.

IN DIE DECOLLATIONIS S. Ioannis Baptiſtæ. 1. Miſſ.

S. Sabinæ virg. Introitus.


Cognóui, Dómine, quia ǽquitas iudícia tua, & in veritáte tua humiliáſti me: confíge timóre tuo carnes meas, à mãdátis tuis non me repéllas.

Pſalmus. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.

Collecta.

DEus, qui inter cætera poténtiæ tuæ miracula, étiam in ſexu frágili victóriam martýrij contuliſti: concéde propítius: vt, cuius natalítia cólimus: per eius ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Ad Corinthios. 2. Cap. 10.

FRatres: Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim qui ſeípſum cõméndat, ille probátus eſt: ſed quem Deus comméndat. Vtinã ſuſtinerétis módicum quid inſipiéntiæ meæ: ſed & ſupportáte me. Ǽmulor enim vos: Dei æmulatióne. Deſpóndi enim vos vni viro vírginem caſtam: exhibére Chriſto.

℟. Dilexíſti iuſtítiam, & odíſti iniquitátem ℣. Proptérea vnxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. Allelúia. ℣. Spécie tua & pulchritúdine tua inténde, próſperè procéde, & regna. Allelúia.

Secúndum Matthæum. Cap. 13.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſci pulis ſuis parábolam hanc. Símil eſt regnum cœlórum theſaúro abſcóndito in agro: quem, qui inuéni homo, abſcóndit, & præ gaúdio il líus vadit, & vendit vniuérſa, qua habet, & emit agrum illum. Iterun ſímile eſt regnum cœlórum hómin negotiatóri: quærénti bonas marga rítas. Inuénta autem vna pretióſ margaríta: ábiit & véndidit ómnia quæ hábuit, & emit eam. Iterum ſí mile eſt regnum cœlórum ſagénæ miſſæ in mare: & ex omni génere p ſcium congregánti. Quam, cùm im pléta eſſet, educéntes & ſecus litu ſedéntes: elegérunt bonos in vaſa malos autem foras miſérunt. Sic eri in conſummatióne ſǽculi. Exíbun Angeli & ſeparábunt malos de mé dio iuſtórum: & mittent eos in ca mínum ignis. Ibi erit fletus: & ſtrido déntium. Intellexíſtis hæc ómni Dicunt ei. Etiam Dómine. Ait illi Ideo omnis Scriba doctus in regn

Digitized by Google

cœlórum, ſímilis eſt hómini patrifamílias: qui profert de theſáuro ſuo: noua & vétera.

Offertorium. Filiæ Regum in honóre tuo, áſtitit Regína à dextris tuis, in veſtítu deauráto circúndata varietáte. Secreta.

HOſtias tibi, Dómine, beátæ Sabínæ mártyris tuæ dicátas méritis benígnus aſſúme, & ad perpétuum nobis tríbue proueníre ſubſídium: Per Dóminum.

Communio. Príncipes perſecúti ſunt me gratis, & à verbis tuis formidáuit cor meum: lætábor ego ſuper elóquia tua, ſicut qui inuénit ſpólia multa: concupíuit ánima mea teſtimónia tua Dómine, & diléxit ea veheménter. Poſtcommunio.

DIuíni múneris largitáte ſatiáti, quæſumus, Dómine Deus noſter: vt, intercedénte beáta Sabína mártyre tua: in eius ſemper participatióne viuámus. Per Dóminum.

MAIOR MISSA DE IPSO S. Ioanne Baptiſta. Introitus.

IVſtus vt palma florébit, ſicut cedrus Líbani multiplicábitur, plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei noſtri. Pſalmus. Bonum eſt confitéri Dómino: & pſállere nómini tuo Altíſſime.

Collecta.

SAncti Ioánnis Baptiſtæ & mártyris tui, Dómine, quæſumus, veneránda feſtíuitas: ſalutáris auxílij nobis præſtet effectum. Per Dóminum.

Ad Hebræos. Cap. 11.

FRatres: Sancti ludíbria & vérbera expérti, inſuper & víncula & cárceres: lapidáti ſunt, ſecti ſunt, tentáti ſunt, in occiſióne gládij mórtui ſunt. Circuiérũt in melótis, in péllibus caprínis: egéntes, anguſtiáti, afflicti, quibus dignus non erat mundus. In ſolitudínibus errántes: in móntibus, & in ſpelúncis, & in cauérnis terræ. Et hi omnes: teſtimónio fidei probáti inuénti ſunt. In Chriſto Ieſu: Dómino noſtro.

℟. Poſuíſti Dómine ſuper caput eius corónam de lápide pretióſo. ℣. Deſidérium ánimæ eius tribuíſti ei: & voluntáte labiórum eius non fraudáſti eum. Allelúia. ℣. Miſſo Heródes ſpiculatóre præcépit amputári caput Ioánnis in cárcere. Allelúia.

Secúndum Marcum. Cap. 6.

IN illo témpore: Miſit Heródes ac ténuit Ioánnem, & vinxit eum in cárcerem: propter Herodíadem vxórem Philíppi fratris ſui, quia dúxerat eam. Dicébat enim Ioánnes Herodi. Non licet tibi habére vxórem fratris tui. Heródias autẽ inſidiabátur illi: & volébat occídere eum, nec póterat. Heródes enim metuébat Ioánnem, ſciens eum virũ iuſtum & ſanctum: & cuſtodiébat eũ. Et audíto eo multa faciébat: & libénter eum audiébat. Et cùm dies opportúnus accidíſſet: Heródes natális ſui cœnã fecit Princípibus & Tribúnis & primis Galilǽæ. Cumque introíſſet fília ipſíus Herodíadis, & ſaltáſſet, & placuíſſet Heródi, ſimúlque recũbéntibus: Rex ait puellæ. Pete à me quod vis: & dabo tibi. Et iuráuit illi: quia quicquid petíeris dabo tibi, licet dimídium regni mei. Quæ cùm exiſſet: dixit matri ſuæ. Quid petam? Et illa dixit. Caput Ioánnis Baptiſtæ. Cumque introíſſet ſtatim cum feſtinatióne ad Regem: petíuit, dicens. Volo: vt prótinùs des mihi in diſco caput Ioánnis Baptiſtæ. Et contriſtátus eſt Rex propter iuſiurándum, & propter ſimul recumbéntes: nóluit eam contriſtáre, ſed miſſo ſpiculatóre, præcépit afférri caput eius in diſco. Et decolláuit eum in cárcere: & áttulit caput eius in diſco, & dedit illud puéllæ. Et puélla: dedit matri ſuæ. Quo audíto diſcípuli eius, venérunt, & tulérunt corpus eius: &

poſuérunt

Digitized by Google

poſuérunt illud: in monuménto.

Offertorium. Deſidérium ánimæ eius tribuíſti ei Dómine, & voluntáte labiórum eius non fraudáſti eum, poſuíſti in cápite eius corónam de lápide pretióſo. Secreta

HOſtia hæc, quæſumus, Dómine quam Sancti Ioánnis Baptíſtæ & mártyris tui natalítia recenſéntes offérimus, & víncula noſtræ prauitátis abſóluat, & tuæ nobis miſericórdiæ dona concíliet. Per Dóminũ.

Communio. Magna eſt glória eius in Salutári tuo, glóriam & magnum decórem impónes ſuper eum Dómine.

Poſtcommunio.

REpléti, Dómine, munéribus hóſtiæ ſalutárisꝫ illíus, quæſumus, oratiónibus adiuuémur: qui hanc pro nobis ſinguláriter immolándam, & verbo dócuitꝫ & próprij ſánguinis effuſióne ſignáuit. Per.

SS. FELICIS ET ADAVCTI martyrum. Introitus.

SApiéntiam Sanctórum narrant pópuli, & laudẽ eórum núntiat Eccléſia: nómina autem eórum viuent in ſæculum ſæculi.

Pſalmus. Exultáte iuſti in Dómino: rectos decet collaudátio. Collecta.

MAieſtátem tuam, Dómine, ſúpplices deprecámur: vt ſicut nos iúgiter Sanctórum tuórum commemoratióne lætíficasꝫ ita ſemper ſupplicatióne defendas. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Cap. 5.

IVſti in perpétuum viuẽt: & apud Dóminum eſt merces eórum, & cogitátio eórum apud Altíſſimum. I'deo accípient regnum decóris, & diadéma ſpeciéi de manu Dómini: quóniam déxtera ſua teget eos, & bráchio ſuo defendet illos. Accípiẽt armatúrã zeli illíus: & armábit creatúram ad vltiónem inimicórum. I'nduent pro thoráce iuſtítiam: & accípient pro gálea iudícium certum. Sument ſcutũ inexpugnábile æquitátem: ibunt diréctæ promiſſiónes. Et ad certum locum dedúcet illos: Dóminus Deus noſter.

℟. Iuſtórum ánimæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos torméntum malítiæ. ℣. Viſi ſunt óculis inſipiéntium mori: illi autem ſunt in pace. Allelúia. ℣. Sancti & iuſti in Dómino gaudéte, vos elégit Deus in hæreditátem ſibi. Allelúia.

Secúndum Matthæum. Cap. 10.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Nihil eſt opértum, quod non reuelábitur: & occúltum, quod non ſciétur. Quod dico vobis in ténebris: dícite in lúmine. Et quod in aure audítis: prædicáte ſuper tecta. Et nolíte timére eos, qui occídunt corpus, ánimam autem non poſſunt occídere: ſed pótius eum timéte: qui poteſt ánimam & corpus pérdere in gehénnam. Nonne duo páſſeres aſſe væneunt, & vnus ex illis non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro? Veſtri autem capílli cápitis: omnes numeráti ſunt. Nolíte ergo timére: multis paſſéribus melióres eſtis vos. Omnis ergo qui confitébitur me coram homínibus: confitébor & ego eum coram Patre meo: qui eſt in cœlis.

Offertorium. Lætámini in Dómino, & exultáte iuſti: & gloriámini omnes recti corde.

Secreta.

HO'ſtias Dómine tuæ plebis inténde, &, quas in honóre Sanctórum tuórum deuóta mente célebrat, profícere ſibi ſéntiat ad ſalútem. Per Dóminum.

Communio. Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine, dicit Dóminus: & quod in aure audítis prædicáte ſuper tecta.

Poſtcommunio.

REpléti, Dómine, munéribus ſacris, quæſumusꝫ vt, intercedén-

tibus Sanctis tuis., in gratiátum ſemper actióne maneámus. Per Dóm.

S. Ægidij Abbatis Miſſa fiat vt de S. Benedicto. pag. 221.

Eodem die S. Priſci martyris. Collecta.

ADéſto Dómine ſupplicatiónibus noſtris: vt, qui ex iniquitáte noſtra reos nos eſſe cognóſcimꝰ † beáti Priſci mártyris tui interceſſióne liberémur. Per Dóminum.

Secreta.

MVnéribus noſtris, quæſumus, Dómine, precibúſque ſuſcéptis, & cœléſtibus nos munda myſtériis, & cleménter exaúdi. Per Dóminum. Poſtcommunio.

QVæſumus, omnípotens Deus: vt, qui cœléſtia aliménta percépimus † intercedénte beáto Priſco mártyre tuo, per hæc contra ómnia aduérſa muniámur. Per Dóminum.

S. Marcelli martyris. Collecta.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus: vt, qui beáti Marcélli mártyris tui natalítia cólimus † interceſſióne eius in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Secreta.

MVnéribus noſtris, quæſumus, Dómine, precibúſque ſuſcéptis, & cœléſtibus nos munda myſtériis, & cleménter exaúdi. Per Dóminum. Poſtcommunio.

DA, quæſumus, Dómine Deus noſter: vt ſicut tuórum cōmemoratióne Sanctórum temporáli gratulámur officio † ita perpétuo lætémur aſpéctu. Per Dóminum.

In vigilia ſeu pro feſto Natiuitatis B Mariæ. Miſſa fit. Salue ſancta parens. Glória in excélſis. Allelúia. ℣. Virga Ieſſe & cætera ſicut in ſabbatis.

Eodem S. Euurtij Epiſcopi & Confeſſoris. Collecta.

DEus, qui cónſpicis quia ex nulla noſtra virtúte ſubſíſtimus † cóncéde propítius: vt interceſſióne beáti Euúrtij confeſſóris tui atque Pontíficis, contra ómnia aduérſa muniámur. Per Dóminum. Secreta

DA miséricors Deus, vt hæc nos ſalutáris oblátio & à própriis reátibus indeſinénter expédiat, & ab ómnibus tueátur aduérſis. Per Dóminum. Poſtcommunio.

PRæſta quæſumus, Dómine Deus noſter: vt, quorum feſtiuitáte votíua ſunt ſacraménta † eórum ſalutária nobis interceſſióne reddántur. Per Dóminum.

IN DIE NATIVITATIS atque in feſto conceptionis B Mariæ Introitus.



Audeámus omnes in Dómino, diem feſtum celebrātes ſub honóre Maríæ vírginis: de cuius Natiuitáte (Cōceptióne) gaudēt Angeli, & collaúdāt Fílium Dei.

Pſalmus. Eructáuit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. Collecta.

FAmulis tuis Dómine cœléſtis grátiæ munus impertíre: vt, quibus beátæ vírginis partus éxtitit ſalútis exórdium † Natiuitátis (Conceptiónis) eius votíua ſolémnitas pacis tríbuat increméntum. Per Dóminum noſtrum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccl[ci.] Cap. 24.

EGo quaſi vitis fructificáui ſuauitátem odóris: & flores mei fructus honóris & honeſtátis. Ego mater pulchræ dilectiónis & timóris & agnitiónis: & ſanctæ ſpei. In me grátia omnis viæ & veritátis: in me omnis ſpes vitæ & virtútis. Tranſíte ad me omnes qui concupíſcitis me: & à generatiónibus meis adimplémini. Spíritus enim meus ſuper mel dulcis: & hæréditas mea ſuper mel & fauum. Memória mea: in genera-

tióne

tióne ſæculórum. Qui edunt me, adhuc eſúrient: & qui bibunt me, adhuc ſítient. Qui audit me, nō confundétur: & qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me: vitam ætérnam habébunt.

℟. Propter veritátem & manſuetúdinem & iuſtítiam, & dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Audi fília, & vide, & inclína aurem tuam: quia concupíuit Rex ſpéciem tuam. Allelúia. ℣. Natíuitas (Concéptio) glorióſæ vírginis Maríæ, ex ſémine Abráhæ, orta de Tribu Iúda clara ex ſtirpe Dauid. Allelúia.

Inítium ſancti Euangélij ſecúndum Matthæum.

cap. 1. LIber generatiónis Iéſu Chriſti fílij Dauid: fílij Abráhā. Abráham: génuit I'ſaac. I'ſaac autem: génuit I'ácob. I'acob autem: génuit Iúdam & fratres eius. Iúdas autem: génuit Pharès & Zaram de Thamar. Pharès autem: génuit Eſrom. Eſrom autem: génuit Aram. Aram autem: génuit Amínadab. Amínadab autem: génuit Naáſon. Naáſon autem: génuit Salmon. Salmon autem: génuit Booz de Raab. Booz autem: génuit Obeth ex Ruth. Obeth autē: génuit Iéſſe. Iéſſe autem: génuit Dauid Regem. Dauid autem Rex: génuit Salomónem ex ea, quæ fuit Vríæ. Salomòn autem: génuit Róboàm. Róboàm autem: génuit Abía. Abía autem: génuit Aſa. Aſa autem: génuit Ióſaphat. Ióſaphat autem: génuit Iòram. Iòram autem: génuit Ozíam. Ozías autē: génuit Ióathàn. Ióathàn autē: génuit Achaz. Achaz autem: génuit Ezechíam. Ezechías autem: génuit Manáſſem. Manáſſes autem: génuit Amon. Amon autem: génuit Ioſíam. Ioſías autem: génuit Iechoníam & fratres eius in trāſmigratióne Babylónis. Et poſt tranſmigratiónem Babylónis: Iechonías génuit Saláthiel. Saláthiel autem: génuit Zoróbabèl. Zoróbabèl autem: génuit A'biúd. A'biúd autem: génuit Elíacìm. Elíacìm autem: génuit Azor. Azor autem: génuit Sadóch. Sadóch autem: génuit Achìm. Achìm autem: génuit Eliúd. Eliúd autem: génuit Eleázar. Eleázar autem: génuit Matham. Matham autem: génuit I'acob. I'acob autem: génuit Ióſeph virum Maríæ. De qua natus eſt Ieſus: qui vocátur Chriſtus. Credo.

Offertorium. Fœlix namque es ſacra virgo María, & omni laude digníſſima: quia ex te ortus eſt Sol iuſtítiæ Chriſtus Deus noſter. Allelúia. Secreta.

VNigéniti tui, Dómine, nobis ſuccúrrat humánitas, vt, qui natus de vírgine matris integritátem non mínuit, ſed ſacráuit, in Natíuitatis (Conceptiónis) eius ſolémniis, à noſtris nos piáculis éxuens, oblatiónem noſtram ſibi fáciat accéptam Iéſus Chriſtus Dóminus noſter. Qui tecum viuit.

Præfatio. Et te in Natiuitáte (Conceptióne.) quæ etiam per octa. Natiuit. ad hanc miſſam, dicitur.

Communio. Beáta víſcera Maríæ vírginis, quæ portauérunt ætérni Patris Fílium.

Poſtcommunio.

SV'mpſimus, Dómine, celebritátis ánnuæ votíua ſacraménta; præſta, quæſumus, vt & temporális nobis vitæ remédia præbeant, & ætérnæ. Per Dóminum.

Eodem die S. Adriani mart. Collecta.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus: vt, qui beáti Adriáni mártyris tui natalítia cólimus; à cunctis malis imminéntibus, eius interceſſióne liberémur. Per Dómi. Secreta.

OBlátis, quæſumus, Dómine placáre munéribus, &, intercedénte beáto Adriáno mártyre tuo, à cunctis nos defénde perículis. Per Dóminum. Poſtcommunio.

SIt nobis, Dómine; reparátio mentis & córporis cœléſte my-

ſtérium : vt, cuius exéquimur actiónē? ſentiámus effectum. Per octa. & in octaua Natiu. fiat ſicut in die. Non tamen dicitur Credo. niſi fuerit Dominica.

S. GORGONII MARTYRIS.

Introitus.


Lória & honóre coronáſti eū, & conſtituíſti eum ſuper ópera máuum tuárum. Pſalmus. Dómine Dóminus noſter: quàm admirábile eſt nomen tuum in vniuérſa terra. Collecta.

BEáti Gorgónij nos, Dómine, fóueant continuáta præsídia: quia non déſinis propítius intuéri? quos tálibus auxíliis concésſeris adiuuári. Per Dóminum noſtrum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Cap. 4.

IVſtus ſi morte præoccupátus fúerit : in refrigério erit. Senéctꝰ enim venerábilis eſt non diutúrna: neque número annórum computáta. Cani ſunt autem ſenſus hóminis: & ætas ſenectútis vita immaculáta. Placens Deo factus diléctus: & viuens inter peccatóres tranſlátus eſt. Raptus eſt ne malítia mutáret intelléctū illíus: aut ne fíctio decíperet ánimā illíus. Cōſummátus in breui expléuit témpora multa : plácita enim Deo erat ánima illíus. Propter hoc properáuit edúcere illum de médio iniquitátum: quóniam grátia Dei & miſericórdia eſt in Sanctos eius : & reſpéctus in eléctos illíus.

℟. Poſuíſti Dómine ſuper caput eius corónam de lápide pretióſo. ℣. Deſidérium ánimæ eius tribuíſti ei: & voluntáte labiórum eius non fraudáſti eum.

Allelúia. ℣. Beátus vir, qui timet Dóminū: in mandátis eius cupit nimis. Allelúia.

Secúndum Lucam. Cap. 9.

IN illo témpore : Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Si quis vult poſt me veníre: ábneget ſemetípſum, & tollat crucem ſuam quotídie, & ſequátur me. Qui enim volúerit ánimā ſuam ſaluam fácere : perdet illā. Nam qui perdíderit ánimā ſuam propter me: ſaluam fáciet illam. Quid enim próficit homo ſi lucrétur vniuérſum mundum, ſe autem ipſum perdat, & detriméntum ſui fáciat? Nam qui me erubúerit & meos ſermónes: hunc Fílius hóminis erubéſcet, cùm vénerit in maieſtáte ſua & Patris & Sanctórum Angelórum. Dico autem vobis : verè ſunt áliqui hîc ſtantes, qui non guſtábunt mortem: donec vídeant regnum Dei.

Offertorium. Poſuíſti Dómine in cápite eius corónam de lápide pretióſo: vitam pétiit, & tribuíſti ei, allelúia. Secreta.

ADéſto Dómine précibus pópuli tui, adéſto munéribus, vt, quæ ſacris ſunt obláta myſtériis, tuórum pláceat interceſſióne Sanctórū. Per.

Communio. Magna eſt glória eius in Salutári tuo, glóriam & magnum decórem impónes ſuper eum Dómine. Poſtcommunio.

SVmpſimus, Dómine, pignus redēptiónis ætérnæ? ſit nobis, quǽſumus, interueniénte beáto Gorgónio mártyre tuo, vitæ præſéntis auxílium páriter & futúræ. Per Dóminum noſtrum.

SS. PROTHI ET IACINTHI martyrum.

Introitus.


V'dicant Sancti Gentes, & dominántur pópulis & regnábit Dóminus Deus illórū in perpétuum. Pſalm. Exultáte iuſti in Dómino : rectos decet collaudátio. Collecta.

BEáti Prothi nos, Dómine, & Iacínthi fóueat pretióſa cōféſſio? & pia iúgiter intercéſſio tueátur. Per Dóminum noſtrum.

Lectio

Lectio libri Sapiéntiæ. Cap. 10.

REddet Deus mercédē labórum Sanctórum ſuórum:& dedúcet illos in via mirábili. Et fuit illis in velaménto diéi: & in luce ſtellárū nocte. Tránſtulit illos mare rubrum:& tranſuéxit illos per aquam nímiam. Inimícos autem illórum demérſit in mare: & ab altitúdine inferórū edúxit illos. Ideo iuſti tulérunt ſpólia impiórum:& decantauérunt, Dómine, nomen ſanctum tuum. Et victrícem manum tuam laudauérunt páriter: Dómine Deus noſter.

℟. Exultábunt Sancti in glória, lætabúntur in cubílibus ſuis. ℣. Cantáte Dómino cánticum nouum: laus eius in Eccléſia Sanctórum. Allelúia. ℣. Te mártyrum candidátus laudat exércitus, Dómine. Allelúia.

Secúndum Matthæum. Cap. 10.

IN illo témpore: Dixit Ieſus diſcípulis ſuis. Cùm perſequéntur vos in ciuitáte iſta: fúgite in áliam. Amen dico vobis: non conſummábitis ciuitátes Iſráel, donec véniat Fílius hóminis. Non eſt diſcípulus ſuper magiſtrum, nec ſeruus ſuper dóminum ſuum. Súfficit diſcípulo, vt ſit ſicut magíſter eius: & ſeruo, ſicut dóminus eius. Si patrem famílias Beélzebub vocauérunt: quantò magis doméſticos ei⁹? Ne ergo timuéritis eos. Nihil enim eſt opértum, quod non reuelétur: & occúltum quod non ſciátur. Quod dico vobis in ténebris: dícite in lúmine. Et quod in aure audítis: prædicáte ſuper tecta. Et nolíte timére eos qui occídunt corpus, ánimam autem non poſſunt occídere: ſed pótius eum timéte, qui poteſt ánimam & corpus pérdere in gehénnam. Nonne duo páſſeres aſſe vǽneunt, & vnus ex illis non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro? Veſtri autem capílli cápitis: omnes numeráti ſunt. Nolíte ergo timére: multis paſſéribus melióres eſtis vos. Omnis ergo qui confitébitur me coram homínibus: confitébor & ego eu coram Patre meo: qui eſt in cœlis.

Offertorium. Gloriabúntur in te omnes, qu díligunt nomen tuum: quóniam tu Dómin benedíces iuſtis: Dómine vt ſcuto bon voluntátis tuæ coronáſti eos. Secret.

PRo Sanctórum tuórum Proth & Iacínthi múnera tibi, Dómine commemoratióne, quæ debémus exſóluimus, præſta, quæſumus, v remédium nobis perpétuæ ſalúti operéntur. Per Dóminum.

Communio. Quod dico vobis in ténebris dícite in lúmine, dicit Dóminus: & quo in aure audítis, prædicáte ſuper tecta.

Poſtcommunio.

VT percépta nos, Dómine, tu ſancta puríficent: & beáti Proth & Iacínthi, quæſumus, implóre orátio. Per Dóminum.

IN EXALTATIONE S. Crucis. prima Miſſa.

SS. Cornelij & Cypria. mart. Introitus

SAcerdótes Dei benedícite Dóminum: Sācti & húmiles corde laudáte Deum. Pſalmus. Benedícite ómnia ópera Dómini Dómini: laudáte, & ſuperexaltáte eum in ſæcula. Collecta

INfirmitátem noſtrā, quæſumus, Dómine propítius réſpice: & mala ómnia, quæ iuſtè merémur, Sanctórum tuórum interceſſióne auérte. Per Dóminum.

Lectio libri Sapiéntiæ. Prouerb. Cap. 10.

EXpectátio iuſtórum lætítia: ſpes autem impiórum períbit. Fortitúdo símplicis via Dómini: & pauor his qui operántur malum. Iuſtus in ætérnum non commouébitur: ímpij autem non habitábunt in terra. Os iuſti párturit ſapiéntiam: lingua prauórum períbit. Lábia iuſti conſí-

derant plácita: & os impiórum peruérſa. Simplícitas iuſtórum díriget eos: & ſupplantátio peruerſórũ vaſtábit illos. Iuſtítia rectórum liberábit eos: & in insídiis ſuis capiéntur iníqui. Iuſtus de angúſtia ſua liberátus eſt: & tradétur ímpius pro eo. Simulátor ore décipit amícum ſuum: iuſti autem liberabúntur ſciéntia. In bonis iuſtórum exaltábitur cíuitas: & in perditióne impiórum erit laudátio. In benedictióne iuſtórum: exaltábitur ciuitas.

℟. Timéte Dóminum omnes Sancti eius: quóniam nihil deeſt timéntibus eum.

℣. Inquiréntes autem Dóminum non deficiént omni bono. Allelúia. ℣. Mirábilis Dóminus noſter in Sanctis ſuis. Allelúia.

Secúndum Lucam. Cap. 11.

IN illo témpore: Dicébat Ieſus turbis Iudæórum: & Princípibus Sacerdótum. Væ vobis, qui ædificátis monuménta Prophetárum: patres autem veſtri occidérunt illos. Profécto teſtificámini, quòd conſentítis opéribus patrum veſtrórum: quóniam quidē ipſi occidérunt eos, vos autem ædificátis eórum ſepúlchra. Proptérea & ſapiéntia dei dixit. Mittam ad illos Prophétas & Apóſtolos, & ex illis occídent & perſequéntur: vt inquirátur ſanguis ómnium Prophetárum, qui effúſus eſt à conſtitutióne mundi à generatióne iſta, à ſánguine Abel vſque ad ſánguinē Zacharíæ, qui périit inter altáre & ædem. Ita dico vobis: requirétur ab hac generatióne. Væ vobis Legiſperítis, quia tuliſtis clauem ſciéntiæ, & ipſi non introiſtis: & eos, qui introibant, prohibuiſtis. Cùm hæc ad illos díceret: cœpérunt Phariſæi & Legiſperíti gráuiter insíſtere, & os eius opprímere, de multis inſidiántes ei, & quæréntes cápere áliquid ex ore eius: vt accuſárent eum.

Offertorium. Lætámini in Dómino, & exultáte iuſti: & gloriámini omnes recti corde. Secreta.

ADéſto Dómine ſupplicatiónibus noſtris, quas in Sanctórum tuórum commemoratióne deférimus, vt, qui noſtræ iuſtítiæ fidúciam non habémus, eórum, qui tibi placuérunt, méritis adiuuémur. Per.

Communio. Iuſtórum ánimæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos torméntum malítiæ: viſi ſunt óculis inſipiéntium mori, illi autem ſunt in pace. Poſtcommunio.

QVæſumus, Dómine, ſalutáribus repléti myſtériis: vt, quorum ſolémnia celebrámus, eórum orationibus adiuuémur. Per Dómi.

MAIOR MISSA DE S. CRVCE.

Introitus.

NOs autē gloriári opórtet in cruce Dómini noſtri Iéſu Chriſti: in quo eſt ſalus, vita, & reſurréctio noſtra: per quē ſaluáti, & liberáti ſumus. Pſalmus. Deus miſereátur noſtri, & benedícat nobis: illúminet vultum ſuū ſuper nos, & miſereátur noſtri. Collecta.

DEus, qui Vnigéniti tui Dómini noſtri Iéſu Chriſti pretióſo ſánguine humánum genus redímere dignátus es: concéde propítius, vt, qui ad adorándam viuíficā crucem aduéniunt, à peccatórum ſuórum néxibus liberéntur. Per eúndem.

Collecta. Eccléſiæ. non dicitur.

Ad Philippénſes. Cap. 2.

FRatres: Chriſtus factus eſt pro nobis obédiens vſque ad mortē: mortē autem crucis. Propter quod & Deus exaltáuit illum, & donáuit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: vt in nómine Iéſu omne genu flectátur, cœléſtium, terréſtrium, & infernórum. Et omnis lingua confiteátur: quia Dóminus Iéſus Chriſtus: in glória eſt Dei Patris.

℟. Chriſtus factus eſt pro nobis obédiens vſque ad mortem, mortem autem crucis.
℣. Propter quod & Deus exaltáuit illum, & dedit illi nomen; quod eſt ſuper omne nomen. Allelúia. ℣. Dulce lignum, dulces clauos, dúlcia ferens póndera, quæ ſola fuíſti digna ſuſtinére Regem cælórum, & Dóminum. Allelúia.

Secúndum Ioánnem. Cap. 12.

IN illo témpore: Dixit Ieſus turbis Iudæórũ. Nunc iudícium eſt mũdi: nunc princeps huius mundi eiiciétur foras. Et ego ſi exaltátus fúero à terra: ómnia trahã ad meipſum. Hoc autem dicébat: ſignificans qua morte eſſet moritúrus. Reſpóndit ei turba. Nos audíuimus ex lege: quia Chriſtus manet in ætérnum. Et quómodo tu dicis, opórtet exaltári Filiũ hóminis? Quis eſt iſte Filius hóminis? Dixit ergo eis Ieſus. Adhuc módicum lumen in vobis eſt. Ambuláte dum lucem habétis: vt non ténebræ vos comprehéndant. Et qui ámbulat in ténebris: neſcit quò vadat. Dum lucem habétis, crédite in lucem: vt filij lucis ſitis. Credo.

Offertorium. Verbum crucis pereúntibus ſtultítia eſt, his autem, qui ſalui fiunt, id eſt nobis, virtus Dei eſt, allelúia. Secreta.

DEuótas, Dómine, humilitátis noſtræ preces & hóſtias miſericórdiæ tuæ præcédat auxílium, & ſalútẽ quam per Adam in paradíſo ligni cláuſerat temerária præſúmptio, ligni rurſum fides apériat. Per.

Præfatio. Qui ſalútem. pag. 181.

Communio. Per ſignum crucis de inimícis noſtris líbera nos Deus noſter. Poſtcõmu.

QVæſumus, omnípotens Deus: vt, quos diuína tribuis participatióne gaudére? humánis nõ ſinas ſubiacére perículis. Per Dóminum.

S. Nicomedis martyris. Collecta.

ADéſto Dómine pópulo tuo: vt beáti Nicomédis mártyris tui mérita præclára ſuſcípiens? ad impetrándam miſericórdiam tuã ſemper eius patrocíniis adiuuétur. Secreta.

SVſcipe Dómine múnera propítius obláta, quæ maieſtáti tuæ beáti Nicomédis mártyris commméndet orátio. Poſtcommunio.

PVrificent nos, Dómine, ſacraménra, quæ ſúmpſimus? &, intercedénte beáto Nicoméde mártyre tuo, à cunctis efficiant vítiis abſolútos. Per Dóminum.

S. EVPHEMIÆ VIRGINIS & martyris. Introitus.

VVltum tuum deprecabũtur omnes díuites plebis: adducéntur Regi vírgines poſt eam: próximæ eius adducẽtur tibi in lætítia, & exultatióne.

Pſalmus. Eructáuit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. Collecta.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui infírma mundi éligis, vt fórtia quæque confúndas? concéde propítius: vt, qui beátæ Euphémiæ mártyris tuæ ſolémnia cólimus? eius apud te patrocínia ſentiámus. Per.

Léctio libri Sapiéntiæ Eccl^ci. Cap. 51.

COnfitébor tibi Dómine Rex: & collaudábo te Deum Saluatórem meum. Cõfitébor nómini tuo, quóniã adiútor & protéctor factus es mihi: & liberáſti corpus meum à perditióne. A láqueo linguæ iníquæ: & à lábiis operántium mendácium. Et in conſpéctu aſtántium factus es mihi adiútor: & liberáſti me ſecúndum multitúdinẽ miſericórdiæ nóminis tui. A rugiéntibus præparátis ad eſcam: de mánibus quæréntium ánimam meam, & de portis tribulatiónum, quæ circundedérunt me A preſſúra flammæ, quæ circúndedit me: & in médio ignis non ſum æſtuáta. De altitúdine ventris ínferi: & à lingua coinquináta, & à verbo mẽ-

dácij. A Rege iníquo: & à lingua iniúſta. Laudábit vſque ad mortem ánima mea Dóminum: & vita mea appropínquans erat in inférnum deórſum. Circundedérunt me vndique: & non erat, qui adiuuáret. Reſpíciens eram ad adiutóriũ hóminum: & non erat. Memorára ſum miſericórdiæ tuæ, Dñe, & cooperatiónis tuæ: quæ à ſæculo ſunt. Quóniam éruis ſuſtinéntes te: & líberas eos de manu angúſtiæ: Dñe Deus noſter.

℟. Spécie tua & pulchritúdine tua inténde, próſperè procéde, & regna. ℣. Propter veritátem & manſuetúdinem & iuſtítiam: & dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Allelúia. ℣. Diffúſa eſt grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. Allelúia.

Secúndum Matthæum. Cap. 25.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis parábolam hanc. Símile eſt regnum cœlórum decem virgínibus: quæ accipiéntes lámpades ſuas exiérunt óbuiã ſponſo, & ſponſæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ: & quinq; prudéntes. Sed quinque fátuæ: accéptis lampádibus non ſumpſérunt óleum ſecum. Prudéntes verò: accepérunt óleum in vaſis ſuis cum lampádibus. Moram autem faciénte ſpõſo: dormitauérunt omnes & dormiérunt. Média autem nocte clamor factus eſt: ecce ſponſus venit, exíte óbuiam ei. Tũc ſurrexérunt omnes vírgines illæ: & ornauérunt lámpades ſuas. Fátuæ autem ſapiéntibus dixérunt. Date nobis de óleo veſtro: quia lámpades noſtræ extingúntur. Reſpondérunt prudéntes, dicéntes. Ne fortè non ſufficiat nobis & vobis: ite pótius ad vendéntes, & émite vobis. Dum autem irent émere: venit ſpõſus. Et quę parátæ erant intrauérunt cũ eo ad núptias: & clauſa eſt iánua. Nouíſſimè verò véniunt & réliquæ vírgines: dicẽtes. Dómine, Dómine: áperi nobis. At ille reſpóndens: ait. Amen dico vobis: néſcio vos. Vigiláte itaque: quia neſcitis diem neque horam.

Offertorium. Afferéntur Regi vírgines, próximæ eius offeréntur tibi in lætítia & exultatióne: adducéntur in templum Regi Dómino. Secreta.

PRæſta, quæſumus, Dómine Deus noſter, vt ſicut in tuo conſpéctu mors eſt pretióſa Sanctórum, ita eórum mérita venerántiũ accépta tibi reddátur oblátio. Per Dóminum.

Communio. Símile eſt regnum cœlórũ hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas: inuénta vna pretióſa margaríta, dedit ómnia ſua, & cõparáuit eam. Poſtcõmunio.

SAnctíficet nos, Dómine, quæſumus, tui percéptio ſacraménti: & intercéſſio beátæ Euphémiæ mártyris tuæ tibi reddat accéptos. Per.

Eodem die SS. Luciæ & Geminiani martyrum. Collecta.

PRæſta Dómine précibus noſtris cum exultatióne prouéntũ: vt, quorum diẽ paſſiónis ánnua deuotióne recólimus: étiam fidei conſtántiam ſubſequámur. Per. Secreta.

VOta pópuli tui Dómine propitiátus inténde, & quorum nos tríbuis ſolémnia celebráre, fac gaudére ſuffrágiis. Per. Poſtcommunio.

EXaúdi Dómine preces noſtras: & Sanctórum tuórum, quorum feſta ſolémniter celebrámus, contínuis foueámur auxíliis. Per Dómi.

LAMBERTI EPISCOPI & martyris. Introitus.



LÆtábitur iuſtus in Dómino, & ſperábit in eo: & laudabũtur omnes recti corde, allelúia, allelúia. Pſalm. Exaúdi Deꝰ oratiónem meam cùm dépreeor: à timóre inimíci éripe ánimam meam.

Collecta.

DEus,qui nos beáti Lābérti mártyris tui atque Pōtíficis ánnua ſolemnitáte lætíficas⁝ concéde propítius:vt,cuius natalítia cólimus⁝de eiúſdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Cap.4.

IVſtus ſi morte præoccupátus fúerit: in refrigério erit. Senéctus enim venerábilis eſt non diutúrna: neque número annórum computáta.Cani ſunt autem ſenſus hóminis: & ætas ſenectútis vita immaculáta. Placens Deò factus diléctus:& viuēs inter peccatóres tranſlátus eſt. Raptus eſt ne malítia mutáret intelléctum illíus: aut ne fíctio decíperet ánimam illíus. Cōſummátus in breui expléuit témpora multa: plácita enim Deo erat ánima illíus. Propter hoc properáuit edúcere illū de médio iniquitátum: quóniam grátia Dei & miſericórdia eſt in Sanctos eius:& reſpéctus in eléctos illíus.

℟. Poſuíſti Dómine ſuper caput eius corónam de lápide pretióſo. ℣. Deſidérium ánimæ eius tribuíſti ei, & voluntáte labiórum eius non fraudáſti eū. Allelúia. ℣. Lætábitur iuſtus in Dómino, & ſperábit in eo, & laudabúntur omnes recti corde, allelúia.

Secúndum Ioánnem. Cap.12.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Amen amen dico vobis: niſi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit, ipſum ſolum manet.Si autē mórtuum fúerit:multum fructum affert. Qui amat ánimam ſuam: perdet eam. Et qui odit ánimam ſuam in hoc mundo: in vitam ætérnam cuſtódit eam. Si quis mihi miniſtrat: me ſequátur. Et vbi ſum ego: illic & miníſter meus erit. Si quis mihi miniſtráuerit: honorificábit eum: Pater meus.

Offertorium. Glória & honóre coronáſti eum, & conſtituíſti eum ſuper ópera mánuum tuárum, Dómine, allelúia. Secreta.

MV'nera tibi Dn̄e, dicáta sāctífica, & intercedénte beáto Lābérto mártyre tuo atque Pontífice, per éadē nos placátus inténde. Per.

Cōmu. Qui vult. pag.200. Poſtcommunio.

HÆc nos commúnio Dómine purget à crímine:&, intercedēte beáto Lambérto mártyre tuo atque Pontífice⁝ cœléſtis remédij fáciat eſſe consórtes. Per Dóminum.

S. Sequani Abbatis. Collecta.

INtercéſſio nos, quǽſumus, Dómine, beáti Sequáni Abbátis comméndet:& quod noſtris méritis non valémus⁝ eius patrocínio aſſequámur. Per Dóminum. Secreta.

SAcris altáribus Dómine hóſtias ſuperpóſitas Sanctus Sequánus, quǽſumus, in ſalútem nobis prouenire depóſcat. Poſtcommunio.

PRótegat nos, Dómine, cum tui perceptióne ſacraménti beátus Sequánus Abbas pro nobis intercedéndo⁝ vt conuerſatiónis eius experiámur inſígnia. Per Dóminum.

IN VIGILIA S. MATTHÆI
Apoſtoli & Euangeliſtæ.

Si vigilia S. Matthæi in diebus ieiuniorum euenerit intermittatur Miſſa de vigilia. Collecta tamen de vigilia ad Miſſam de ieiunio dicatur. Introitus.

EGo autem ſicut olíua fructificáui in domo Dómini, ſperáui in miſericórdia Dei mei:& expectábo nomē tuum, quóniā bonum eſt ante cōſpéctum Sanctórum tuórum. Pſalmus. Quid gloriáris in malítia: qui potens es in iniquitáte? Collecta.

QVǽſumus, omnípotens Deus: vt beát⁹ Matthǽus Apóſtolus tuum pro nobis implóret auxílium: vt à noſtris reátibus abſolúti⁝ à cunctis étiam perículis exuámur. Per.

Léctio libri Sapiéntiæ. Prou. 3.

BEátus homo, qui inuénit ſapiéntiã: & qui áffluit prudéntia. Mélior eſt acquiſítio eius negotiatióne argénti & auri: primi & puríſſimi fructus eius. Pretióſior eſt cunctis ópibus: & ómnia, quæ deſiderántur, huic non valent comparári. Longitúdo diérum in déxtera eius: & in ſiníſtra illíus diuítię & glória. Viæ eius viæ pulchræ: & omnes ſémitæ illíus pacíficæ. Lignum vitæ eſt his, qui apprehénderint eam: &, qui tenúerit eam, beátus. Dóminus ſapiéntia fundáuit terram: ſtabilíuit cœlos prudéntia. Sapiéntia illíus erupérunt abýſſi: & nubes rore concréſcunt.

℟. **Iuſtus vt palma florébit, ſicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini.**

℣. **Ad annuntiándum manè miſericórdiam tuam, & veritátem tuam per noctem.**

Si in Dominica venerit. **Allelúia, ℣. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis eius cupit nimis. Allelúia.**

Secúndum Lucam. Cap. 5.

IN illo témpore: Vidit Ieſus publicánum nómine Leui ſedéntem ad telónium: & ait illi. Séquere me. Et relíctis ómnibus: ſurgens ſecútus eſt eum. Et fecit ei cõuíuium magnum Leui: in domo ſua. Et erat turba multa publicanórũ: & aliórum qui cum illis erãt diſcumbéntes. Et murmurábant Phariſǽi & Scribę eórum: dicéntes ad diſcípulos eius. Quare cum publicánis & peccatóribus mãducátis, & bíbitis? Et reſpóndens Ieſus: dixit ad illos. Non egent, qui ſani ſunt, médico: ſed qui malè habẽt. Non enim veni vocáre iuſtos: ſed peccatóres ad pœniténtiam.

Offertorium. **GIória & honóre coronáſti eum, & conſtituíſti eum ſuper ópera mánuum tuárum, Dómine.** Secreta.

SAcrándum tibi, Dómine, munus offérimus, quo beáti Matthǽi ſolémnia recoléntes purificatiónem quoque noſtris méntibus implorámus. Per Dóminum.

Communio. **Poſuíſti Dómine in cápite eius corónam de lápide pretióſo.** Poſtcõmunio.

PErcéptis, Dómine, ſacraméntis, ſuppliciter exorámus: vt, intercedénte beato Matthǽo Apóſtolo tuo, quæ pro illíus veneránda gérimus paſſióne ⁊ nobis profíciant ad medélam. Per Dóminum.

IN DIE. Introitus.

MIhi autem nimis honoráti ſunt amíci tui, Deus: nimis confortátus eſt principátus eórum. Pſalmus. **Dómine probáſti me, & cognouíſti me: tu cognouíſti ſeſſiónem meam, & reſurrectiónem meam.**

Collecta.

ECcléſiam tuam Dómine benígnus illúſtra: vt beáti Matthǽi Euãgéliſtæ illumináta doctrínis ⁊ ad dona peruéniat ſempitérna. Per Dó.

Ad Ephéſios. Cap. 4.

FRatres: Vnicuíque noſtrum data eſt grátia: ſecúndum menſúram donatiónis Chriſti. Propter quod dicit. Aſcéndens in altum captíuam duxit captiuitátem: dedit dona homínibus. Quod autẽ aſcéndit quid eſt, niſi quia & deſcéndit primùm in inferióres partes terræ? Qui deſcéndit: ipſe eſt & qui aſcéndit ſuper omnes cœlos, vt adimpléret ómnia. Et ipſe dedit quoſdã quidem Apóſtolos, quoſdam autẽ Prophétas, álios verò Euangeliſtas, álios autem Paſtóres & Doctóres, ad conſummatiónem Sãctórum, in opus miniſtérij, in ædificatiónem córporis Chriſti: donec occurrámus omnes in vnitátem fídei, & agnitiónis Fílij Dei, in virum perféctum, in mẽſúram ætátis: plenitúdinis Chriſti.

℟. **Nimis honoráti ſunt amíci tui, Deus, nimis confortátus eſt principátus eórum.**

℣. Dinumerábo eos: & ſuper arénã multiplicabúntur. Allelúia. ℣. Nõ vos me elegíſtis, ſed ego vos elégi, & póſui vos: vt eátis, & fructum afferátis, & fructus veſter máneat. Alle.

Secúndum Matthæum. Cap. 9.

IN illo témpore: Cùm tranſíret Iéſus: vidit hóminem ſedéntem in telónio Matthæum nómine, & ait illi. Séquere me. Et ſurgens: ſecútus eſt eum. Et factum eſt diſcumbénte eo in domo: ecce multi publicáni & peccatóres veniéntes diſcumbébãt cum Iéſu & diſcípulis eius. Et vidéntes Phariſæi: dicébant diſcípulis eius. Quare cum publicánis & peccatóribus mandúcat magíſter veſter? At Iéſus aúdiens: ait. Non eſt opus valéntibus médicus: ſed malè habéntibus. Eúntes autem: diſcite quid eſt, miſericórdiam volo, & non ſacrifícium. Non enim veni vocáre iuſtos: ſed peccatóres. Crcdo.

Offert. In omnem terrã exíuit ſonus eórum: & in fines orbis terræ verba eórũ. Secrera.

SV'ſcipe múnera Dómine, quæ in eius tibi ſolemnitáte deférimus, cuius nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminum.

Præfatio. Te Dómine ſupplí. pag. 184.

Communio. Ego vos elégi de mũdo, vt eátis, & fructum afferátis, & fructus veſter máneat. Poſtcommunio.

REfécti cibo potúque cœléſti, Deus noſter, te ſúpplices deprecámur: vt, in cuius hæc commemoratióne percépimusꝰ eius muniámur & précibus. Per Dóminum.

SS. MAVRICII SOCIOrumque eius mart. Introitus.

SAlus autem iuſtórũ à Dómino: & protéctor eórũ eſt in témpore tribulatiónis. Pſalmus. Noli æmulári in malignãtibus: neque zeláueris faciéntes iniquitátem.

Collecta.

DEus, qui nos concédis Sanctórum mártyrum tuórum Maurícij ſociorúmque eius natalítia cólereꝫ da nobis in ætérna beatitúdine de eórum ſocietáte gaudére. Per.

Léctio epiſtolæ beati Pauli Apóſtoli: Ad Hebræos. Cap. 11.

FRatres: Sancti per fidem vicérũt regna: operáti ſunt iuſtitiã, adépti ſunt repromiſſiónes. Obturauérunt ora leónum: extinxérunt ímpetum ignis, effugárunt áciem gládij, conualuérunt de infirmitáte, fortes facti ſunt in bello. Caſtra vertérunt exterórum: accepérunt mulíeres de reſurrectióne mórtuos ſuos. A'lij autem diſténti ſunt nõ ſuſcipiéntes redemptiónem: vt melióřẽ inuenírent reſurrectiónem. A'lij verò ludíbria & vérbera expérti, inſuper & víncula & cárceres: lapidáti ſunt, ſecti ſunt, tentáti ſunt, in occiſióne gládij mórtui ſunt. Circuiérunt in melótis, in péllibus caprínis: egéntes, anguſtiáti, afflícti, quibus dignus non erat mundus. In ſolitudínibus erránt es: in móntibus & in ſpelúncis & in cauérnis terræ. Et hi omnes: teſtimónio fidei probáti inuénti ſunt. In Chriſto Iéſu: Dómino noſtro.

℟. Glorióſus Deus in Sanctis ſuis, mirábilis in maieſtáte fáciens prodígia. ℣. Déxtera tua, Dómine, glorificáta eſt in virtúte: déxtera manus tua confrégit inimícum.

Allelúia. ℣. Sancti & iuſti in Dño gaudéte, vos elégit Deus in hæreditátẽ ſibi. Allelúia.

Secundum Matthæum. Cap. 5.

IN illo témpore: Videns turbas Iéſus: aſcéndit in montem. Et cùm ſediſſet: acceſſérũt ad eum diſcípuli eius. Et apériens os ſuum: docébat eos, dicens. Beáti paúperes ſpíritu: quóniam ipſórum eſt regnum cœlórum. Beáti mites: quóniam ipſi poſſidébunt terram. Beáti, qui lugent: quóniam ipſi conſolabúntur. Beáti, qui eſúriũt, & ſítiunt iuſtítiam: quó-

niam ipſi ſaturabúntur. Beáti miſericórdes: quóniam ipſi miſericórdiam conſequéntur. Beáti mundo corde: quóniam ipſi Deum vidébunt. Beáti pacífici: quóniam filij Dei vocabúntur. Beáti qui perſecutióne patiúntur propter iuſtítiam: quóniã ipſórum eſt regnum cœlórum. Beáti éritis cùm maledíxerint vobis hómines, & perſecúti vos fúerint, & díxerint omne malum aduérſum vos mentiéntes: propter me. Gaudéte in illa die, & exultáte: quóniam merces veſtra: copióſa eſt in cœlis.

Offertorium. Mirábilis Deus in Sanctis ſuis, Deus Iſráel ipſe dabit virtúte & fortitúdine plebi ſuæ, benedíctus Deus, allel. Secreta.

MV'nera tibi, Dómine, noſtræ deuotiónis offérimus, quæ & pro tuórum tibi grata ſint honóre iuſtórum, & nobis ſalutária, te miſeránte, reddántur. Per Dóminum.

Communio. Poſuérunt mortália ſeruórum tuórum, Dómine, eſcas volatílibus cœli carnes Sanctórum tuórum béſtiis terræ: ſecúndum magnitúdinem bráchij tui póſſide filios morti punitórum. Poſtcommunio.

PRæſta nobis Dómine, quæſum⁹, intercedéntibus Sãctis tuis Maurício ſociíſque eius: vt, quæ ore contígimus, pura mente capiámus. Per.

SSS. Andochij, Tyrſi, & Felicis martyrum. Collecta.

DA, quæſumus, omnípotens Deus: vt, qui beatórum mártyrũ ſolémnia cólimus, eórum apud te interceſſiónibus adiuuémur. Per Dóminum noſtrum. Secreta

HO'ſtias tibi, Dómine, beatórum mártyrum dicátas méritis benígnus aſſúme, & ad perpétuum nobis tríbue proueníre ſubſidium. Per Dóminum. Poſtcommunio.

QVæſumus, omnípotens Deus: vt, qui cœléſtia aliménta percépimus, intercedéntibus Sanctis tuis, per hæc contra ómnia aduérſa muniámur. Per Dóminum.

SS. COSMÆ ET DAMIANI martyrum. Introitus.

SApiéntiam Sanctórum narrant pópuli: & laudẽ eórum núntiat Eccléſia, nómina autẽ eórum viuent in ſǽculum ſǽculi.

Pſalmus. Exultáte iuſti in Dómino: rectos decet collaudátio. Collecta.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus: vt, qui Sãctórum tuórum Coſmæ & Damiáni natalítia cólimus, à cunctis malis imminéntibus eórũ interceſſiónib⁹ liberémur. Per.

Ad Corínthios. 2. Cap. 1.

FRatres: Benedíctus Deus & Pater Dómini noſtri Ieſu Chriſti: Pater miſericordiárum, & Deus totíus cõſolatiónis, qui conſolátur nos in omni tribulatióne noſtra, vt poſsímus & ipſi conſolári eos, qui in omni preſſúra ſunt, per exhortatiónẽ, qua exhortámur & ipſi à Deo, quóniam ſicut abúndant paſſiónes Chriſti in nobis, ita & per Chriſtũ abúndat conſolátio noſtra. Siue autem tribulámur pro veſtra exhortatióne & ſalúte, ſiue exhortámur pro veſtra conſolatióne & ſalúte: quæ operátur tolerántiam earúmdem paſſiónum, quas & nos pátimur. Et ſpes noſtra firma pro vobis: ſciéntes, quóniam ſicut ſocij paſſiónum eſtis, ſic éritis & conſolatiónis. In Chriſto Iéſu: Dómino noſtro.

℞. Clamauérunt iuſti, & Dóminus exaudíuit eos, & ex ómnibus tribulatiónibus eórũ liberáuit eos. ℣. Iuxta eſt Dóminus his, qui tribuláto ſunt corde: & húmiles ſpíritu ſaluabúntur. Allelúia. ℣. Te mártyrum candidátus laudat exércitus, Dómine. Allelúia.

Secúndum Matthæum. Cap. 10.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Nihil opértum, quod non reuelábitur: & occúltum, quod

non

non ſciétur. Quod dico vobis in ténebris: dícite in lúmine. Et quod in aure audítis: prædicáte ſuper tecta. Et nolíte timére eos, qui occídunt corpus, ánimam autem nõ poſſunt occídere: ſed pótius eum timéte, qui poteſt ánimam & corpus pérdere in gehénnam. Nonne duo páſſeres aſſe væneunt, & vnus ex illis non cadet ſuper terrã ſine Patre veſtro? Veſtri autem capílli cápitis: omnes numeráti ſunt. Nolíte ergo timére: multis paſſéribus melióres eſtis vos. Omnis ergo qui cõfitébitur me coram homínibus: confitébor & ego eum coram Patre meo: qui eſt in cœlis.

Offertorium. Gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, quóniam tu Dómine benedíces iuſtis: Dómine vt ſcuto bonæ voluntátis tuæ coronáſti eos. Secreta.

SAnctórum tuórum nobis, Dómine, pia non deſit orátio, quæ & múnera noſtra concíliet, & tuam nobis indulgéntiam ſemper obtíneat. Per Dóminum.

Communio. Poſuérunt mortália ſeruórum tuórũ, Dómine, eſcas volatílibus cœli, carnes Sanctórum tuórum béſtiis terræ: ſecúndum magnitúdinem bráchij tui póſſide fílios morti punitórum. Poſtcommunio.

PRótegat, Dómine, quæſumus, pópulum tuum & participátio cœléſtis indúlta conuíuij: & deprecátio colláta Sanctórum. Per Dñm.

S. VVenceſlai martyris Miſſa ſicut de S. Thoma marty. pag. 200. præter orationes ſequentes. Collecta.

LÆtétur Eccléſia tua Deus beáti VVenceſlái mártyris confíſa ſuffrágiis: atque eius précibus glorióſis & deuóta permáneat: & ſecúra conſiſtat. Per Dóminum. Secreta.

SVſcipe Dómine múnera, quæ in eius tibi ſolemnitáte deférimus, cuius nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminũ. Poſtcommunio.

SAtiáſti, Dñe, famíliam tuam munéribus ſacris: eius, quæſumus, ſemper interuentióne nos réfoue: cuius ſolémnia celebrámus. Per Dóminum noſtrum.

S. MICHAELIS ARCHANG.

Introitus.

BEnedícite Dóminum omnes A'ngeli eius: poténtes virtúte, qui fácitis verbũ eius, ad audiéndã vocem ſermónum eius. Pſalmus. Bénedic ánima mea Dómino: & ómnia, quæ intra me ſunt, nómini ſancto eius. Collecta

DEus, qui miro órdine Angelórum miniſtéria, hominúmque diſpénſas: cõcéde propítius: vt, quibus tibi miniſtrántibus in cœlo ſemper aſsiſtitur: ab his in terra noſtra vita muniátur. Per Dóminum.

Ad matutinalem Miſſam.

Léctio libri Apocalýpſis: B. Ioánnis Apóſtoli. Cap. 12.

FActum eſt prælium magnum in cœlo: Michácl & A'ngeli eius, præliabántur cum dracóne. Et draco pugnábat & A'ngeli eius: & non valuérunt, neque locus inuéntus eſt ámpliùs eórum in cœlo. Et proiéctus eſt draco ille magnus, ſerpens antíquus, qui vocátur diábolus & Sáthanas: qui ſedúcit vniuérſum orbem, proiéctus eſt in terram, & A'ngeli eius cum illo miſſi ſunt. Et audíui vocẽ magnam in cœlo, dicéntem. Nunc facta eſt ſalus & virtus & regnum Dei noſtri & potéſtas Chriſti eius: quia proiéctus eſt accuſátor fratrum noſtrórum, qui accuſábat illos ante conſpéctum Dei noſtri die ac nocte. Et ipſi vicérunt illum propter ſánguinem Agni: & propter verbum teſtimónij ſui, & non dilexérunt ánimas ſuas vſque ad mortem. Proptérea lætámini cœli: & qui habitátis in eis.

Digitized by Google

Ad Miſſam maiorem.

Léctio libri Apocalýpſis: B. Ioánnis Apóſtoli. Cap.1.

IN diébus illis: Significáuit Deus, quæ opórtet fieri citò, loquēs per Angelū ſuum ſeruo ſuo Ioánni: qui teſtimónium perhíbuit Verbo Dei, & teſtimóniū Iéſu Chriſti, quæcúnque vidit. Beátus qui legit, & qui audit verba prophétiæ huius: & ſeruat ea, quæ in ea ſcripta ſunt. Tempus enim prope eſt. Ioánnes ſeptē Eccléſiis, quæ ſunt in A'ſia: grátia vobis & pax ab eo qui eſt & qui erat & qui ventúrus eſt. Et à ſeptē ſpirítibus, qui in cōſpéctu throni eius ſunt: & ab Iéſu Chriſto, qui eſt teſtis fidélis, primogénitus mortuórum & Princeps Regū terræ. Qui diléxit nos, & lauit nos à peccátis noſtris: in ſāguine ſuo.

℟. Benedícite Dómino omnes A'ngeli eius, poténtes virtúte, qui fácitis verbum eius.

℣. Bénedic ánima mea Dómino: & ómnia interióra mea nomen ſanctum eius.

A lleluia. ℣. In conſpéctu Angelórum pſallam tibi, Dómine Deus meus. Allelúia.

Secúndum Matthǽum. Cap.18.

IN illo témpore: Acceſſérunt diſcípuli ad Iéſum, dicéntes. Quíſputas maior eſt in regno cœlórum? Et áduocans Iéſus páruulū: ſtátuit eum in médio eórum, & dixit. Amen dico vobis: niſi conuérſi fuéritis, & efficiámini ſicut páruuli, non intrábitis in regnum cœlórum. Quicúnque ergo humiliáuerit ſe, ſicut páruulus iſte: hic eſt maior in regno cœlórū. Et qui ſuſcéperit vnum páruulum talem in nómine meo: me ſúſcipit. Qui autem ſcandalizáuerit vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt: éxpedit ei, vt ſuſpendátur mola aſinária in collo eius, & demergátur in profúndū maris. Væ mundo à ſcándalis. Necéſſe eſt enim: vt véniant ſcándala. Verúntamen væ hómini illi: per quem ſcándalum venit. Si autem manus tua vel pes tuus ſcandalízat te: abſcinde eum, & próiice abs te. Bonum tibi eſt ad vitam íngredi débilem vel claudum: quàm duas manus vel duos pedes habéntem mitti in ignem ætérnum. Et ſi óculus tuus ſcandalízat te: érue eum, & próiice abs te. Bonum tibi eſt vnum óculum habéntem in vitam intráre: quam duos óculos habéntem mitti in gehénnam ignis. Vidéte: ne contemnátis vnum ex his puſillis. Dico enim vobis: quia A'ngeli eórum in cœlis ſemper vident fáciem Patris mei: qui in cœlis eſt.

Offertorium. Stetit A'ngelus iuxta aram templi, habens thuríbulum áureum in manu ſua, & data ſunt ei incénſa multa: & aſcéndit fumus arómatum in conſpéctu Dei, allelúia. Secreta.

HO'ſtias tibi, Dómine, laudis offérimus, ſuppliciter deprecántes, vt eáſdem, angélico pro nobis interueniénte ſuffrágio, & placátus accípias: & ad ſalútem noſtram prouenire concédas. Per Dóminum.

Communio. Benedícite omnes A'ngeli Dómini Dómino: hymnum dícite, & ſuperexaltáte eum in ſǽcula. Poſtcommunio.

BEáti Archángeli tui Michaélis interceſſióne ſuffúlti, ſúpplices te, Dómine, deprecámur: vt, quos honóre proſéquimur, contingámus & mente. Per Dóminum.

De Sancto Hieronymo fiat ſicut de Sancto Antonio. pag. 205.

S. REMIGII EPISCOPI.

Introitus.

STátuit ei Dóminus teſtaméntū pacis: & Principem fecit eū, vt ſit illi ſacerdótij dígnitas in ætérnum.

Pſalmus. Miſericórdias Dómini: in ætérnum cantábo. Cætera omnia ſicut de S. Silueſtro. pag. 201.

Eodem

Eodem die SSS. Germani, Vedaſti & Amandi Epiſcoporum. Collecta.

COncéde, quǽſumus, omnípotens Deus? vt ad melióre m vitam Sanctórum tuórum exémpla nos próuocent: quátinus quorum ſolémnia ágimus? étiam actus imitémur. Per Dóminum. Secreta.

SVſcipe Dómine preces & múnera, quæ, vt tuo ſint digna conſpéctu, Sanctórum tuórum précibus adiuuémur. Per Dó. Poſtcommunio.

COrporis ſacri & pretióſi ſánguinis repléti libámine, quǽſumus, Dómine Deus noſter: vt, quod pia deuotióne gérimus? certa redemptióne capiámus. Per Dóminum.

S. Leodegarij Epiſc. & martyris. Collecta.

DA, quǽſumus, omnípotens Deus: vt, qui beáti Leodegárij mártyris tui atque Pontíficis ſolémnia cólimus? eius apud te interceſſiónibus adiuuémur. Per Dó. Secreta.

HÆc hóſtia, quǽſumus, Dómine, emúndet noſtra delícta, & ſacrifícium celebrándum ſubditórũ tibi córpora mentéſque ſanctíficet. Per Dóminum. Poſtcommunio.

REfécti participatióne múneris ſacri, quǽſumus, Dómine Deus noſter: vt, cuius exéquimur cultũ? ſentiámus effectum. Per Dóminum.

De Sancto Franciſco fiat ſicut de Sancto Antonio. pag. 205.

S. MARCI PAPÆ. Introitus.

SAcerdótes Dei benedícite Dóminum, Sancti & húmiles corde laudáte Deũ. Pſalmus. Benedícite ómnia ópera Dómini Dómino: laudáte, & ſuperexaltáte eum in ſǽcula.

Collecta.

EXaúdi, quǽſumus, Dómine preces noſtras? &, interueniẽte beáto Marco cõfeſſóre tuo atque Pontífice, ſupplicatiónes noſtras placátus inténde. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccl^ci. Cap. 44.

ECce Sacérdos magnus, qui in diébus ſuis plácuit Deo: & inuéntus eſt iuſtus. Et in témpore iracúndiæ factus eſt recõciliátio. Non eſt inuéntus símilis illi: qui conſeruáret legem Excélſi. Ideo iureiurándo fecit illum Dóminus créſcere in plebem ſuam. Benedictiónem ómnium Géntium dedit illi: & teſtaméntum ſuum cõfirmáuit ſuper caput eius. Cognóuit eum in benedictiónibus ſuis: conſeruáuit illi miſericórdiam ſuam, & inuénit grátiam coram óculis Dómini. Magnificáuit eum in conſpéctu Regum: & dedit illi corónam glóriæ. Státuit illi teſtaméntum ſempitérnum: & dedit illi ſacerdótium magnum, & beatificáuit illum in glória. Fungi ſacerdótio: & habére laudem in nómine ipsíus. Et offérre illi incénſum dignum: in odórem ſuauitátis.

℟. Inuéni Dauid ſeruum meum óleo ſancto vnxi eum, manus enim mea auxiliábitur ei, & bráchium meum confortábit eum.

℣. Nihil profíciet inimícus in eo, & fílius iniquitátis non nocébit ei.

Allelúia. ℣. Poſuíſti Dómine ſuper caput eius corónam de lápide pretióſo. Allelúia.

Secúndum Lucam. Cap. 19.

IN illo témpore: Dixit Ieſus diſcípulis ſuis parábolam hanc. Homo quidam nóbilis ábiit in regiónẽ longínquam: accípere ſibi regnum, & reuérti. Vocátis autem decem ſeruis ſuis: dedit illis decem mnas. Et ait ad illos. Negotiámini dum vénio. Ciues autem eius óderant illum: & miſérũt legatiónẽ poſt illum, dicéntes. Nólumus hunc regnáre ſuper nos. Et factum eſt vt rediret accépto regno: & iuſſit vocári ſeruos, quibus dedit pecúniam, vt ſciret quantum quiſque

negotiátus eſſet. Venit autẽ primus: dicens. Dómine: mna tua decẽ mnas acquiſiuit. Et ait illi. Euge ſerue bone, quia in módico fuiſti fidélis: eris poteſtátem habens ſupra decem ciuitátes. Et alter venit, dicens. Dómine: mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait. Et tu eſto ſupra quinque ciuitátes. Et alter venit, dicens. Dómine: ecce mna tua, quam hábui repóſitam in ſudário. Tímui enim te, quia homo auſtérus es: tollis quod non poſuiſti, & metis quod non ſemináſti. Et dixit ei. De ore tuo te iúdico: ſerue nequam. Sciébas quòd ego homo auſtérus ſũ: tollens quod non póſui, & metens quod non ſeminaui. Et quare non dediſti pecúniam meam ad menſam, & ego véniens, cum vſúris vtique exegiſſem illam? Et aſtántibus dixit. Auferte ab illo mnam: & date illi, qui decẽ mnas habet. Et dixérunt ei. Dómine: habet decem mnas. Dico autẽ vobis, quia omni habénti dábitur: ab eo autem qui non habet, & quod habet auferétur ab eo. Verúntamen inimícos meos illos, qui noluérunt me regnáre ſuper ſe, addúcite huc: & interficite ante me.

Offertorium. Véritas mea, & miſericórdia mea cum ipſo, & in nómine meo exaltábitur cornu eius. Secreta.

Accépta tibi ſit, Dómine, ſacræ plebis oblatio pro tuórum honóre Sanctórum, quorum ſe méritis percepiſſe de tribulatióne cognóſcit auxílium. Per Dóminum.

Communio. Beátus ſeruus, quem, cùm vénerit Dóminus, inuénerit vigilántem: amen dico vobis, ſuper ómnia bona ſua conſtítuet eum. Poſtcommunio.

Da, quæſumus, Dómine fidélibus pópulis Sanctórũ tuórum ſemper veneratióne lętári? & eórum perpétua ſupplicatióne muníri. Per Dóminum noſtrum.

Eodem die SS. Marcelli, Apulei Sergij, & Bacchi martyrum. Collecta.

Præſta, quæſumus, omnípotens Deus: vt, qui glorióſos mártyres fortes in ſua confeſſióne cognóuimus? pios apud te in noſtra interceſſióne ſentiámus. Per Dóminum.

Secreta.

Sacrificiis præſéntibus Dómine, quæſumus, inténde placátus: vt, intercedéntibus Sanctis tuis, deuotióni noſtræ proficiant, & ſalúti. Per Dóminum. Poſtcommunio.

Quæſumus, omnípotens Deus: vt illíus ſalutáris capiámus effé-ctum? cuius, per hæc myſtéria, pignus accépimus. Per Dóminum.

SS. DIONYSII SOCIORVMque eius. Introitus.

Multæ tribulatiónes iuſtórum: & de his ómnibus liberábit eos. Dóminus: Dóminus cuſtódit ómnia oſſa eórum vnũ ex his non conterétur. Pſalmus. Benedícam Dóminum in omni témpore: ſemper laus eius in ore meo. Collecta.

Deus, qui nos ánnua Sãctórum tuórũ Dionýſij ſociorúmque eius ſolemnitáte lætíficas? concéde propítius: vt quórũ gaudémus méritis? accendámur exémplis. Per.

Lectio libri Sapiéntiæ. Cap. 3.

Iuſtórũ ánimæ in manu Dei ſunt: & non tanget illos torméntum mortis. Viſi ſunt óculis inſipiéntium mori: & æſtimáta eſt afflíctio éxitus illórum. Et quod à nobis eſt iter exterminij: illi autem ſunt in pace. Et ſi coram homínibus torménta paſſi ſunt: ſpes illórũ immortalitáte plena eſt. In paucis vexáti, in multis bene diſponéntur: quóniam Deus tentáuit illos, & inuénit illos dignos ſe.

Tanquam

Tanquam aurum in fornáce probáuit illos:& quaſi holocaúſti hóſtiam accépit illos,& in témpore erit reſpéctus illórum Fulgébunt iuſti:& tanquam ſcintíllæ in arundinéto diſcúrrent. Iudicábunt natiónes: & dominabúntur pópulis. Et regnábit Dóminus illórum: in perpétuum.

℞ Clamauérunt iuſti, & Dóminus exaudíuit eos, & ex ómnibus tribulatiónibus eórũ liberáuit eos. ℣. Iuxta eſt Dóminus his qui tribuláto ſunt corde, & húmiles ſpíritu ſaluabúntur. Allelúia. ℣. Fulgébunt iuſti, & tanquam ſcintíllæ in arundinéto diſcúrrent, & regnábunt in ætérnum. Allelúia.

Secúndum Matthǽum. Cap. 11

IN illo témpore: Reſpóndens Ieſus dixit. Confíteor tibi Pater, Dómine cœli & terræ quia, abſcondíſti hæc á ſapiéntibus & prudéntibus: & reueláſti ea páruulis. Ita Pater: quóniam ſic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádita ſunt à Patre meo. Et nemo nouit Filium niſi Pater: neque Patrem quis nouit, niſi Filius, & cui volúerit Filius reueláre. Venite ad me omnes, qui laborátis, & oneráti eſtis:& ego reficiam vos. Tóllite iugum meum ſuper vos: & díſcite à me, quia mitis ſum, & húmilis corde, & inueniétis réquiem animábus veſtris. Iugum enim meum ſuáue eſt: & onus meum leue.

Offertorium. Gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum: quóniam tu Dómine benedíces inſtis: Dómine vt ſcuto bonæ voluntátis tuæ coronáſti eos. Secreta.

OBlátis, quǽſumus, Dómine placáre munéribus, &, intercedéntibus Sanctis tuis Dionýſio ſociíſque eius, à cunctis nos defénde perículis. Per Dóminum.

Communio. Signa eos, qui in me credent, hæc ſequéntur, dæmónia eiícient: ſuper ægros manus impónent: & bene habébunt.

Poſtcommunio.

HÆc nos commúnio, Dómine, purget à crímine: & interce-déntibus Sanctis tuis Dionýſio ſociíſque eius, cœléſtis remédij fáciat eſſe consórtes. Per Dóminum.

S. Calixti Papæ. Collecta

DEus, qui nos cónſpicis ex noſtra infirmitáte deficere: ad amórẽ tuum nos miſericórditer per Sanctórum tuórum exémpla reſtaúra. Per Dóminum. Secreta.

MYſtica nobis, Dómine proſit oblátio, quæ nos & à reátibus noſtris expédiat, & perpétua ſaluatióne confírmet. Per Dóminum.

Poſtcommunio.

QVǽſumus, omnípotens Deus: vt & reátum noſtrum munera ſacráta puríficent: & rectè viuéndi nobis operéntur affectum. Per Dó.

S. LVCÆ EVAÑGELISTÆ.

Introitus.



IN médio Ecclésiæ apéruit os ei?, & impléuit eum Dóminus ſpíritu ſapiéntiæ & intelléctus, ſtola glóriæ induit eũ.

Pſalmus. Iucunditátem, & exultatiónem: theſaurizáuit ſuper eum. Collecta

ECcléſiam tuam Dómine benígnus illúſtra: vt beáti Lucæ Euãgeliſtæ illumináta doctrínis: ad dona peruéniat ſempitérna. Per Dómi.

Lectio libri Sapiéntiæ.

Eccl[ci] Cap. 15.

QVi timet Deũ: fáciet bona. Et, qui cóntinẽs eſt iuſtítiæ, apprehéndet illam: & obuiábit illi quaſi mater honorificáta. Cibáuit illũ pane vitæ & intelléct?: & aqua ſapiéntiæ ſalutáris potáuit illũ. Et firmábitur in illo, & non flectétur: & continébit illum, & non confundétur, & exaltábit illum apud próximos ſuos. In médio Eccléſiæ apéruit os eius: & impléuit eum Dóminus ſpíritu ſa-

piéntiæ & intelléctus, & ſtola glóriæ induit eum. Iucunditátem & exultatiónem: theſaurizáuit ſuper eum. Et nómine ætérno hæreditáuit illũ: Dóminus Deus noſter.

℟. Os iuſti meditábitur ſapiéntiam, & lingua eius loquétur iudíciũ. ℣. Lex Dei eius in corde ipſius: & non ſupplantabúntur greſſus eius. Allelúia. ℣. Primus ad Sion dicet, ecce adſum, & Ierúſalem Euangeliſtam dabo. Allelúia.

Secúndum Lucam. Cap. 10.

IN illo témpore: Deſignáuit Dóminus & álios ſeptuagínta duos diſcípulos: & miſit illos binos ante fáciem ſuam, in omnem ciuitátem & locum, quo erat ipſe ventúrus. Et dicébat illis. Meſſis quidem multa: operárij autem pauci. Rogáte ergo Dóminum meſſis: vt mittat operários in meſſem ſuam. Ite. Ecce ego mitto vos: ſicut agnos inter lupos. Nolíte ergo portáre ſácculum, neque peram, neque calceaménta: & néminem per viam ſalutauéritis. In quamcúnque domum intrauéritis: primùm dícite. Pax huic dómui. Et ſi ibi fúerit filius pacis: requiéſcet ſuper illam pax veſtra. Sin autẽ: ad vos reuertétur. In eádem autem domo manéte: edéntes & bibéntes quæ apud illos ſunt. Dignus eſt enim operárius: mercéde ſua. Credo.

Offertorium. Poſuíſti Dómine in cápite eius corónam de lápide pretióſo, vitam pétiit à te, & tribuíſti ei, allelúia. Secreta.

SVſcipe múnera Dómine, quæ in eius tibi ſolemnitáte deférimus, cuius nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminum.

Communio. Dómine quinque talénta tradidíſti mihi, ecce ália quinque ſuperlucrátus ſum: euge ſerue fidélis, quia in pauca fuíſti fidélis, ſupra multa te conſtítuam: intra in gaúdium Dómini tui.

Poſtcommunio.

REfécti cibo potúque cœléſti, Deus noſter, te ſúpplices deprecámur: vt, in cuius hæc commemoratióne percépimus: eius muniámur & précibus. Per Dóminum.

SS. VNDECIM MILLIVM virginum. Introitus.

Gaudeámus omnes in Dómino, diem feſtũ celebrántes ſub honóre Sãctárum vírginũ: de quarũ paſſióne gaudent Angeli, & collaúdant Filium Dei.

Pſalmus. Exultáte iuſti in Dómino: rectos decet collaudátio. Collecta.

DEus, qui nos ánnua beátæ Vrſulæ mártyris tuę ſociarúmque eius ſolémnitáte lætíficas: da vt quas venerámur officio: étiam piæ conuerſatiónis ſequámur exémplo. Per Dóminum noſtrum.

Ad Corínthios. 2. Cap. 10.

FRatres: Qui gloriátur: in Dómino gloriétur. Non enim, qui ſeípſum cõméndat, ille probátus eſt:
ſed quẽ Deus commendat. Vtinam Cap. 11.
ſuſtinerétis módicum quid inſipiéntiæ meæ: ſed & ſupportáte me. Æmulor enim vos: Dei æmulatióne. Deſpóndi enim vos vni viro vírginem caſtam: exhibére Chriſto.

℟. Anima noſtra ſicut paſſer erépta eſt de láqueo venántium. ℣. Láqueus contrítus eſt, & nos liberáti ſumus: adiutórium noſtrum in nómine Dómini: qui fecit cœlum & terram. Allelúia. ℣. Hódie vírginum chorus trucidátus eſt pro Chriſto ſponſo ſuo: qui póſuit ánimam ſuam pro óuibus ſuis: & pro ſuo grege mori dignátus eſt. Allelúia.

Secúndum Matthæum. Cap. 25.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis parábolam hanc. Símile eſt regnum cœlórum decem virgínibꝰ: quæ accipiéntes lámpades ſuas exiérunt óbuiam ſponſo & ſponſæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ: &

& quinque prudéntes. Sed quinque fátuæ: accéptis lampádibus, nõ ſumpſérunt óleũ ſecum. Prudéntes verò: accepérunt óleũ in vaſis ſuis cum lampádibus. Morã autem faciénte ſponſo: dormitauérunt omnes, & dormiérũt. Média autem nocte clamor factus eſt: ecce ſponſus venit, exíte óbuiã ei. Tũc ſurrexérunt omnes vírgines illæ: & ornauérunt lámpades ſuas. Fátuæ autẽ: ſapiéntibus dixérunt. Date nobis de óleo veſtro: quia lámpades noſtræ extingúntur. Reſpondérunt prudéntes dicéntes. Ne fortè nõ ſufficiat nobis & vobis: ite pótiùs ad vendéntes, & émite vobis. Dum autẽ irent émere: venit ſponſus. Et, quæ parátæ erant, intrauérunt cum eo ad núptias: & clauſa eſt iánua. Nouiſſimè verò véniunt & réliquæ vírgines: dicéntes. Dómine, Dómine: áperi nobis. At ille reſpóndens: ait. Amen dico vobis: néſcio vos. Vigiláte ítaque: quia neſcítis diem, neque horam.

Offertorium. Offeréntur Regi vírgines, próximæ eius offeréntur tibi in lætítia & exultatióne: adducéntur in templum Regi Dómino.

Secreta.

HÆc hóſtia placatiónis & laudis, quæſumus Dómine, interueniéntibus beáta V'rſula mártyre tua ſociabúſque eius, nos tua protectióne dignos ſemper efficiat. Per Dóminum noſtrum.

Communio. Quinque prudéntes vírgines accepérunt óleum in vaſis ſuis cum lampádibus: média autem nocte clamor factus eſt: ecce ſponſus venit, exíte óbuiam Chriſto Dómino.

Poſtcommunio.

SAtiáſti Dómine famíliam tuam munéribus ſacris: cárum, quæſumus, ſemper interuentióne nos réfoue; quarum ſolémnia celebrámus. Per Dóminum.

SS Criſpini & Criſpiniani mart. Collecta.

PRæſta, quæſumus omnípotens Deus: vt, qui Sanctórum tuórũ ſolemnia cólimus; eórum étiam virtútes imitémur. Per Dóminum.

Secreta.

HO'ſtia hæc, quæſumus, Dómine, quam Sanctórum tuórum natalítia recenſéntes offérimus, & víncula noſtræ prauitátis abſóluat, & tuæ nobis miſericórdiæ dona concíliet. Per Dóminum.

Poſtcommunio.

SAcro múnere ſatiáti ſúpplices te, Dómine, deprecámur: vt quod débitæ ſeruitútis celebrámus officio; ſaluatiónis tuæ ſentiámus augméntum. Per Dóminum.

IN VIGILIA SS. APOSTOlorum Symonis & Iudæ.

Introitus.

INtret in conſpéctu tuo, Dómine, gémit' compeditórum: redde vicínis noſtris ſéptuplum in ſinu eórum, víndica ſánguinem Sanctórum tuórum, qui effúſus eſt.

Pſalmus. Deus venérunt Gentes in hęreditátem tuam: polluérunt templum ſanctum tuum, poſuérunt Ierúſalem in pomórum cuſtódiam.

Collecta.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus: vt nullis nos permíttas perturbatiónibus cóncuti; quos in Apoſtólicæ confeſſiónis petra ſolidáſti. Per Dóminum.

Lectio libri Sapiéntiæ. Cap. 3.

IVſtórũ ánimæ in manu Dei ſunt: & non tanget illos torméntum mortis. Viſi ſunt óculis inſipiéntium mori: & æſtimáta eſt afflíctio éxitus illórum. Et quod à nobis eſt iter extermínij: illi autem ſunt in pace. Et ſi coram homínibus torménta paſſi ſunt: ſpes illórũ immortalitáte plena eſt. In paucis vexáti, in multis bene diſponéntur: quóniam Deus ten-

Digitized by Google

táuit illos, & inuénit illos dignos ſe. Tanquam aurum in fornáce probáuit illos:& quaſi holocaúſti hóſtiã accépit illos, & in témpore erit reſpéctus illórum. Fulgébunt iuſti: & tanquam ſcintillç in arundinéto diſcúrrent. Iudicábunt natiónes:& dominabúntur pópulis. Et regnábit Dóminus illórum: in perpétuum.

℟. Víndica Dómine ſánguinem Sanctórum tuórum, qui effúſus eſt. ℣. Poſuérunt mortália ſeruórũ tuórum eſcas volatílibus cœli, carnes Sanctórum tuórum béſtiis terræ.

Si fuerit Dominica. Allelúia. ℣. Nimis honoráti ſunt amíci tui, Deus: nimis confortátus eſt principátus eórum. Allelúia.

Secúndum Ioánnem. Cap. 15.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Ego ſum vitis vera: & Pater meus agrícola eſt. Omnẽ pálmitem in me non feréntem fructum tollet eum: & omnem qui fert fructũ purgábit eum, vt fructum plus áfferat. Iam vos mundi eſtis: propter ſermónem quem locútus ſum vobis. Manéte in me: & ego in vobis. Sicut palmes non poteſt ferre fructũ à ſemetipſo niſi mánſerit in vite: ſic nec vos niſi in me mánſeritis. Ego ſum vitis: & vos pálmites. Qui manet in me & ego in eo hic fert fructũ multum: quia ſine me nihil potéſtis fácere. Si quis in me non manſérit: mittétur foras ſicut palmes, & aréſcet, & cólligent eum, & in ignẽ mittent & ardet. Si manſéritis in me, & verba mea in vobis mánſerint: quodcúnque voluéritis petétis, & fiet vobis. In hoc clarificátꝰ eſt Pater meus: vt fructum plúrimum afferátis, & efficiámini mei diſcípuli. Sicut diléxit me Pater: & ego diléxi vos. Manéte in dilectióne mea. Si præcépta mea ſeruauéritis, manébitis in dilectióne mea: ſicut & ego Patris mei præcépta ſeruáui & máneo in eius dilectióne. Hæc locútus ſum vobis: vt gaúdium meum in vobis ſit: & gaúdium veſtrum impleátur.

Offertorium. Exultábunt Sancti in glória, lætabúntur in cubílibus ſuis, exultatiónes Dei in faúcibus eórum.

Secreta.

MVnus pópuli tui Dómine, quǽſumus, apoſtólica interceſſióne ſanctífica, nóſque à peccatórum noſtrórum máculis emúnda. Per Dóminum noſtrum.

Communio. Iuſtórum ánimæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos torméntum malítiæ: viſi ſunt óculis inſipiéntium mori, illi autem ſunt in pace.

Poſtcommunio.

QVos cœléſti, Dómine, aliménto ſatiáſti ⁊ apoſtólicis interceſſiónibus, ab omni aduerſitáte cuſtódi. Per Dóminum.

IN DIE. Introitus.

MIhi autem nimis honoráti ſunt amíci tui, Deus: nimis confortátus eſt principátus eórum.

Pſalmus. Dómine probáſti me, & cognouíſti me: tu cognouíſti ſeſſiónem meam, & reſurrectiónem meam.

Collecta.

DEus, qui nos ánnua Apoſtolórum tuórum Symónis & Iúdæ ſolemnitáte lætíficas ⁊ præſta, quǽſumus: vt, quorum gaudémus méritis ⁊ inſtruámur exémplis. Per Dóminum noſtrum.

Ad Romános. Cap. 8.

FRatres: Scimus quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperántur in bonum: his, qui ſecúndum propóſitum vocáti ſunt Sancti. Nam quos præſciuit: & prædeſtináuit confórmes fieri imáginis Filij ſui, vt ſit ipſe primogénitus in multis frátribus. Quos autem prædeſtináuit: hos & vocáuit. Et quos vocáuit: hos & iuſtificáuit

ſtificáuit. Quos autem iuſtificáuit: illos & magnificáuit. Quid ergo dicémus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui étiam próprio Fílio ſuo non pepércit: ſed pro nobis ómnibus trádidit illũ. Quómodo non étiam cum illo ómnia nobis donáuit? Quis accuſábit aduérſus eléctos Dei? Deus qui iuſtíficat? Quis eſt qui condémnet? Chriſtus Iéſus, qui mórtuus eſt, immò qui reſurréxit, qui eſt ad déxteram Dei, qui étiã intérpéllat pro nobis? Quis nos ſeparábit à charitáte Chriſti? Tribulátio, an angúſtia, an perſecútio, an fames, an núditas, an perículum, an gládius? Sicut ſcriptum eſt. Quia propter te mortificámur tota die: æſtimáti ſumus ſicut oues occiſiónis. Sed in his ómnibus ſuperámus: propter eum, qui diléxit nos. Certus ſum enim: quia neque mors, neque vita, neque Ángeli, neq; Principátus, neque Poteſtátes, neque Virtútes, neque inſtántia, neque futúra, neque fortitúdo, neq; altitúdo, neque profúndũ, neque creatúra ália póterit nos ſeparáre à charitáte Dei. Quæ eſt in Chriſto Iéſu: Dómino noſtro.

℟. Nimis honoráti ſunt amici tui, Deus, nimis confortátus eſt principátus eórum.

℣ Dinumerábo eos, & ſuper arénam multiplicabúntur. Allelúia, ℣ Iſti ſunt duæ olíuæ, & duo candelábra lucéntia ante Dóminum: habent poteſtátem claúdere cœlum núbibus, & aperíre portas eius: quia linguæ eórum claues cœli factæ ſunt. Allelúia.

Secúndum Matthæum. Cap. 10.

IN illo témpore: miſit Iéſus duódecim diſcípulos ſuos præcípiẽs eis, & dicens. In viam Géntium ne abiéritis, & in ciuitátes Samaritanórum ne intrauéritis: ſed pótius ite ad oues quæ periérunt domus Iſráel. Eúntes autem prædicáte, dicéntes: quia appropinquábit regnum cœlórum. Infirmos curáte: mórtuos ſuſcitáte. Lepróſos mundáte: dæmones eiícite. Gratis accepiſtis: gratis date. Credo.

Offertorium. In omnem terram exíuit ſonus eórum: & in fines orbis terræ verba eórum. Secreta.

MV'nera Dómine, quæ pro Apoſtolórum tuórum Symónis & Iúdæ ſolemnitáte deférimus, propítius ſúſcipe, & mala ómnia, quæ merémur, auérte. Per Dóminum.

Præfatio. Te Dómine ſupplíciter.

Communio. Vos, qui ſecúti eſtis me, ſedébitis ſuper ſedes, iudicántes duódecim Tribus Iſráel.

Poſtcommunio.

QVæſumus, Dómine, ſalutárib⁹ repléti myſtériis: vt, quorũ ſolémnia celebrámus? eórum oratiónibus adiuuémur. Per Dóminum.

IN VIGILIA OMNIVM Sanctorum. Introitus.

TIméte Dóminum omnes Sãcti eius quóniam nihil deeſt timéntibus eũ: díuites eguérunt, & eſuriérũt, inquiréntes autẽ Dóminũ non deficient omni bono.

Pſalmus. Benedícam Dóminum in omni témpore: ſemper laus eius in ore meo.

Collecta.

DO'mine Deus noſter multíplica ſuper nos miſericórdiam tuam: & quorum præuenímus glorióſa ſolémnia? tribue ſúbſequi in ſancta profeſſióne lætítiam. Per Dóminum noſtrum.

Ad hanc Miſſam non dicitur Concéde nos fámulos. nec Concéde quæſumus omnípotens Deus. ſed dicitur. Omnípotens ſempitérne Deus qui viuo. niſi fuerit Dominica.

Léctio libri Apocalýpſis: B. Ioánnis. Apóſtoli Cap. 5.

IN diébus illis: Ego Ioánnes vidi in médio throni, & quátuor animá-

lium, & in médio Seniórum, Agnũ ſtantem tanquam occíſum: habéntem córnua ſeptẽ, & óculos ſeptem, qui ſunt ſeptem ſpíritus Dei, miſſi in omnem terram. Et venit: & accépit de déxtera ſedéntis in throno librũ. Et cùm aperuíſſet librum: quátuor animália, & vigintiquátuor Senióres cecidérunt corã Agno habéntes ſínguli cítharas & phíalas aúreas plenas odoramentórum, quæ ſunt oratiónes Sanctórum. Et cantábant cánticum nouum dicéntes. Dignus es Dómine, accípere librum, & aperíre ſignácula eius: quóniam occíſus es, & redemíſti nos Deo in ſánguine tuo, ex omni Tribu, & lingua, & pópulo, & natióne. Et fecíſti nos Deo noſtro regnum, & Sacerdótes: & regnábimus ſuper terram. Et vidi, & audíui vocem Angelórũ multórum in circúitu throni, & animálium & Seniórum: & erat númerus eórum míllia míllium voce magna dicéntium. Dignus eſt Agnus, qui occíſus eſt, accípere virtútem, & diuinitátem & ſapiéntiam & fortitúdinem: & honórem & glóriam & benedictiónẽ: in ſǽcula ſæculórum, amen.

℟. **Exultábunt Sancti in glória, lætabúntur in cubílibus ſuis.** ℣. **Cantáte Dómino cánticum nouum: laus eius in Eccléſia Sanctórum.** Si in Dominica euenerit, A lleluia.

℣. **Fulgébunt iuſti, & tanquam ſcintíllæ in arundinéto diſcúrrent: & regnábunt in ætérnum. Allelúia.**

Secúndum Ioánnem. Cap. 16.

IN illo témpore: Dixit Ieſus diſcípulis ſuis. Amen amen dico vobis: quia plorábitis & flébitis vos, mundus autem gaudébit. Vos autem cõtriſtabímini: ſed triſtítia veſtra vertétur in gáudium. Múlier cùm parit triſtítiã habet: quia venit hora eius. Cùm autem pepérerit púerum: iam non méminit preſſúræ propter gáudium, quia natus eſt homo in mundum. Et vos ígitur: nunc quidem triſtitiã habétis. Iterum autem vidébo vos: & gaudébit cor veſtrũ. Et gáudium veſtrum: nemo tollet à vobis.

Offertorium. **Gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, quóniam tu Dómine benedíces iuſtis: Dómine, vt ſcuto bonæ voluntátis tuæ coronáſti eos.**

Secreta.

ALtáre tuum Dómine munéribus cumulámus oblátis, da, quǽſumus, vt ad ſalútem noſtram ómnium Sanctórum tuórum precatióne profíciant, quorum ſolémnia ventúra præcúrrimus. Per Dóminũ.

Communio. **Ego vos elégi de mundo, vt eátis, & fructum afferátis: & fructus veſter máneat.**

Poſtcommunio.

SAcraméntis, Dómine, & gáudiis optátæ celebritátis explétis, quǽſumus: vt eórum précibus adiuuémur? quorum recordatiónibus exhibéntur. Per Dóminum.

Eodem die Sancti Quintini martyris.

Collecta.

LÆtétur Eccléſia tua, Deus, beáti Quintíni mártyris tui confiſa ſuffrágiis: atque eius précibus glorióſis & deuóta permáneat? & ſecúra conſíſtat. Per Dóminum.

Secreta.

SVſcipe Dómine múnera, quæ in eius tibi ſolemnitáte deférimus, cuius nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminum.

Poſtcommunio.

SAtiáſti Dómine famíliam tuam munéribus ſacris: eius, quǽſumus, ſemper interuentióne nos réfoue? cuius ſolémnia celebrámus. Per Dóminum.

IN DIE OMNIVM SANCTORVM.

AD MISSAM. Introitus.

GAudeámus omnes in Dómino, diem feſtum celebrãtes ſub honóre, Sãctórum ómniũ: de quorum ſolemnitáte gaudent A'ngeli, & collaúdant Fílium Dei.

Pſalmus. Exultáte iuſti in Dómino: rectos decet collaudátio. Collecta.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum mérita ſub vna tribuíſti celebritáte venerári: quæſumus, vt deſiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam multiplicátis interceſſóribus largiáris. Per Dóminum.

Léctio libri Apocalýpſis B. Ioánnis Apóſtoli. Cap. 7.

IN diébus illis: Ego Ioánnes vidi A'ngelum aſcendéntem ab ortu Solis, habéntem ſignum Dei viui: & clamáuit voce magna quátuor A'ngelis, quibus datum eſt nocére terræ & mari, dicens. Nolíte nocére terræ & mari, neque arbóribus: quoadúſque ſignémus ſeruos Dei noſtri in fróntibus eórum. Et audíui númerum ſignatórum, céntum quadragínta quátuor míllia ſignáti: ex omni Tribu filiórũ Iſráel. Ex Tribu Iúda: duódecim míllia ſignáti. Ex Tribu Ruben: duódecim míllia ſignáti. Ex Tribu Gad: duódecim míllia ſignáti. Ex Tribu Aſer: duódecim míllia ſignáti. Ex Tribu Néphtalim: duódecim míllia ſignáti. Ex Tribu Manáſſe: duódecim míllia ſignáti. Ex Tribu Símeon: duódecim míllia ſignáti. Ex Tribu Leui: duódecim míllia ſignáti. Ex Tribu Iſſachar: duódecim míllia ſignáti. Ex Tribu Zábulon: duódecim míllia ſignáti. Ex Tribu Ióſeph: duódecim míllia ſignáti. Ex Tribu Béniamin: duódecim míllia ſignáti. Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumeráre nemo póterat, ex ómnibus Géntibus, & Tríbubus, & pópulis, & linguis, ſtãtes ante thronum, & in conſpéctu Agni: amícti ſtolis albis, & palmæ in mánibus eórum. Et clamábant voce magna, dicéntes. Salus Deo noſtro: qui ſedet ſuper thronum, & Agno. Et omnes A'ngeli ſtabãt in circúitu throni, & Seniórum, & quátuor animálium: & cecidérũt in conſpéctu throni in fácies ſuas, & adorauérunt Deum, dicéntes amen. Benedíctio, & cláritas, & ſapiẽtia, & gratiárum áctio: honor, & virtus, & fortitúdo Deo noſtro: in ſǽcula ſæculórum, amen.

℟. Timéte Dóminum omnes Sancti eius: quóniam nihil deeſt timéntibus eum.

℣. Inquiréntes autem Dóminum non defícient omni bono.

Allelúia. ℣. Iudicábunt Sancti natiónes, & dominabúntur pópulis: & regnábit illórum Rex in ætérnum. Allelúia.

Secúndum Matthǽum. Cap. 5.

IN illo témpore: Videns turbas Ieſus: aſcéndit in mõtem. Et cùm ſediſſet: acceſſérunt ad eum diſcípuli eius. Et apériens os ſuũ: docébat eos, dicens. Beáti paúperes ſpíritu: quóniã ipſórum eſt regnum cœlórum. Beáti mites: quóniã ipſi poſſidébunt terram. Beáti, qui lugent: quóniam ipſi conſolabúntur. Beáti, qui eſúriunt, & ſítiunt iuſtítiam: quóniam ipſi ſaturabúntur. Beáti miſericórdes: quóniã ipſi miſericórdiam conſequéntur. Beáti mundo corde: quó-

Digitized by Google

niam ipſi Deum vidébunt. Beáti pacífici: quóniam filij Dei vocabúntur. Beáti, qui perſecutiónē patiúntur propter iuſtitiam: quóniam ipſórum eſt regnum cœlórum. Beáti éritis cùm maledíxerint vobis hómines, & perſecúti vos fúerint, & díxerint omne malũ aduérſum vos mentiéntes: propter me. Gaudéte in illa die, & exultáte: quóniam merces veſtra: copióſa eſt in cœlis. Credo.

Offertorium. Mirábilis Deus in Sanctis ſuis: Deus Iſráel, ipſe dabit virtútem & fortitúdinem plebi ſuæ: benedíctus Deus, allelúia.

Secreta.

MV'nera tibi Dómine, noſtræ deuotiónis offérimus, quæ & pro tuórum tibi grata ſint honóre iuſtórum, & nobis ſalutária, te miſeránte, reddántur. Per Dóminum.

Communio. Gaudéte iuſti in Dómino, allelúia: rectos decet collaudátio, allelúia.

Poſtcommunio.

DA, quæſumus, Dómine fidélibus pópulis ómnium Sanctórum ſemper veneratióne lætári: & eórum perpétua ſupplicatióne muníri. Per Dóminum.

Eodem die ad Miſſam matutinalem SS. Benigni atque Cæſarij marr. Collecta.

DEus, qui nos beatórum mártyrum tuórũ Benigni atque Cæſárij ánnua ſolemnitáte lætíficas: concéde propítius: vt, quorum natalítia cólimus: étiam actiónes imitémur. Per Dóminum. Secreta.

HOſtias tibi Dómine beatórum mártyrum tuórum Benígni atque Cæſárij dicátas méritis benígnus aſſúme, & ad perpétuum nobis tríbue proueníre ſubsídium. Per Dó.

Poſtcommunio.

QVæſumus, omnípotens Deus: vt, qui cœléſtia aliménta percépimus: intercedéntibus beátis martýribus tuis Benígno atque Cæſário, per hæc contra ómnia aduérſa muniámur. Per Dóminum.

De Sancto Malachia fiat ſicut de Sancto Guillermo. pag. 202. Quando verò per annum de eo dicitur Miſſa, aſſumuntur collecta, ſecreta, & poſtcommunio ſequentes.

Collecta.

DEus, qui beátum Malachíam Pontíficem tuũ ſanctíſſimo patri Bernárdo veræ charitátis fœdere dúlciter ſociáſti: concéde propítius: vt & prauórum ómnium conſénſus nóxios cautè vitémus: & cœléſtis milítiæ ſacras amicítias ſemper optémus. Per Dóminum: Secreta.

PRoſit nobis, Dómine, quæſumus, intercedénte beáto Malachía Pontífice tuo, præſens oblátio ſalutáris, vt per hanc cunctórum conſequámur véniam peccatórũ, & beatificórum obtineámus grátiam meritórum. Per Dómi. Poſtcommunio.

PRæſta, quæſumus, Dómine Deus noſter: vt Eccléſia tua, quæ de beáti Malachíæ Pontíficis tui veneratióne lætátur: & ſanctitátis in præſénti bona ſectétur, & in futúro beatitúdinem cápiat ſempitérnam. Per Dóminum noſtrum.

SS. QVATVOR CORONAtorum. Introitus.

INtret in conſpéctu tuo, Dómine, gémitus compeditórum, redde vicínis noſtris ſéptuplũ in ſinu eórum: víndica ſánguinem Sanctórum tuórum, qui effúſus eſt.

Pſalmus. Deus venérunt Gentes in hæreditátem tuam: polluérunt templum ſanctum tuum, poſuérunt Ierúſalem in pomórum cuſtódiam. Collecta.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus: vt, qui glorióſos mártyres Claúdium, Nicóſtratum, Symphoriánum, Caſtórium atque Simplíciũ fortes in ſua confeſſióne cognóuimus:

uimus:

uímus ? pios apud te in noſtra interceſſióne ſentiámus. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Cap. 10.

REddet Deus mercédem labórũ Sanctórum ſuórum: & dedúcet illos in via mirábili. Et fuit illis in velaménto diéi: & in luce ſtellárũ nocte. Tránſtulit illos mare rubrum: & tranſuéxit illos per aquam nímiam. Inimícos autem illórum demérſit in mare: & ab altitúdine inferórũ edúxit illos. Ideo iuſti tulérunt ſpólia impiórum: & decantauérunt, Dómine, nomen ſanctum tuum. Et victrícem manum tuam laudauérunt páriter: Dómine Deus noſter.

℟. Víndica Dómine ſánguinem Sanctórum tuórum, qui effúſus eſt. ℣. Poſuérunt mortália ſeruórum tuórũ eſcas volatílibus cœli, carnes Sanctórum tuórum béſtiis terræ.

Allelúia. ℣. Te mártyrum candidátus laudat exércitus, Dómine. Allelúia.

Secúndum Lucam. Cap. 21.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Cùm audiéritis prælia & ſeditiónes: nolíte terréri. Opórtet primùm hæc fieri: ſed nondum ſtatim finis. Tunc dicébat illis. Surget gens contra gentem, & regnum aduérſus regnum: & terræmótus magni erunt per loca, & peſtiléntiæ, & fames, terroréſque de cœlo, & ſigna magna erunt. Sed ante hæc ómnia: iniícient vobis manus ſuas, & perſequéntur, tradéntes in Synagógas & cuſtódias, trahéntes ad Reges & Prǽſides propter nomen meum. Contínget autem vobis in teſtimónium. Pónite ergo in córdibus veſtris: non præmeditári quemádmodũ reſpondeátis. Ego enim dabo vobis os & ſapiéntiam: cui non póterunt reſiſtere, & contradícere omnes aduerſárij veſtri. Tradémini autẽ à paréntibus, & à frátribus & cognátis & amícis: & morte afficient ex vobis. Et éritis ódio ómnibus homínibus: propter nomen meum. Et capillus de cápite veſtro non períbit. In patiéntia veſtra: poſſidébitis ánimas veſtras.

Offertorium. Anima noſtra ſicut paſſer erépta eſt de láqueo venántium: láqueus contrítus eſt, & nos liberáti ſumus. Secreta.

BEnedíctio tua, Dómine, larga deſcéndat, quæ & múnera noſtra, deprecántibus Sanctis tuis, tibi reddat accépta, & nobis ſacraméntum redemptiónis efficiat. Per Dóminũ.

Communio. Poſuérunt mortália ſeruórum tuórum, Dómine, eſcas volatílibus cœli, carnes Sanctórum tuórum béſtiis terræ: ſecúndum magnitúdinem bráchij tui póſſide filios morti punitórum.

Poſtcommunio.

COeléſtibus reſécti ſacraméntis & gaúdiis ſúpplices te, Dómine, deprecámur: vt quorum gloriámur triúmphis ? protegámur auxíliis. Per Dóminum.

S. THEODORI MARTYRIS.

Introitus.

IN virtúte tua, Dómine, lætábitur iuſtus, & ſuper Salutáre tuum exultábit veheménter, deſidérium ánimæ eius tribuiſti ei. Pſalmus. Quóniam præueníſti eum in benedictiónibus dulcédinis: poſuíſti in cápite eius corónam de lápide pretióſo. Collecta

DEus, qui nos beáti Theodóri mártyris tui cõfeſſióne glorióſa circúndas & prótegis: præſta nobis ex eius imitatióne proficere ? & oratióne fulcíri. Per Dóminum.

Lectio libri Sapiéntiæ. Cap. 4.

IVſtus ſi morte præoccupátus fúerit: in refrigério erit. Senéct᷒ enim venerábilis eſt non diutúrna: neque número annórum computáta. Cani ſunt autem ſenſus hóminis: & ætas ſenectútis vita immaculáta. Placens Deo factus diléctus: & viuens inter

peccatóres tranſlátus eſt. Raptus eſt ne malítia mutáret intelléctũ illíus: aut ne fictio decíperet ánimã illíus. Conſummát' in breui expléuit témpora multa: plácita enim Deo erat ánima illíus. Propter hoc properáuit edúcere illum de médio iniquitátum: quóniam grátia Dei & miſericórdia eſt in Sanctos eius: & reſpéctus in eléctos illíus.

℟. Dómine præueníſti eum in benedictiónibus dulcédinis: poſuíſti in cápite eius corónam de lápide pretióſo. ℣. Vitam pétiit, & tribuíſti ei longitúdinẽ diérum in ſæculum ſæculi. Allelúia. ℣. Poſuíſti Dómine ſuper caput eius corónam de lápide pretióſo. Allelúia.

Secúndum Lucam. Cap. 14.

IN illo témpore: Dixit Ieſus diſcípulis ſuis. Si quis venit ad me, & nõ odit patrem ſuũ & matrem & vxórem, & filios & fratres & ſorores, adhuc autem & ánimam ſuam: non poteſt me' eſſe diſcípulus. Quis enim ex vobis volẽs turrim ædificáre, non priùs ſedens cómputat ſumptus, qui neceſſárij ſunt, ſi hábeat ad perficiẽdum, ne póſtea quàm poſúerit fundaméntum, & non potúerit perfícere, omnes, qui vident, incípiant illúdere ei, dicéntes, quia hic homo cœpit ædificáre, & non pótuit conſummáre? Aut quis Rex itúrus commíttere bellum aduérſus álium Regem, non ſedens priùs cógitat, ſi poſſit cum decem míllibus occúrere ei, qui cum vigínti míllibus venit ad ſe? Alióquin: adhuc illo longè agénte, legatiónẽ mittens, rogat ea, quæ pacis ſunt. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiáuerit ómnibus, quæ póſſidet: non poteſt meus eſſe diſcípulus.

Offertorium. Glória & honóre coronáſti eum, & conſtituíſti eũ ſuper ópera mánuum tuárum, Dómine. Secreta.

SV'ſcipe Dómine fidélium preces cum oblatiónibus hoſtiárũ: & intercedénte beáto Theodóro mártyre tuo, per hæc piæ deuotiónis offícia ad cœléſtem glóriam tranſeámus. Per Dóminum.

Communio. Poſuíſti Dómine in cápite eius corónam de lápide pretióſo.

Poſtcommunio.

PRæſta nobis Dómine, quæſumus, intercedénte beáto Theodóro mártyre tuo: vt, quæ ore contígimus, pura mente capiámus. Per Dóminum noſtrum.

In natali S. Martini Epiſcopi fiat vt notatur in eius tranſlatione. pag. 253.

Eodem die S. Mennæ martyris. Collecta.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus: vt, qui beáti Mennæ mártyris tui natalítia cólimus, interceſſióne eius in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum. Secreta.

MVnéribus noſtris, quæſumus, Dómine, precibúſque ſuſcéptis, & cœléſtibus nos munda myſtériis & cleménter exaúdi. Per Dómi.

Poſtcommunio.

DA, quæſumus, Dómine Deus noſter: vt ſicut tuórum commemoratióne Sanctórum temporáli gratulámur offico, ita perpétuo lætémur aſpéctu. Per Dóminum.

S. Brixij Epiſcopi & Confeſſ. Collecta.

DEus, qui ánimæ fámuli tui Bríxij ætérnæ beatitúdinis prǽmia contulíſti, concéde propítius: vt, qui peccatórum noſtrórum póndere prémimur, eius apud te précibus ſubleuémur. Per Dóminũ. Secreta.

A'Nnue nobis Dómine, vt méritis beáti Bríxij nobis fámulis tuis hæc profit oblátio, quam immolándo totíus mundi tribuíſti relaxári delícta. Per Dómi. Poſtcommunio

DEus, qui beátum Bríxium Pontíficem Sanctórum tuórum méritis coæquáſti, concéde propítius: vt, qui commemoratiónis eius feſta percólimus, vitæ quoque imitémur exémpla. Per Dóminum.

S.

S. EDMVNDI EPISCOPI & Confeſſoris. Introitus.

STátuit ei Dóminus teſtamētum pacis, & Príncipem fecit eum, vt ſit illi Sacerdótij dígnitas in ætérnum. Pſalmus. Miſericórdias Dómini: in ætérnum cantábo.

Collecta.

DEus, qui, largíſſuæ bonitátis consílio Eccléſiam tuam beáti Edmúndi confeſſóris tui atque Pontíficis præcláræ vitæ méritis decoráſti, & glorióſis lætificáſti miráculis; cōcéde propítius nobis fámulis tuis: vt & ipsíus in mélius reformémur exémplis; & ab ómnibus eius patrocínio protegámur aduérſis. Per Dó.

Léctio libri Sapiéntiæ. Cap. 44.

ECce Sacérdos magnus qui in diébus ſuis plácuit Deo: & inuéntus eſt iuſtus. Et in témpore iracúndiæ: factus eſt reconciliátio. Nō eſt inuéntus ſímilis illi: qui conſeruáret legem Excélſi. Ídeo iureiurándo: fecit illum Dóminus créſcere in plebem ſuā. Benedictiónem ómnium Géntium dedit illi: & teſtaméntum ſuum confirmáuit ſuper caput eius. Cognóuit eum in benedictiónibus ſuis: conſeruáuit illi miſericórdiam ſuam, & inuénit grátiam corā óculis Dómini. Magnificáuit eum in cōſpéctu Regum: & dedit illi corónam glóriæ. Státuit illi teſtamētum ſempitérnum: & dedit illi Sacerdótium magnum, & beatificáuit illum in glória. Fungi Sacerdótio: & habére laudem in nómine ipsíus. Et offérre illi incénſum dignum: in odórem ſuauitátis.

℟ Ecce Sacérdos magnus, qui in diébus ſuis plácuit Deo. ℣. Non eſt inuéntus ſímilis illi, qui conſeruáret legem Excélſi.

Allelúia. ℣. Iuſtus germinábit ſicut lílium, & florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúia.

Secúndum Lucam. Cap. 12.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Sint lumbi veſtri pręcíncti: & lucérnæ ardéntes in mánibus veſtris. Et vos ſímiles homínibus expectántibus dóminum ſuum quādo reuertátur à núptiis: vt cum vénerit, & pulſáuerit, conféſtim apériant ei. Beáti ſerui illi: quos cum vénerit Dóminus, inuénerit vigilántes. Amen dico vobis: quòd præcínget ſe, & fáciet illos diſcúmbere, & tránſiēs miniſtrábit illis. Et ſi vénerit in ſecúnda vigília, & ſi in tértia vigília vénerit; & ita inuénerit: beáti ſunt ſerui illi. Hoc autem ſcitóte: quóniam ſi ſciret paterfamílias qua hora fur veníret, vigiláret vtique, & non ſíneret pérfodi domum ſuam. Et vos eſtóte paráti: quia qua hora non putátis: Filius hóminis véniet.

Offertorium. Iuſtus vt palma florébit, ſicut cedrus, quæ in Líbano eſt, multiplicábitur.

Secreta.

BEáti Edmúndi confeſſóris tui atque Pōtíficis méritis, quæſumus, Dómine, múnera tibi offerénda cōpláceant, & obláta nobis profíciant ad ſalútem. Per Dóminum.

Communio. Beátus ſeruus, quem, cùm vénerit Dóminus, inuénerit vigilántem: amen dico vobis, ſuper ómnia bona ſua conſtítuet eum.

Poſtcommunio.

MEntes noſtras, quæſumus, Dómine, ſuſcéptis róbora ſacraméntis: & ſicut eas beáti Edmúndi confeſſóris tui atque Pontíficis dignátus es nouis confortáre miráculis; ſic étiam iuuáre ſuffrágiis, & illuſtráre dignéris exémplis. Per Dóminum noſtrum.

S. Aniani Epiſc. & Confeſſ. Collecta.

DA, quæſumus, omnipotēs Deus: vt beáti Aniáni confeſſóris tui atque Pōtíficis veneránda ſolémnitas; & deuotiónem nobis aúgeat &

Digitized by Google

allelúia. Secreta.

HÆc múnera quæſumus Dómine beátæ Maríæ ſemper vírginis interceſſióne ſanctífica quam in templo tuo munus tibi gratiſſimum offérri paréntum mánibus voluiſti. Per Dóminum.

Præfatio. Ætérne Deus. Et te in Præſentatióne. pag.184.

Communio. Beáta víſcera Maríæ vírginis, quæ portauérunt ætérni patris filium.

Poſtcommunio.

SAcraménta quæ ſúmpſimus Dómine beátæ Maríæ ſemper vírginis interceſſióne nos ſaluent: quæ deuotióne ſui cordis piiſſimi acceptábile tibi ſacrifícium iúgiter immoláuit. Per Dóminum.

Eodem die S. Columbani Abbatis.

Collecta.

INterceſſio nos, quæſumus, Dómine, beáti Columbáni Abbátis cōméndet: vt quod noſtris méritis non valémus ⁊ eius patrocínio aſſequámur. Per Dóminum. Secreta.

SAcris altáribus, Dómine, hóſtias ſuperpóſitas Sanctus Columbánus, quæſumus, in ſalútem nobis prouenire depóſcat. Per.

Poſtcommunio.

PRótegat nos, Dómine, cum tui perceptióne ſacraménti beátus Columbanus Abbas pro nobis intercedéndo ⁊ vt conuerſatiónis eius experiámur inſígnia. Per Dóminū.

S. CÆCILIÆ VIRGINIS & martyris. Introitus.

LOquébar de teſtimóniis tuis in conſpéctu Regum, & nō confundébar, & meditábar in mandátis tuis, quæ diléxi nimis.

Pſalmus. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.

Collecta.

DEus, qui nos ánnua beátæ Cæcíliæ mártyris tuæ ſolemnitáte lætíficas: da, vt quam venerámur offício ⁊ étiam piæ conuerſatiónis ſequámur exémplo. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccl[ci]. Cap.51.

COnfitébor tibi Dómine Rex: & collaudábo te Deum Saluatórem meum. Cōfitébor nómini tuo, quóniā adiútor & protéctor factus es mihi: & liberáſti corpus meum à perditióne. A láqueo linguę iníquæ: & à lábiis operántium mendácium. Et in conſpéctu aſtántium factus es mihi adiútor: & liberáſti me ſecúndum multitúdinem miſericórdiæ nóminis tui. A rugiéntibus præparátis ad eſcam: de mánibus quæréntium ánimam meā, & de portis, tribulatiónum, quæ circundedérunt me. A preſſúra flammæ, quæ circúndedit me: & in médio ignis nō ſum æſtuáta. De altitúdine ventris inferi: & à lingua coinquináta & à verbo mendácij. A Rege iníquo: & à lingua iniúſta. Laudábit vſque ad mortem ánima mea Dóminum: & vita mea appropínquās erat in inférnum deórſum. Circundedérunt me vndique: & non erat, qui adiuuáret. Reſpíciens eram ad adiutórium hóminum: & non erat. Memoráta ſum miſericórdiæ tuæ, Dómine, & cooperatiónis tuæ: quæ à ſæculo ſunt. Quóniam éruis ſuſtinéntes te: & líbera eos de manu angúſtiæ: Dómine Deus noſter.

℟. Audi filia, & vide, & inclína aurē tuam: quia concupíuit Rex ſpéciem tuam.

℣. Spécie tua & pulchritúdine tua inténde, próſperè procéde, & regna.

Allelúia. ℣. Æ'mulor enim vos Dei æmulatióne, deſpóndi vos vni viro vírginem caſtam exhibére Chriſto. Allelúia.

Secúndum Matthæum. Cap.25

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis parábolam hanc. Símile

eſt regnum cœlórum decem vírginibus: quæ accipiéntes lãpades ſuas exiérunt óbuiam ſponſo, & ſponſæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ: & quinque prudéntes. Sed quinque fátuæ: accéptis lampádibus, nõ ſumpſérunt óleum ſecum. Prudéntes verò: accepérunt óleum in vaſis ſuis cum lampádibus. Moram autem faciénte ſponſo: dormitauérunt omnes, & dormiérunt. Média autem nocte clamor factus eſt: ecce ſponſus venit, exíte óbuiam ei. Tunc ſurrexérunt omnes vírgines illæ: & ornauérunt lámpades ſuas. Fátuæ autem: ſapiéntibus dixérunt. Date nobis de óleo veſtro: quia lámpades noſtræ extingúntur. Reſpondérunt prudéntes, dicéntes. Ne fortè non ſufficiat nobis & vobis: ite pótiùs ad vendéntes, & émite vobis. Dum autem irent émere: venit ſponſus. Et quæ parátæ erant intrauérunt cum eo ad núptias: & clauſa eſt iánua. Nouiſſimè verò véniunt & réliquæ vírgines: dicẽtes. Dómine, Dómine: áperi nobis. At ille reſpóndens: ait. Amen dico vobis: neſcio vos. Vigiláte ítaque: quia neſcítis diem, neque horam.

Offertorium. Offeréntur Regi vírgines, próximæ eius offeréntur tibi in lætítia & exultatióne, adducéntur in templum Regi Dómino. Secreta.

HÆc hóſtia, Dómine, placatiónis & laudis, quǽſumus, vt, interueniénte beáta Cæcília mártyre tua, nos tua propitiatióne dignos ſemper efficiat. Per Dóminum.

Communio. Confundántur ſupérbi, quia iniúſtè iniquitátem fecérunt in me: ego autem in mandátis tuis exercébor, in tuis iuſtificatiónibus, vt non confúndar.

Poſtcommunio.

SAtiáſti Dómine famíliam tuam munéribus ſacris: ei⁹, quǽſumus, ſemper interuentióne nos réfoue: cuius ſolémnia celebrámus. Per Dó.

S. CLEMENTIS PAPÆ & mart. Introitus.

DIcit Dóminus, ſermónes mei, quos dedi in os tuum, non defícient de ore tuo: adeſt enim nomen tuum, & múnera tua accépta erunt ſuper altári meo.

Pſalmus. Dómine exaúdi oratiónẽ meam: & clamor meus ad te véniat. Collecta.

DEus, qui nos ánnua beáti Cleméntis mártyris tui atque Pontíficis ſolemnitáte lætíficas: concéde propítius: vt, cuius natalítia cólimus: virtútem quoque paſſiónis imitémur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Cap. 4.

IVſtus ſi morte præoccupátus fúerit: in refrigério erit. Senéct⁹ enim venerábilis eſt non diutúrna: neque número annórum computáta. Cani ſunt autem ſenſus hóminis: & ætas ſenectútis vita immaculáta. Placens Deo factus diléctus: & viuens inter peccatóres tranſlátus eſt. Raptus eſt ne malítia mutáret intelléctum illíus: aut ne fíctio decíperet ánimam illíus. Conſummátus in breui explêuit témpora multa: plácita enim Deo erat ánima illíus. Propter hoc properáuit edúcere illum de médio iniquitátum: quóniam grátia Dei & miſericórdia eſt in Sanctos eius: & reſpéctus in eléctos illíus.

℟. Iuráuit Dóminus, & non pœnitébit eum: tu es Sacérdos in ætérnum ſecúndum órdinem Melchíſedech. ℣. Dixit Dóminus Dómino meo, ſede á dextris meis.

Allelúia. ℣. Iuſtus vt palma florébit: & ſicut cedrus multiplicábitur. Allelúia.

Secúndum Matthæum. Cap. 25.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis parábolam hanc. Homo quidam péregrè proficíſcens vocáuit ſeruos ſuos: & trádidit illis bona

ſua

ſua. Et vni dedit quinque talénta: álij autem duo, álij verò vnum. Vnicuíque ſecúndum própriam virtútem: & profectus eſt ſtatim. A'biit autem qui quinque talénta accéperat: & operátus eſt in eis, & lucrátus eſt ália quinque. Simíliter qui duo accéperat: lucrátus eſt ália duo. Qui autem vnum: accéperat: ábiens fodit in terram, & abſcóndit pecúniam dómini ſui. Poſt multum verò témporis: venit dóminus ſeruórum illórum, & póſuit ratiónem cum eis. Et accédens, qui quinque talénta accéperat: óbtulit ália quinque talénta, dicens. Dómine: quinque talénta tradidíſti mihi: ecce ália quinque ſuperlucrátus ſum. Ait illi dóminus eius Euge ſerue bone & fidélis: quia ſuper pauca fuíſti fidélis, ſupra multa te conſtítuam. Intra in gáudium dómini tui. Accéſſit autem & qui duo talénta accéperat: & ait. Dómine: duo talénta tradidíſti mihi: ecce ália duo lucrátus ſum Ait illi dóminus eius. Euge ſerue bone & fidélis: quia ſuper pauca fuíſti fidélis, ſupra multa te conſtituam. Intra in gáudium: dómini tui.

Offertorium Poſuíſti Dómine in cápite eius corónam de lápide pretióſo, vitam pétuit à te, & tribuíſti ei, allelúia. Secreta.

MV'nera Dómine obláta ſanctífica, &, intercedénte beáto Cleménte mártyre tuo atque Pontífice, per hæc nos à peccatórum noſtrórum máculis emúnda. Per Dóminum noſtrum.

Communio. Beátus ſeruus, quem cùm vénerit Dóminus, inuénerit vigilántem: amen dico vobis ſuper ómnia bona ſua conſtítuet eum. Poſtcommunio.

CO'rporis ſacri & pretióſi ſánguinis replétì libámine, quæſumus, Dómine Deus noſter: vt, quod pia deuotióne gérimus: certa redẽptióne capiámus. Per Dóminum.

Eodem die Sanctæ Felicitatis. Collecta.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus: vt beátæ Felicitátis mártyris tuæ ſolémnia recenſéntes? méritis ipsíus protegámur & précibus. Per Dóminum. Secreta.

VOta pópuli tui Dómine propitiátus inténde, & quorum nos tríbuis ſolémnia celebráre, fac gaudére ſuffrágiis. Per Dóminum.

Poſtcommunio.

SV'pplices te rogámus omnípotẽs Deus: vt, interueniéntibus Sanctis tuis, & tua in nobis dona multíplices? & témpora noſtra diſpónas. Per Dóminum noſtrum.

S. Chryſogoni martyris. Collecta.

ADéſto Dómine ſupplicatiónibus noſtris: vt, qui ex iniquitáte noſtra reos nos eſſe cognóſcimus? beáti Chryſógoni mártyris tui interceſſióne liberémur. Per Dómi. *non dicatur.* Collecta. Concéde, quæſumus. Secreta

OBlátis, quæſumus, Dómine placáre munéribus, & intercedénte beáto Chryſógono mártyre tuo, à cunctis nos defénde perículis. Per Dóminum noſtrum.

Poſtcommunio.

TVi, Dómine, perceptióne ſacraménti & à noſtris mundémur occúltis? & ab hóſtium liberémur inſídiis. Per Dóminum.

SANCTÆ CATHERINÆ virginis & mart. Introitus.

DIlexíſti iuſtítiã, & odíſti iniquitátem: proptérea vnxit te Deus, Deꝰ tuus óleo lætítiæ præ conſórtibus tuis. Pſalmus. Eructáuit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi.

Collecta.

EXaúdi nos Deus Salutáris noſter: vt ſicut de beátæ Catherínæ feſtiuitáte gaudémus: ita piæ deuotiónis erudiámur affectu. Per Dóminũ.

Ad Corinthios. 2. Cap. 10.

FRatres: Qui gloriátur: in Dómino gloriétur. Non enim, qui ſeípſum comméndat, ille probátus eſt: ſed quem Deus commendat. V'tinã
Cap. 11. ſuſtinerétis módicum quid inſipiéntiæ meæ: ſed & ſupportáte me. Æ'mulor enim vos: Dei æmulatióne. Deſpóndi enim vos vni viro vírginem caſtam: exhibére Chriſto.

℟. Dilexíſti iuſtítiam, & odíſti iniquitátem. ℣. Proptérea vnxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. Allelúia. ℣. Æ'mulor enim vos Dei æmulatióne, deſpóndi vos vni viro vírginem caſtam exhibére Chriſto. Allelúia.

Secúndum Matthæum. Cap. 31.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis parábolam hanc. Símile eſt regnum cœlórum theſaúro abſcóndito in agro: quem, qui inuénit homo, abſcóndit, & præ gaúdio illíus vadit, & vẽdit vniuérſa, quæ habet, & emit agrum illum. I'terum símile eſt regnum cœlórũ hómini negotiatóri: quærénti bonas margarítas. Inuénta autem vna pretióſa margaríta: ábiit & véndidit ómnia, quæ hábuit, & emit eam. I'terum símile eſt regnum cœlórum ſagénæ miſſæ in mare: & ex omni génere píſcium congregánti. Quam, cùm impléta eſſet, educéntes, & ſecus litus ſedéntes: elegérunt bonos in vaſa, malos autẽ foras miſérunt. Sic erit in conſummatióne ſǽculi. Exíbunt A'ngeli & ſeparábunt malos de médio iuſtórum: & mittent eos in camínũ ignis. Ibi erit fletus: & ſtridor déntium. Intellexíſtis hęc ómnia? Dicunt ei. E'tiã Dómine. Ait illis. I'deo omnis Scriba doctus in regno cœlórum símilis eſt hómini patriſamílias: qui profert de theſaúro ſuo: noua & vétera.

Offertorium. Offeréntur Regi vírgines, próximæ eius offeréntur tibi in lætítia & exultatióne, adducéntur in templum Regi Dómino.

Secreta.

ACcépta tibi ſit Dómine, ſacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum, quorum ſe méritis percepíſſe de tribulatióne cognóſcit auxílium. Per Dóminum.

Communio. Diffúſa eſt grátia in lábiis tuis. proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Poſtcommunio.

SAtiáſti Dómine famíliam tuam munéribus ſacris: eius, quǽſumus, ſemper interuentióne nos réfoue: cuius ſolémnia celebrámus. Per Dóminum.

SS. Agricolæ & Vitalis mart. Collecta.

DA, quǽſumus, omnípotens Deus: vt, qui beatórum mártyrum ſolémnia cólimus: eórum apud te interceſſiónibus adiuuémur. Per Dóminum noſtrum.

Secreta.

HO'ſtias tibi, Dómine, beatórum mártyrum dicátas méritis benígnus aſſúme, & ad perpétuum nobis tríbue proueníre ſubſídium. Per Dóminum noſtrum.

Poſtcommunio.

QVǽſumus, omnípotens Deus: vt, qui cœléſtia alimẽta percépimus: intercedéntibus Sanctis tuis, per hæc contra ómnia aduérſa muniámur. Per Dóminum.

IN VIGILIA S. ANDREÆ.

Introitus.

DO'minus ſecus mare Galilǽæ vidit duos fratres Petrum & Andréã, & vocáuit eos: venite poſt me: fáciam vos fíeri piſcatóres hóminum. ℣. At illi contínuò relíctis rétibus & naui: ſecúti ſunt eum.

Collecta.

Collecta.

QVǽſumus, omnípotens Deus, vt beátus Andréas Apóſtolus tuum pro nobis implóret auxílium: vt à noſtris reátibus abſolúti, à cunctis étiam perículis exuámur. Per.

Ad Epheſios. Cap. 1.

FRatres: Benedíctus Deus & Pater Dómini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedíxit nos in omni benedictióne ſpirituáli in cœléſtibus in Chriſto: ſicut elégit nos in ipſo ante mundi conſtitutiónem, vt eſſémus ſancti, & immaculáti in conſpéctu eius in charitáte. Qui prædeſtináuit nos in adoptiónem filiórum per Ieſum Chriſtum, ſecúndum propóſitum volũtátis ſuæ in laudem glóriæ grátiæ ſuæ: in qua gratificáuit nos in dilécto Fílio ſuo. In quo habémus redemptiónem per ſánguinem eius, remiſſiónem peccatórum ſecúndum diuítias grátiæ eius, quæ ſuperabundáuit in nobis: per Ieſum Chriſtum Dóminum noſtrum.

℟. **Nimis honoráti ſunt amíci tui, Deus, nimis confortátus eſt principátus eórum.**

℣. **Dinumerábo eos, & ſuper arénam multiplicabúntur.** Si in Domin. ca euenerit.

Allelúia. ℣. Per manus autem Apoſtolórum fiébant ſigna & prodígia multa in plebe. Allelúia.

Secundum Ioannem. Cap. 1.

IN illo témpore: Stabat Ioánnes: & ex diſcípulis eius duo. Et reſpíciens Ieſum ambulántem: dixit. Ecce Agnus Dei. Et audiérũt eum duo diſcípuli loquéntem: & ſecúti ſunt Ieſum. Conuérſus autẽ Ieſus, & videns eos ſequéntes ſe: dicit eis. Quid quǽritis? Qui dixérunt ei. Rabbi: quod dícitur interpretátum magiſter. Vbi hábitas? Dicit eis. Veníte, & vidéte. Venérunt, & vidérunt vbi manéret: & apud eum manſérunt die illo. Hora autem erat: quaſi décima. Erat autem Andréas frater Simónis Petri vnus ex duóbus, qui audíerant à Ioánne: & ſecúti fúerant eum. Inuénit hic primùm fratrem ſuum Simónem: & dicit ei. Inuénimus Meſſíam: quod eſt interpretátum Chriſtus. Et addúxit eum ad Ieſum. Intúitus autem eum Ieſus: dixit. Tu es Simon fílius Ioánnà: tu vocáberis Cephas, quod interpretátur Petrus. In cráſtinum vóluit exire in Galilǽam: & inuénit Philíppum. Et dicit ei Ieſus. Séquere me. Erat autem Philíppus à Bethſáida ciuitáte Andréæ & Petri. Inuénit Philíppus Nathánael: & dicit ei. Quem ſcripſit Móyſes in lege, & Prophétæ: inuénimus Ieſum filiũ Ioſeph à Názareth. Et dixit ei Nathánael. A Názareth poteſt áliquid boni eſſe? Dicit ei Philíppus. Veni, & vide. Vidit Ieſus Nathánael veniéntem ad ſe: & dicit de eo. Ecce verè Iſraelíta: in quo dolus nõ eſt. Dicit ei Nathánael. Vnde me noſti? Reſpóndit Ieſus: & dixit ei. Priúſquã te Philíppus vocáret, cùm eſſes ſub ficu: vidi te. Reſpóndit ei Nathánael: & ait. Rabbi: tu es Fílius Dei: tu es Rex Iſráel. Reſpóndit Ieſus: & dixit ei. Quia dixi tibi, vidi te ſub ficu, credis: maius his vidébis. Et dicit ei. Amen amen dico vobis: vidébitis cœlum apértum & Angelos Dei aſcendéntes & deſcẽdéntes: ſupra Fílium hóminis.

Offertorium. **Glória & honóre coronáſti eum, & cõſtituíſti eum ſuper ópera mánuum tuárum, Dómine.** Secreta.

SAcrándum tibi, Dómine, munus offérimus: quo beáti Andréæ ſolémnia recolẽtes purificatiónem quoque noſtris méntibus implorámus. Per Dóminum.

Communio. **Dicit Andréas Simóni fratri ſuo, inuénimus Meſſíam, qui dícitur Chriſtus: & addúxit eum ad Ieſum.**

Poſtcommunio.

PErcéptis, Dómine, ſacraméntis ſuppliciter exorámus: vt, intercedénte beáto Andréa Apóſtolo tuo,

quæ pro illíus veneránda gérimus paſſióne: nobis profíciant ad medélam. Per Dóminum.

S. Saturnini martyris. Collecta.

DEus, qui nos beáti Saturníni mártyris tui concédis natalítio pérfrui: eius nos tríbue méritis adiuuári. Per Dóminum. Secreta.

MV'nera tibi Dómine dicáta ſanctífica, &, intercedénte beáto Saturníno mártyre tuo, per éadem nos placátus inténde. Per.

Poſtcommunio.

SAnctíficet nos, Dómine, quæſumus, tui percéptio ſacraménti: & interceſſióne Sanctórum tibi reddat accéptos. Per Dóminum.

IN DIE S. ANDREÆ.

Introitus.

MIhi autem nimis honoráti ſunt amíci tui, Deus: nimis confortátus eſt principátus eórum. Pſalmus. Dómine probaſti me, & cognouíſti me: tu cognouíſti ſeſſiónem meam & reſurrectióne͂ meam.

Collecta.

MAieſtátem tuā, Dómine, ſuppliciter exorámus: vt ſicut Eccléſiæ tuæ beátus Andréas Apóſtolus éxtitit prædicátor & rector: ita apud te ſit pro nobis perpétuus interceſſor. Per Dóminum.

Ad Romános. Cap. 10.

FRatres: Corde créditur ad iuſtítiam: ore autem conféſſio fit ad ſalútem. Dicit enim ſcriptúra. Omnis qui credit in illum: non confundétur. Non enim eſt diſtínctio Iudæi & Græci. Nam idem Dóminus ómnium: diues in omnes, qui ínuocant illum. Omnis enim quicúnque inuocáuerit nomen Dómini: ſaluus erit. Quómodo ergo inuocábunt, in quem non credidérunt? Aut quómodo credent ei, quem non audiérunt? Quómodo autem áudiēt ſine prædicánte? Quómodo verò prædicábunt, niſi mittántur? Sicut ſcriptum eſt. Quam ſpecióſi pedes euāgelizántium pacem: euangelizántium bona. Sed nō omnes obédiunt Euangélio. Iſaías enim dicit. Dómine: quis crédidit audítui noſtro? Ergo fides ex audítu: audítus autem per verbum Chriſti. Sed dico. Nunquid non audiérunt? Et quidem in omnem terram exíuit ſonus eórum: & in fines orbis terræ: verba eórum.

℟. Conſtítues eos Príncipes ſuper omnem terram: mémores erunt nóminis tui, Dómine. ℣. Pro pátribus tuis nati ſunt tibi filij: proptérea pópuli confitebúntur tibi.

Allelúia. ℣. Diléxit Andréam Dóminus in odórem ſuauitátis. Allelúia.

Secúndum Matthæum. Cap. 4.

IN illo témpore: A'mbulans Iéſus iuxta mare Galilǽæ: vidit duos fratres Simónem, qui vocátur Petrus, & Andréam fratrem eius, mitténtes rete in mare. Erant enim piſcatóres. Et ait illis. Veníte poſt me: & fáciam vos fieri piſcatóres hóminum. At illi continuò relíctis rétibus: ſecúti ſunt eum. Et procédens inde: vidit álios duos fratres, Iacóbum Zebedǽi, & Ioánnem fratrem eius in naui cum Zebedǽo patre eórum, reficiéntes rétia ſua. Et vocáuit eos. Illi autem ſtatim relíctis rétibus & patre: ſecúti ſunt eum.

Credo.

Offertorium. Mihi autem nimis honorificáti ſunt amíci tui, Deus: nimis confortátus eſt principátus eórum. Secreta

SAcrifícium noſtrum tibi, Dómine, quæſumus, beáti Andréæ precátio ſancta concíliet: vt, cuius honóre ſolémniter exhibétur, méritis efficiátur accéptum. Per Dóminum noſtrum Iéſum Chriſtum.

Præfatio. Te Dómine ſúppli. pag. 184.

Communio Veníte poſt me, fáciam vos piſ-

Digitized by Google

catóres hóminum: at illi relíctis rétibus & naui, ſecúti ſunt Dóminũ. Poſtcommunio.

SV'mpſimus, Dómine, diuína myſtéria beáti Andréæ feſtiuitáte lætántes: quæ ſicut tuis Sanctis ad glóriam! ita nobis, quæſumus, ad véniã prodéſſe perfícias. Per Dóminum.

SANCTI, ELIGII EPISCOPI & Confeſſoris. Introitus.

STátuit ei Dóminus teſtamẽtum pacis, & Príncipem fecit eum, vt ſit illi Sacerdótij dígnitas in ætérnum. Pſalmus. Miſericórdias Dómini: in ætérnũ cantábo. Collecta

DA, quæſum', omnípotẽs Deus: vt beáti Elígij confeſſóris tui atque Põtíficis veneránda ſolémnitas! & deuotiónem nobis aúgeat, & ſalútem. Per Dóminum.

Lectio libri Sapiéntiæ.

Eccl[ci.] Cap. 44.

ECce Sacérdos magnus, qui in diébus ſuis plácuit Deo: & inuéntus eſt iuſtus. Et in témpore iracúndiæ: factus eſt reconciliátio. Nõ eſt inuéntus símilis illi: qui conſeruáret legem Excélſi. I'deo iureiurándo: fecit illum Dóminus créſcere in plebem ſuã. Benedictiónem ómnium Géntium dedit illi: & teſtaméntum ſuum confirmáuit ſuper caput eius. Cognóuit eum in benedictiónibus ſuis: conſeruáuit illi miſericórdiam ſuam, & inuénit grátiam corã óculis Dómini. Magnificáuit eum in cõſpéctu Regum: & dedit illi corónam glóriæ. Státuit illi teſtamẽtum ſempitérnum: & dedit illi Sacerdótium magnum, & beatificáuit illum in glória. Fungi Sacerdótio: & habére laudem in nómine ipsíus. Et offérre illi incénſum dignum: in odórem ſuauitátis.

℟. Ecce Sacerdos magnus, qui in diébus ſuis plácuit Deo. ℣. Non eſt inuéntus ſímilis illi, qui conſeruáret legem Excélſi.

Allelúia. ℣. Iuſtus germinábit ſicut lílium, & florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúia.

Secúndum Lucam. Cap. 12.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Sint lumbi veſtri præcíncti: & lucérnæ ardéntes in mánibus veſtris. Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum ſuum quãdo reuertátur à núptiis: vt cum vénerit, & pulſáuerit, conféſtim apériant ei. Beáti ſerui illi: quos cum vénerit Dóminus, inuénerit vigilántes. Amen dico vobis: quòd præcínget ſe, & fáciet illos diſcúmbere, & tránſiẽs miniſtrábit illis. Et ſi vénerit in ſecúnda vigília, & ſi in tértia vigília vénerit! & ita inuénerit: beáti ſunt ſerui illi. Hoc autem ſcitóte: quóniam ſi ſciret paterfamílias qua hora fur veníret, vigiláret v'tique, & non síneret pérfodi domum ſuam. Et vos eſtóte paráti: quia qua hora non putátis: Fílius hóminis véniet.

Offertorium. Iuſtus vt palma florébit, ſicut cedrus, quæ in Líbano eſt, multiplicábitur.

Secreta.

SAncti tui nos, quæſumus, Dómine, vbíque lætíficent, vt dum eórum mérita recólimus, patrocínia ſentiámus. Per Dóminum.

Communio. Beátus ſeruus, quem, cùm vénerit Dóminus, inuénerit vigilántem: amen dico vobis, ſuper ómnia bona ſua conſtítuet eum. Poſtcommunio.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus: vt de percéptis munéribus grátias exhibéntes! beneficia potióra ſumámus. Per Dóminum.

SSS. Chryſanti, Mauri & Dariæ mart.

Collecta.

DEus, qui nos concédis Sanctórum mártyrum tuórum natalítia cólere! da nobis in ætérna beatitúdine de eórum ſocietáte gau-

dére. Per Dóminum. Secreta.

MV'nera tibi, Dómine, noſtræ deuotiónis offérimus, quæ & pro tuórum tibi grata ſint honóre iuſtórum, & nobis ſalutária, te miſeránte, reddántur. Per Dóminũ.

Poſtcommunio.

PRæſta nobis Dómine, quæſum⁹, intercedéntibus Sanctis tuis: vt, quæ ore contígimus⁚ pura mẽte capiámus. Per Dóminum.

De Sancto Nicolao Epiſcopo fiat ſicut de Sancto Guillermo. pag. 202.

De Conceptione B. Mariæ omnia fiant ſicut in eius natiuitate notatur. pag. 284.

S. Damaſi Papæ. Collecta.

EXaúdi Dómine, quæſumus, preces noſtras⁚ &, interueniẽte beáto Damáſo confeſſóre tuo atque Põtífice, ſupplicatiónes noſtras placátus inténde. Per Dóminum.

Secreta.

ACcépta tibi ſit, Dómine, ſacræ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum, quorum ſe méritis percepíſſe de tribulatióne cognóſcit auxílium. Per. Poſtcommunio.

DA, quæſumus, Dómine fidélibus pópulis Sanctórũ tuórum ſemper veneratióne lætári⁚ & eórũ perpétua ſupplicatióne muníri. Per Dóminum noſtrum.

De Sancta Lucia ſicut de Sancta Catherina. pag. 313.

Sanctæ Barbaræ virginis. Collecta

OMnípotens ſempitérne Deus, qui infírma mundi éligis, vt fórtia quæque confúndas⁚ cõcéde propítius: vt, qui beátæ Bárbaræ mártyris tuæ ſolémnia colimus⁚ ei⁹ apud te patrocínia ſentiámus. Per Dóminum noſtrum. Secreta.

HOſtias, Dómine, quas tibi offérimus, propítius ſúſcipe, & intercedénte beáta Bárbara mártyre tua, víncula peccatórum noſtrórum abſólue. Per Dóminũ noſtrum Iéſum Chriſtum.

Poſtcommunio.

REfécti cibo, potúque cœléſti, Deus noſter, te ſúpplices exorámus: vt in cuius hæc commemoratióne percépimus⁚ eius muniámur & précibus. Per Dóminum.

SANCTI THOMÆ APOST.

Introitus.



MIhi autem nimis honoráti ſunt amíci tui, Deus: nimis confortátus eſt principátus eórum. Pſalmus. Dómine probáſti me & cognouíſti me: tu cognouíſti ſeſſiónẽ meam, & reſurrectiónem meam.

Collecta.

QVæſumus, omnípotens Deus, vt beátus Thomas Apóſtolus tuum pro nobis implóret auxílium: vt à noſtris reátibus abſolúti⁚ à cunctis étiam perículis exuámur. Per Dóminum noſtrum.

Ad Ephéſios. Cap. 2.

FRatres: Iam non eſtis hóſpites & áduenæ: ſed eſtis ciues Sanctórũ, & doméſtici Dei, ſuperædificáti ſuper fundaméntum Apoſtolórum & Prophetárum, ipſo ſummo anguláti lápide Chriſto Iéſu. In quo omnis ædificátio conſtrúcta: creſcit in templum ſanctum in Dómino. In quo & vos coædificámini in habitáculum Dei: in Spíritu Sancto.

℟. In omnem terram exíuit ſonus eórum, & in fines orbis terræ verba eórum.

℣. Cœli enárrant glóriam Dei, & ópera mánuum eius annúntiat firmaméntum.

Allelúia. ℣. Nimis honoráti ſunt amíci tui, Deus: nimis confortátus eſt principátus eórum. Allelúia.

Secúndum Ioánnem. Cap. 20.

IN illo témpore: Thomas vnus de duódecim, qui dícitur Dídymus: non erat cum eis quãdo venit Iéſus.

Dixérunt

Dixérunt ergo ei álij diſcípuli. Vídimus Dóminum. Ille autem dixit eis. Niſi vídero in mánibus eius fixúram clauórum, & mittã dígitum meum in locum clauórum; & mittam manum meam in latus eius: nõ credam. Et poſt dies octo: íterum erant diſcípuli eius intùs, & Thomas cum eis. Venit Iéſus, iánuis clauſis: & ſtetit in médio, & dixit. Pax vobis. Deinde dicit Thomæ. Infer dígitum tuum huc, & vide manus meas; & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli eſſe incrédulus ſed fidélis. Reſpóndit Thomas: & dixit ei. Dóminus meus: & Deus meus. Dicit ei Iéſus. Quia vidíſti me, Thoma, credidíſti: beáti, qui non vidérunt: & credíderunt. Credo.

Offertorium. Conſtítues eos Príncipes ſuper omnem terram: mémores erunt nóminis tui, in omni progénie & generatióne.

Secreta.

SAcrándum tibi, Dómine, munus offérimus, quo beáti Thomæ ſolémnia recoléntes purificatiónem quoque noſtris méntibus implorámus. Per Dóminum.

Præfatio Te Dómine ſupplíciter. pag. 184.

Communio. Mitte manum tuam, & cognóſce loca clauórum allelúia, & noli eſſe incrédulus, ſed fidélis, allelúia, allelúia.

Poſtcommunio.

PErcéptis, Dómine, ſacraméntis ſupplíciter exorámus: vt, intercedénte beáto Thoma Apóſtolo tuo, quæ pro illíus veneránda gérimus paſſióne; nobis profíciant ad medélam. Per Dóminum.

MISSA IN DEDICATIONE nouæ Eccleſiæ poſt benedictionem altaris, Introitus, Epiſtola. &c. quæ hic abbreuiantur, vt in propria Miſſa dedicationis anniuerſariæ. Terríbilis.

Collecta.

DEus, qui inuiſibíliter ómnia cõtines, & tamen pro ſalúte géneris humáni, ſigna tuæ poténtię viſibíliter oſténdis; templũ hoc poténtia tuæ inhabitatiónis illúſtra: vt omnes, qui huc deprecatúri conuéniunt; ex quacúnque tribulatióne ad te clamáuerint, conſolatiónis tuæ benefícia conſequántur. Per.

Epiſtola. Vidi ciuitátem ſanctam.

℟. Locus iſte. ℣. Deus cui. Allelúia.

℣. Adorábo ad templum.

Secundum Lucam. Cap. 19.

IN illo témpore: Ingréſſus Iéſus perambulábat Iéricho. Et ecce vir nómine Zachæus: & hic erat Princeps publicanórum, & ipſe diues. Et quærébat vidére Iéſum, quis eſſet: & non póterat præ turba, quia ſtatúra puſíllus erat. Et præcúrrens aſcéndit in árborem ſicomórum, vt vidéret illum: quia inde erat tranſitúrus. Et cùm veniſſet ad locum: ſuſpíciens Iéſus vidit illum, & dixit ad eum. Zachæe feſtínans deſcénde: quia hódie in domo tua opórtet me manére. Et feſtínans deſcéndit: & excépit illum gaudens. Et cùm vidérent omnes: murmurabãt dicéntes, quòd ad hóminem peccatórem diuertiſſet. Stãs autem Zachæus dixit ad Iéſum. Ecce dimídium bonórum meórum, Dómine, do paupéribus: & ſi quid áliquem defraudáui, reddo quádruplum. Ait Iéſus ad eum. Quia hódie ſalus dómui huic facta eſt: eo quòd & ipſe fílius ſit Abráhæ. Venit enim Fílius hóminis quærere, & ſaluum fácere: quod períerat. Credo.

dit, & extendit hoc nomen in gaúdium.

Secúndum Matthæum. Cap 1.

IN illo témpore: A'ngelus Dómini appáruit in ſomnis Ióſeph, dicens. Ióſeph fili Dáuid: noli timére accípere Maríam cóniugẽ tuam. Quod enim in ea natum eſt: de Spíritu Sancto eſt. Páriet autem filium: & vocábis nomen eius Iéſum. Ipſe enim ſaluum fáciet pópulum ſuum à peccátis eórum. Hoc autem totum factũ eſt: vt adimplerétur quod dictum eſt à Dómino per Prophétam dicéntem. Ecce virgo concipiet in vtero, & páriet filium: & vocábitur nomen eius Emmánuel: quod interpretátur nobíſcum Deus.

Offertorium. In nómine meo dæmónia eiícient, linguis loquéntur nouis: ſerpéntes tollent: & ſi mortiferum quid bíberint, non eis nocébit: ſuper ægros manus impónent, & bene habébunt, allelúia. Secreta.

IN veneratióne nóminis dilectíſſimi Fílij tui dómini noſtri Iéſu Chriſti, tibi Deus pater miſericordiárum, deuótis méntibus hóſtias immolámus, ſupplíciter deprecántes, vt eárum virtúte cunctis egéntibus præſtétur auxílium, & in eódẽ nómine delectántes, ſalutárem ſui propóſiti conſequántur effécftum. Per eúndẽ.

Præfatio. Quia per incarnáti.

Communio. Vincénti dabo manna abſcónditum: & dabo illi cálculum cándidum: & in cálculo nomen nouum ſcriptum: quod nemo ſcit, niſi qui áccipit, allelúia.

Poſtcommunio.

SAcroſáncta myſtéria, quæ ſúmpſim⁹, Dómine, in honórẽ complacentíſſimi nóminis Fílij tui Dómini noſtri Iéſu Chriſti, deuótis præcórdiis recoléntes, quæſumus, vt increménta ſpirituális exultatiónis nobis accúmulent, & affectum noſtrũ ad hoc ſalutíferum nomen Iéſu iúgiter imprimendum accéndant: & ad iubilándum in Iéſu Saluatóre noſtro dulcíſſimo tota mẽtis intentióne pro móueant. Per eúndem.

DE QVINQVE VVLNERIBUS Chriſti. Introitus.

HVmiliáuit ſemetípſum Dóminus noſter Iéſus Chriſtus vſq; ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & De⁹ exaltáuit illum, & donáuit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, allelúia.

Pſalmus. Miſericórdias Dómini: in ætérnum cantábo. Collecta.

DOmine Iéſu Chriſte Fili Dei viui, qui de cœlis ad terram de ſinu Patris deſcendiſti, & in ligno crucis quinque plagas ſuſtinuíſti, & ſánguinem tuũ pretióſum in remiſſiónem peccatórum noſtrórum fudíſti: te humíliter implorámus: vt in die iudícij ad déxteram tuam audire mereámur, veníte benedícti Patris mei. Qui viuis & regnas cum eódem Patre in vnitáte Spíritus Sancti Deus. Per ómnia.

Léctio Zacharíæ Prophétæ. Cap. 12.

HÆc dicit Dómin⁹ Deus. Effúndam de Spíritu meo ſuper domum Dauid, & ſuper habitántes Ierúſalem: Spíritũ grátiæ & miſeratiónis. Et áſpicient in me, quem confixérunt, & plangent eum planctu magno, quaſi ſuper vnigénitum: & dolébunt ſuper eum, vt doléri ſolet in morte primogéniti. In illa die erit planctus magnus in Ierúſalem: & dicétur ei. Quæ ſunt plagæ iſtæ in médio mánuum tuárum? Et dicet eis. His plagátus ſum in domo eórum, qui me diligébant. Frámea ſuſcitáre ſuper paſtórem meum, & ſuper virum cohæréntem mihi: dicit Dóminus exercituum. Pércute paſtórem, & diſpergéntur oues gregis: ait Dóminus omnipotens.

Digitized by Google

℟. Impropérium expectáuit cor meum, & miſériam, & ſuſtínui qui ſimul contriſtarétur, & non fuit, conſolántem me quæſíui, & non inueni. ℣. Et dedérunt in eſcã meam fel, & in ſiti mea potauérunt me acéto.

Allelúia, ℣. Aue Rex noſter, tu ſolus noſtros miſerátus erróres Patri obédiens ductus es ad crucem vt agnus manſuétus ad occiſiónem, tibi glória hoſánna, tibi triúmphus, & victória: tibi ſupérnæ laudis coróna. Allelúia.

Secundum Ioánnem. Cap. 19.

IN illo témpore: Sciens Iéſus quia iam ómnia conſummáta ſunt: vt conſummarétur ſcriptúra, dicit. Sitio. Vas ergo póſitum erat: acéto plenum Illi autem ſpóngiam plenã acéto hyſſópo circumponéntes: obtulérunt ori eius. Cùm ergo accepíſſet Iéſus acétum: dixit. Conſummátum eſt: Et inclináto cápite: emíſit ſpíritũ. Iudæi ergò quóniam paraſcéue erat, vt non remanérent in cruce córpora Sábbato? (erat enim magnus dies ille Sábbati:) rogauérunt Pilátum, vt frangeréntur eórum crura, & tollerétur. Venérũt ergo mílites: & primi quidem fregérunt crura, & altérius, qui crucifixus erat cum eo Ad Iéſum autem cùm veniſſent: vt vidérunt eum iam mórtuum, non fregérunt eius crura, ſed vnus mílitum láncea latus eius apéruit, & continuò exíuit ſanguis & aqua. Et qui vidit teſtimónium perhíbuit: & verum eſt teſtimónium eius.

Offertorium. Inſurrexérunt in me viri iníqui, abſque miſericórdia quæſiérunt me interfícere, & non pepercérunt in fáciem meam ſpúere, & lánceis ſuis vulnerauérunt me, & concúſſa ſunt ómnia oſſa mea. allelúia. Secreta.

DO'mine Iéſu Chriſte, qui pro mundi redemptióne crucis lignum aſcendíſti, vt vniuérſus mundus, qui in ténebris erat, illuminarétur, illam lucem in ánima & córpore noſtro ſemper tribue, per quam ad ætérnam lucem peruenire mereámur. Qui viuis.

Præfatio de S. Cruce. pag. 181.

Communio. Fodérunt manus meas & pedes meos, dinumerauérunt ómnia oſſa mea. allelúia. Poſtcommunio.

DO'mine Iéſu Chriſte, qui hora diéi ſexta pro redemptióne mũdi crucis patíbulum aſcendíſti? & ſánguinem tuum pretióſum in remiſſiónem peccatórum noſtrórum fudíſti: te humíliter deprecámur? vt poſt óbitum noſtrum paradíſi iánuam gaudénter introíre mereámur. Qui viuis & regnas.

MISSA DE S. SPIRITV.

quæ dicitur vt notatum fuit pag. 321. necnon feria ſecunda poſt Dominicam quartam poſt Paſcha, quando celebratur capitulum generale ordinis. Introitus

SPI'RITVS Dómini repléuit orbem terrárum, allelúia: & hoc, quod cóntinet ómnia, ſciéntiã habet vocis, allelúia, allelúia, allelúia. ℣. O'mnium eſt enim ártifex, omnem habens virtútem: ómnia proſpíciens. Collecta,

DEus, qui corda fidélium Sancti Spíritus illuſtratióne docuíſti: da nobis in eódem Spíritu recta ſápere? & de eius ſemper conſolatióne gaudére. Per eiúſdem Spíritus ſancti Deus. Per ómnia.

Lectio Actuum Apoſtolórũ. Cap. 8.

IN diébus illis: Cùm audíſſet Apóſtoli, qui erant Ieroſólymis, quia recépit Samária verbum Dei: miſérunt ad illos Petrum & Ioánnem. Qui cùm veniſſent: orauérunt pro ipſis vt accíperent Spíritum Sãctum Nondum enim in quemquam illórum vénerat: ſed baptizáti tantùm erant in nómine Dómini Iéſu. Tunc

imponébant

intra templi huius, cuius anniuerſárium dedicatiónis diem celebrámus, ámbitum continémur, plena tibi atque perfécta córporis & ánimæ deuotióne placeámus, vt dum hæc præséntia vota réddimus, ad ætérna prǽmia, te adiuuánte, veníre mereámur. Per Dóminum.

Communio. Domus mea domus oratiónis vocábitur, dicit Dóminus: in ea omnis, qui petit, áccipit: & qui quærit, ínuenit, & pulſánti aperiétur. allelúia, allelúia.

Poſtcommunio.

DEus, qui Eccléſiam tuam ſponſam vocáre dignátus es, vt, quæ habéret grátiam per fídei deuotiónem, habéret étiam ex nómine pietátem: da, vt omnis hæc plebs nómini tuo ſéruiens, huius vocábuli consórtio digna eſſe mereátur: & Eccléſia tua in templo, cuius anniuerſárius dedicatiónis dies celebrátur, tibi colléćta te tímeat, te díligat, te ſequátur: vt dum iúgiter per veſtígia tua gráditur, ad cœléſtia promíſſa, te ducénte, peruenire mereátur. Qui viuis & regnas.

SEQVVNTVR MISSÆ VOTIVÆ.

Miſſa de Sanctiſſima Trinitate. pag. 145. quę eſt matutinalis diebus dominicis ab oct. S. Sacramenti altaris vſque ad Aduentū Domini, niſi euenerit feſtum S habens Miſſam vigil. aut octa aut præſens defunctus impedierit, aut infra octa. S. Ioannis Baptiſtæ, aliis verò temporibus vtraque ſit de Dominica, præter Dominicā infra oct. Purification. B.M. Feria ij. vacante Miſſa eſt pro defunctis. Feria iij. de S. Bernardo. pa. 278. Feria iiij. pro familiaribus. pag. 331. prę ter tēpus Paſchale quo fit de Reſurrectione. Feria v. fit de Dominica niſi ab octa. S. Sacramenti vſque ad Natiuit. Domini, tunc autem dicitur Miſſa de ipſo S. Sacramento quæ eſt. pag. 146. aut de S. Spiritu pag. 325. de quib⁹ fit alternatim. Feria vj. de S. Cruce. pagina præſenti, extra aduentum quo fit de Dominica præcedēti.

Sabbato fit de B. Maria. Introitus.

NOs autem gloriári opórtet in Cruce Dómini noſtri Ieſu Chriſti: in quo eſt ſal⁹, vita & reſurréctio noſtra: per quem ſaluáti & liberáti ſumus, allelúia, allelúia.

Pſalmus. Deus miſereátur noſtri, & benedícat nobis: illúminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereátur noſtri.

Collecta.

DEus, qui Vnigéniti Fílij tui pretióſo ſánguine viuíficæ Crucis vexíllum ſanctificári voluíſti: concéde, quæſumus, eos, qui eiúſdem ſanctæ crucis gaudent honóre: tua quoque vbíque protectióne gaudére. Per eúndem.

Ad Philippénſes. Cap. 2.

FRatres: Chriſtus factus eſt pro nobis obédiens vſque ad mortē: mortem autē crucis. Propter quod & Deus illum exaltáuit, & donáuit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: vt in nómine Ieſu omne genu flectátur, cœléſtium, terréſtrium & infernórum. Et omnis lingua confiteátur: quia Dóminus Ieſus Chriſtus: in glória eſt Dei Patris.

℟. Chriſtus factus eſt pro nobis obédiens vſque ad mortem, mortem autem crucis. ℣. Propter quod & Deus exaltáuit illum: & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Allelúia. ℣. Dulce lignum, dulces clauos, dúlcia ferens póndera: quæ ſola fuíſti digna ſuſtinére Regem cœlórum & Dóminum. Allelúia.

Secúndum Matthǽum. Cap. 20.

IN illo témpore: Aſcéndens Ieſus Ieroſólymam: aſſúmpſit duódecim diſcípulos ſuos ſecrétò, & ait illis. Ecce aſcéndimus Ieroſólymam: & Filius hóminis tradétur Princípibus Sacerdótum & Scribis & con-

imponébant manus ſuper illos: & accipiébant Spíritum Sanctum.

℟. Beáta gens, cuius eſt Dóminus Deus eius pópulus, quem elégit in hæreditátem ſibi. ℣. Verbo Dómini cœli firmáti ſunt: & Spíritu oris eius omnis virtus eórum.

Allelúia. ℣. Veni Sancte Spíritus, reple tuórum corda fidelium: & tui amóris in eis ignem accénde. Allelúia.

Tempore Paſchali. Secundum Allelúia. ℣. Paraclétus Spíritus Sanctus, quem mittet Pater in nómine meo, ille vos docébit omnem veritátem. Allelúia.

Secúndum Ioánnem.

Cap. 14.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Si quis díligit me: ſermónem meum ſeruábit. Et Pater meus díliget eum: & ad eum veniémus, & manſiónem apud eum faciémus. Qui non díligit me: ſermónes meos non ſeruat. Et ſermónem, quem audíſtis, non eſt meus: ſed eius, qui miſit me, Patris. Hæc locútus ſum vobis: apud vos manens. Paraclétus autem Spíritus Sanctus, quē mittet Pater in nómine meo: ille vos docébit ómnia, & ſúggeret vobis ómnia quæcúnque díxero vobis. Pacem relínquo vobis: pacem meam do vobis. Non quómodò mundus dat: ego do vobis. Non turbétur cor veſtrum: neque formídet. Audíſtis quia ego dixi vobis: vado, & vénio ad vos. Si diligerétis me, gauderétis vtique, quia vado ad Patrem: quia Pater maior me eſt. Et nūc dixi vobis, priúſquam fiat: vt, cùm factum fúerit, credátis. Iam nō multa loquar vobíſcum. Venit enim princeps mundi huius: & in me non habet quicquam. Sed vt cognóſcat mūdus, quia díligo Patrem: & ſicut mandátum dedit mihi Pater ſic fácio.

Offertorium. Confirma hoc Deus, quod operátus es in nobis: à templo tuo, quod eſt in Ieruſalem, tibi ófferent Reges múnera, allelúia.

Secreta.

MV'nera Dómine, quæſumus, obláta ſanctífica, & corda noſtra Sancti Spíritus illuſtratióne emúnda. Per Dóminum. in vnitáte eiúſdem Spíritus Sancti Deus. Per.

Communio. Factus eſt repéntè de cœlo ſonus adueniéntis ſpíritus vehementis vbi erant ſedéntes, allelúia: & repléti ſunt omnes Spíritu Sancto loquéntes magnália Dei allelúia, allelúia. Poſtcommunio.

SAncti Spíritus, Dómine, corda noſtra mundet infúſio: & ſui roris íntima aſperſióne fœcúndet. Per. in vnitáte eiúſdem Spíritus Sancti Deus. Per ómnia.

IN SEPTVAGESIMA & quadrageſ. Introitus. Spíritus Dómini repléuit. ſine allelúia ſed cū tractu. Sicut ceruus. &c. vel Miſſa ſequens. Introitus qui poteſt dici in vigilia Pentec. in priuata Miſſa loco omniū quæ dicūtur ante Kyrie eléiſon. cætera vero vt ibi. pa. 135.

DVm ſanctificátꝰ fúero in vobis, congregábo vos de vniuérſis terris, & effúndam ſuper vos aquam mundā: & mūdabímini ab ómnibus inquinaméntis veſtris, & dabo vobis Spíritum nouum.

Pſalmus. Benedicam Dóminū in omni témpore: ſemper laus eius in ore meo. Collecta

DEus, cui omne cor patet, & omnis volúntas lóquitur, & quem nullum latet ſecrétum: puríſica per infuſiónem Sancti Spíritus cogitatiónes cordis noſtri, vt te perféctè dilígere, & dignè laudáre mereámur. Per. in vnitáte eiúſdem.

Ad Corinthios. 1. Cap. 12.

FRatres: Vnicuíque noſtrum datur manifeſtátio Spíritus: ad vtilitátem. A'lij quidem per Spíritum,

datur ſermo ſapiéntiæ. A'lij ſermo ſciéntiæ ſecúndum eúndem Spíritũ. A'lteri fides: in eódem Spíritu. A'lij grátia ſanitátum:in vno Spíritu. A'lij operátio virtútum: álij prophetía, álij diſcrétio ſpirítuum. Alij génera linguárũ. A'lij interpretátio ſermónum. Hæc autem ómnia operátur vnus atque idem Spíritus: diuidens ſíngulis: prout vult.

℟. Beáta gens, cuius eſt Dóminus Deus eíus, pópulus, quem elégit Dóminus in hæreditátem ſibi. ℣. Verbo Dómini cœli firmáti ſunt, & ſpíritu oris eius omnis virtus eórum. Tractus.

SIcut ceruus deſíderat ad fontes aquárum, ita deſíderat ánima mea ad te, Deus. ℣. Sitíuit ánima mea ad Deũ viuum: quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei mei. ℣. Fuérunt mihi láchrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dícitur mihi per ſíngulos dies, vbi eſt Deus tuus?

Secúndum Ioánnem. Cap. 14.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Si dilígitis me: mandáta mea ſeruáte. Et ego rogábo Patrem & álium Paraclétum dabit vobis, vt máneat vobíſcum in ætérnum, Spíritum veritátis, quem mundus non poteſt accípere: quia non videt eũ, nec ſcit eum. Vos autem cognoſcétis eum: quia apud vos manébit: & in vobis erit.

Offertorium. Emítte Spíritum tuum, & creabúntur, & renouábis fáciem terræ, ſit glória Dómini in ſæcula. Secreta.

HÆc oblátio, Dómine De⁹, cordis noſtri máculas emúndet, vt Sancti Spíritus digna efficiátur habitátio. Per. in vnitáte eiúſdem.

Communio. Spíritus Sanctus docébit vos quæcúnque díxero vobis.

Poſtcommunio.

SAncti Spíritus, Dómine, corda noſtra mundet infúſio: & ſui roris íntima aſperſióne, fœcúndet. Per Dóminum noſtrum. eiúſdem.

DE SANCTA MARIA IN Aduentu Domini. vt etiam notatur in eius Annuntia. pag. 222. Introitus.

ROráte cœli déſuper, & nubes pluant iuſtum: aperiátur terra, & gérminet Saluatórẽ. ℣. Et iuſtítia oriátur ſimul: ego Dóminus creáui eum. ſine Glória in excélſis.

Collecta.

DEus, qui de beátæ Maríæ vírginis vtero Verbum tuum, A'ngelo nuntiánte, carnem ſuſcípere voluíſti: præſta ſupplícibus tuis: vt, qui verè eam D[ei] genitrícem [cre]dimus: eius apud te interceſſiónibus adiuuémur. Per eúndem.

Léctio Iſaíæ Prophétæ. Cap. 11.

HÆc dicit Dómin⁹ Deus. Egrediétur virga de radíce Ieſſe: & flos de radíce eius aſcéndet. Et requiéſcet ſuper eũ Spíritus Dómini: Spíritus ſapiéntię & intelléctus, Spíritus cõsílij & fortitúdinis, Spíritus ſciéntiæ & pietátis, & replébit eum Spíritus timóris Dómini. Non ſecúndum viſiónem oculórum iudicábit: neque ſecúndum audítum aúrium árguet: ſed iudicábit in iuſtítia paúperes, & árguet in æquitáte pro mãſuétis terræ. Et percútiet terra in virga oris ſui: & ſpíritu labiórum ſuórum interfíciet ímpium. Et e[rit iu]ſtítia cíngulum lumbórum e[ius]: [&] fides: cinctórium renum eius.

℟. Tóllite portas Príncipes veſtras, & eleuámini portæ æternáles, & introíbit Rex glóriæ. ℣. Quis aſcéndet in montem Dómini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius? innocens mánibus & mundo corde.

Allelúia. ℣. Virga Ieſſe flóruit, virgo Deum & hóminem génuit: pacem Deus réddidit, in ſe reconcílians ima ſummis. Allelúia.

Secúndum Lucam. Cap. 1.

IN illo témpore: Miſſus eſt A'ngelus Gábriel à Deo in ciuitátem Ga-

lilǽæ, cui nomen Názareth, ad vírginem deſpōſátam viro, cui nomen erat Ióſeph, de domo Dauid: & nomē vírginis María. Et ingréſſus A'ngelus ad eam: dixit. Aue grátia plena: Dóminus tecū. Benedícta tu in muliéribus. Quæ cum audíſſet, turbáta eſt in ſermóne ei⁹: & cogitábat qualis eſſet iſta ſalutátio. Et ait A'ngelus ei. Ne tímeas María: inueníſti enim grátiam apud Deum. Ecce cōcípies in v'tero & páries Filium: & vocábis nomen eius Iéſum. Hic erit magnus: & Filius Altíſſimi vocábitur. Et dabit illi Dóminus Deus ſedem Dauid patris eius: & regnábit in domo Iácob in ætérnum, & regni eius non erit finis. Dixit autem María ad A'ngelum. Quómodo fiet iſtud, quóniam virum non cognóſco? Et reſpóndens A'ngelus: dixit ei. Spíritus Sanctus ſuperuéniet in te: & virtus Altíſſimi obumbrábit tibi. Ideóque & quod naſcétur ex te Sanctum: vocábitur Filius Dei. Et ecce Elízabeth cognáta tua: & ipſa concépit filium in ſenectúte ſua. Et hic mēſis eſt ſextus illi, quæ vocátur ſtérilis: quia nō erit impoſsíbile apud Deum omne verbum. Dixit autem María. Ecce ancílla Dómini. Fiat mihi: ſecúndum verbum tuum.

Offertorium. Aue María grátia plena, Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui.

Secreta.

IN méntibus noſtris Dómine veræ fídei Sacraménta cōfirma, vt, qui concéptum de vírgine Deum verum & hóminem confitémur, per eius ſalutíferæ reſurrectiónis poténtiā, ad ætérnam mereámur perueníre lætítiam. Per eúndem.

Præfatio. Æ térne Deus. Et te in veneratióne.

Communio. Ecce virgo concípiet, & páriet filium, & vocábitur nomen eius Emmánuel.

Poſtcommunio.

GRátiam tuam Dómine méntibus noſtris infúnde: vt qui, A'ngelo nuntiánte, Chriſti Fílij tui incarnatiónem cognóuimus? per paſſiónem eius & crucem, ad reſurrectiónis glóriam perducámur. Per eúndem.

ALIO TEMPORE, Præter eius feſta & octa. De ea autem fit in conuentu omni Sabbato, præter Sabbatum in capite ieiunij, feſta ſermonis, infra octa. ſolem. & octauas & vigil. Domini & SS. feſta xij. lect. & j. Miſſ nam in feſtis alíis ij. Miſſ. j. Miſſa erit de beata, licet habuerit duo officia (præter feſt. S. Crucis) niſi officia dominicalia, aut defunctorum aut Miſſ. ieiunii impediant.

Introitus.

SAlue ſancta parens, eníxa puérpera Regem: qui cœlum terrámque regit in ſǽcula ſæculórū, allelúia.

℣. Benedícta tu in muliéribus: & benedíctus fructus ventris tui.

Collecta.

COncéde nos fámulos tuos, quǽſumus, Dómine Deus perpétua mentis & córporis ſanitáte gaudére: & glorióſa beátæ Maríæ ſemper vírginis interceſsióne à præſénti liberári triſtítia? & futúra pérfrui lætítia. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccl^ci. Cap. 24.

AB inítio, & ante ſǽcula creáta ſum, & vſque ad futúrū ſǽculum non déſinam: & in habitatióne ſancta, coram ipſo miniſtráui. Et ſic in Siō firmáta ſum, & in ciuitáte ſanctificáta ſimíliter requiéui: & in Ieruſalem poteſtas mea. Et radicáui in pópulo honorificáto: & in partes Dei mei hæréditas illíus. Et in plenitúdine Sanctórum: deténtio mea.

℟. **Benedícta & venerábilis es virgo María: quæ ſine tactu pudóris inuénta es mater Saluatóris. ℣. Virgo Dei génitrix, quem totus non capit orbis, in tua ſe clauſit víſcera factus homo.**

A Natiuitate Domini vſque ad Purificationem. A **llelúia. ℣. Poſt partum virgo inuioláta permansíſti. Dei génitrix intercéde pro nobis.** A Sabb. primo poſt Paſcha vſque ad Trinitatem. Primum. A **llelúia. Poſt partum virgo inuioláta.** Secundum. A **llelúia. ℣. Virga Iéſſe flóruit virgo Deum & hóminem génuit, pacem Deus réddidit in ſe reconcílians ima ſummis.** Alio tempore alternatim dicuntur.

A ſeptuageſima vſque ad Paſcha. Tractus.

G**Aude María virgo, cũctas hæreſes ſola interemíſti. ℣. Quæ Gabriélis Archãgeli dictis credidíſti. ℣. Dum virgo Deum & hóminem genuíſti, & poſt partum virgo inuioláta permansíſti. ℣. Dei génitrix intercéde pro nobis.**

Secúndum Lucam. Cap. 11.

IN illo témpore: Loquénte Iéſu ad turbas: extóllens vocem quædã múlier de turba dixit illi. Beátus vẽter, qui te portáuit: & vbera, quæ ſuxíſti. At ille dixit. Quinímmo: beáti, qui aúdiunt verbum Dei: & custódiunt illud.

Offertorium. B**eáta es virgo María, quæ Dóminum portáſti creatórem mundi genuíſti qui te fecit, & in ætérnum pérmanes virgo. Allelúia.**

Secreta.

TVa, Dómine, propitiatióne: & beátæ Maríæ ſemper vírginis intercessióne, ad perpétuam atque præſéntem hæc oblátio nobis profíciat ſalútem. Per Dóminum.

Communio. B**eáta víſcera Maríæ vírginis, quæ portauérunt ætérni Patris Filium, allel.**

Poſtcommunio.

SVmptis, Dómine, ſalútis noſtræ ſubsídiis: da, quæſumus, beátæ Maríæ ſemper vírginis nos patrocíniis vbique prótegi: in cuius veneratióne hæc tuæ obtúlimus maieſtáti. Per Dóminum.

DE OMNIBVS SANCTIS.

Introitus.

TIméte Dóminũ omnes Sãcti eius, quóniam nihil deeſt timéntibus eũ: díuites eguérunt, & eſuriérunt, inquiréntes autem Dóminum nõ deficient omni bono. allelúia, allelúia.

Pſalmus. B**enedícam Dóminum in omni témpore: ſemper laus eius in ore meo.**

Collecta.

COncéde, quæſumus, omnipotens Deus: vt intercéſſio nos ſanctæ Dei genitricis ſemperq; vírginis Maríæ, Sanctorúmque ómniũ Apoſtolórum, mártyrum, confeſſórum, atque vírginum, & ómnium electórum tuórum vbíque lætíficet: vt dũ eórum mérita recólimus: patrocínia ſentiámus Per eúndem Dóminum noſtrum Iéſum Chriſtũ Filium tuum. Qui tecum viuit & regnat.

Léctio libri Apocalýpſis: B. Ioannis Apóſtoli. Cap. 7.

IN diébus illis: Ego Ioánnes vidi A'ngelum aſcendéntem ab ortu Solis, habéntem ſignum Dei viui: & clamáuit voce magna quátuor A'ngelis, quibus datum eſt nocére terræ & mari, dicens. Nolite nocére terræ & mari, neque arbóribus: quoadúſque ſignémus ſeruos Dei noſtri in fróntibus eórum. Et audíui númerum ſignatórum, cẽtum quadragínta quátuor míllia ſignáti: ex omni Tribu filiórum Iſráel. Poſthæc vidi turbam magnam, quam dinumeráre nemo póterat, ex ómnibus Géntibus, & Tríbubus, & pópulis, & linguis, ſtantes ante thronũ, & in conſpéctu Agni: amícti ſtolis albis, & palmæ in mánibus eórum. Et clamábãt voce magna dicéntes. Salus Deo noſtro: qui ſedet ſuper thronum, & Agno. Et omnes A'ngeli ſtab ...

circúitu throni & Seniórum & quátuor animálium : & cecidérunt in conſpéctu throni in fácies ſuas, & adoravérunt Deum dicéntes, amē. Benedíctio & cláritas & ſapiéntia & gratiárum áctio : honor & virtus & fortitúdo Deo noſtro : in ſǽcula ſæculórum. amen.

℞. Exultábunt Sancti in glória, lætabúntur in cubílibus ſuis.

℣. Cantáte Dómino cánticum novum: laus eius in Ecclésia Sanctórum.

Allelúia. ℣. Iudicábunt Sancti natiónes, & dominabúntur pópulis : & regnábit illórum Rex in ætérnum. Allelúia.

Secúndum Matthǽum. Cap. 5.

IN illo témpore: Videns turbas Ieſus: aſcéndit in montem. Et cùm ſediſſet: acceſſérūt ad eum diſcípuli eius. Et apériens os ſuum : docébat eos dicens. Beáti, paúperes ſpíritu: quóniam ipſórum eſt regnum cœlórum. Beáti mites : quóniam ipſi poſſidébunt terram. Beáti qui lugent: quóniam ipſi conſolabúntur. Beáti, qui eſúriunt, & ſitiunt iuſtítiam : quóniam ipſi ſaturabúntur. Beáti miſericórdes : quóniam ipſi miſericórdiam conſequéntur. Beáti mundo corde: quóniam ipſi Deum vidébunt. Beáti pacífici : quóniam filij Dei vocabúntur. Beáti, qui perſecutiónem patiúntur propter iuſtítiam : quóniam ipſórum eſt regnum cœlórum. Beáti éritis cum maledíxerint vobis hómines, & perſecúti vos fúerint, & díxerint omne malum advérſum vos mentiéntes: propter me. Gaudéte in illa die & exultáte : quóniam merces veſtra : copióſa eſt in cœlis.

Offertorium. Mirábilis Deus in Sanctis ſuis, Deus Iſráel ipſe dabit virtútem & fortitúdinem plebi ſuæ, benedíctus Deus, allelúia.

Secreta.

OBlátis, Dómine, placáre munéribus, &, intercedénte beáta Dei genitríce María cum ómnibus Sanctis tuis, à cunctis nos defénde perículis. Per eúndem Dóminum.

Communio. Gaudéte iuſti in Dómino, allelúia : rectos decet collaudátio. allelúia.

Poſtcommunio.

SVmpſimus, Dómine, beátæ Maríæ ſemper vírginis & ómnium Sanctórum tuórum memóriam recoléntes ſacraménta cœléſtia : præſta, quǽſumus : vt, quod temporáliter gérimus : ætérnis gaúdiis conſequámur. Per Dóminum.

Item de omnibus Sanctis. Collecta.

ACunctis nos, quǽſumus, Dómine, mentis & córporis defénde perículis : &, intercedénte glorióſa vírgine Dei genitríce María cum beátis Apóſtolis Petro & Paulo & ómnibus Sanctis, ſalútem nobis tríbue benígnus & pacem : vt deſtrúctis adverſitátibus & erróribus vniuérſis : Eccléſia tua ſecúra tibi ſérviat libertáte. Per eúndem.

Non dicatur Collecta. Eccléſiæ tuæ.

Secreta.

EXaúdi nos Deus Salutáris noſter, vt per huius virtútem ſacraménti à cunctis nos mentis & córporis hóſtibus tueáris, grátiam tríbuēs in præſénti, & glóriam in futúro. Per Dóminum noſtrū Ieſum Chriſtum Fílium tuum.

Poſtcommunio.

MVndet & múniat, quǽſumus Dómine, diuíni ſacraménti nos munus oblátum : vt, intercedénte beáta vírgine Dei genitríce María cum beátis Apóſtolis tuis Petro & Paulo & ómnibus Sanctis, à cunctis nos reddas & peruerſitátibus expiátos : & adverſitátibus expedítos. Per eúndem Dóminum noſtrum Ieſum Chriſtū Filium tuum. Qui tecum viuit.

MISSA PRO PACE.

Introitus.

DA pacem Dómine ſuſtinéntibus te, vt Prophétæ tui fidéles inueniántur: exaúdi preces ſerui tui, & plebis tuæ Iſráel.

Pſalmus. Lætátus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi: in domum Dómini íbimus. Collecta.

DEus, à quo ſancta deſidéria, recta consília & iuſta ſunt ópera; da ſeruis tuis illam, quam mundus dare non poteſt, pacem: vt & corda noſtra mandátis tuis dédita; & hóſtium ſubláta formídine, témpora ſint tua protectióne tranquílla. Per Dóminum noſtrum.

Léctio Ieremíæ Prophétæ. Cap. 14.

SI iniquitátes noſtræ contendérint contra nos: Dómine líbera nos. Quǽſumus fac propter nomen tuum: quóniam multæ ſunt auerſiónes noſtræ. Tibi peccáuimus expectátio Iſráel: Saluator noſter in témpore tribulatiónis. Tu autem in nobis es Dómine, & nomen tuum inuocátum eſt ſuper nos: ne derelínquas nos: Dómine Deus noſter.

℟. Lætátus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Dómini íbimus. ℣. Fiat pax in virtúte tua: & abundántia in túrribus tuis.

Allelúia. ℣. Qui póſuit fines tuos pacem, & ádipe fruménti ſátiat te. alleluia.

Euangel. Dicébat Iéſus ad diſcípulos. vide inferius in proxima Miſſa.

Offertorium. Sicut in holocaúſto aríetum, & taurórum, & ſicut in míllibus agnórum pínguium, ſic fiat ſacrificium noſtrum in conſpéctu tuo hódie, vt pláceat tibi: quia non eſt confúſio confidéntibus in te Dómine. allelúia, allelúia. Secreta.

DEus, qui credéntes in te pópulos nullis ſinis cóncuti terróribus, dignáre preces & hóſtias dicátæ tibi plebis ſuſcípere, vt pax tua pietáte concéſſa, Chriſtianórum fines ab omni hoſte fáciat eſſe ſecúros. Per Dóminum noſtrum.

Communio. Amen dico vobis, quicquid orántes pétitis, crédite quia accipiétis, & fiet vobis. allelúia, allelúia.

Poſtcommunio.

DEus author pacis, & amátor, quem noſſe víuere, cui ſeruíre regnáre eſt, prótege ab ómnibus impugnatiónibus ſúpplices tuos: vt, qui in defenſióne tua confidimus; nullíus hoſtilitátis arma timeámus. Per Dóminum noſtrum.

PRO ADVERSITATE

Eccleſiæ. Introitus.

SAlus pópuli ego ſum, dicit Dóminus, de quacúnque tribulatióne clamáuerint ad me, exaúdiã eos: & ero illórũ Dóminus in perpétuum. allel. allel.

Pſalmus. Attendite pópule meus legem meam: inclináte aurem veſtram in verba oris mei. Collecta.

ECcléſiæ tuæ Dómine preces placátus admítte: vt, deſtrúctis aduerſitátibus & erróribus vniuérſis; ſecúra tibi féruiat libertáte. Per Dóminum noſtrum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccl. Cap. 36.

MIſerére noſtri Deus ómniũ, & réſpice nos: & oſténde nobis lucem miſeratiónũ tuárum. Et immítte timórem tuum ſuper Gentes, quæ non exquiſiérunt te: & cognóſcant quia non eſt Deus niſi tu, vt enárrent magnália tua. Alleua manum tuam ſuper Gentes aliénas: vt vídeãt poténtiam tuam. Sicut enim in conſpéctu eórum ſanctificátus es in nobis, ſic in conſpéctu noſtro magnificáberis in illis, vt cognóſcant

te, ſic[illegible]

te, ſicut & nos cognóuimus: quóniã non eſt Deus, præter te, Dómine. Innoua ſigna: & immúta mirabília. Glorífica manum: & bráchium dextrum. Excita furórem: & effúnde iram. Extólle aduerſárium: & afflíge inimícum. Feſtina tempus & meménto finis: vt enárrent magnália tua: Dómine Deus noſter.

℟. Liberáſti nos Dómine ex affligéntibus nos, & eos, qui nos odérunt confudíſti.

℣. In Deo laudábimur tota die, & nómini tuo confitébimur in ſæcula.

Allelúia. ℣. Propítius eſto Dómine peccátis noſtris, nequándo dicant Gentes, vbi eſt Deus eórum? Allelúia.

Secúndum Lucam. Cap. 18.

IN illo témpore: Dicébat Ieſus ad diſcípulos ſuos parábolam iſtam: quóniam opórtet ſemper oráre, & non deficere, dicens. Iudex quidam erat in quadam ciuitáte, qui Deum non timébat: & hóminem non reuerebátur. Vídua autem quædam erat in ciuitáte illa: & veniébat ad illum, dicens. Víndica me de aduerſário meo. Et nolébat per multũ tempus. Poſt hæc autem dixit intra ſe. Et ſi Deum non tímeo, nec hóminem reuéreor: tamen quia moléſta mihi eſt hæc vídua, vindicábo illam, ne in nouíſſimo véniens ſugillet me. Ait autem Dóminus. Audite quid iudex iniquitátis dicit. Deus autem non fáciet vindíctam electórum ſuórum clamántium ad ſe die ac nocte, & patiéntiam habébit in illis? Dico vobis: quia citò fáciet vindíctam illórum.

Offertorium. Si ambuláuero in médio tribulatiónis viuificábis me Dómine: & ſuper iram inimicórum meórum extendes manum tuam, & ſaluum me fecit déxtera tua. allelúia, allelúia.

Secreta.

PRótege nos Dómine, quæſumus, tuis myſtériis ſeruiéntes, vt diuínis rebus & córpore famulémur & mente. Per Dóminum.

Communio. Meménto verbi tui ſeruo tuo Dómine, in quo mihi ſpem dediſti: hæc me conſoláta eſt in humilitáte mea. allelúia.

Poſtcommunio.

QVæſumus Dómine Deus noſter: vt, quos diuína tríbuis participatióne gaudére: humánis non ſinas ſubiacére perículis. Per Dóminum noſtrum Ieſum Chriſtum.

PRO FAMILIARIBVS.

Introitus.

EXaúdi Deus oratiónẽ meam, & ne deſpéxeris deprecatiónẽ meã: inténde in me & exáudi me. allelúia, allelúia.

Pſalm. Contriſtátus ſum in exercitatióne mea: & cõturbátus ſum à voce inimíci, & à tribulatióne peccatóris.

Collecta.

DEus, qui charitátis dona per grátiam Sãcti Spíritus tuórum córdibus fidélium infudiſti: da fámulis & famulábus tuis, pro quibus tuam deprecámur cleméntiam, ſalútem mentis & córporis: vt te tota virtúte díligant: &, quæ tibi plácita ſunt, tota dilectióne perficiant. Per. eiúſdem.

Ad Gálatas. Cap. 6.

FRatres: Si præoccupátus fuerit homo in áliquo delícto: vos, qui ſpiritáles eſtis, huiúſmodi inſtrúite in ſpíritu lenitátis, cónſiderans teípſum, ne & tu tentéris. Alter altérius ónera portáte: & ſic adimplébitis legem Chriſti.

Léctio Iſáiæ Prophétæ. Cap. 19.

HÆc dicit Dóminus. In die illa deferétur munus Dómino exercítuum: & Rex fortis dominábitur eórum. In die illa erit altáre Dómini in médio terræ, & cognoſcétur Dóminus, & colent eum in hóſtiis, & munéribus: & vota vouébũt Dó-

mino, & ſoluent. Et reuerténtur ad Dóminum, & placábitur eis: & ſanábit eos. In die illa erit Iſráel benedíctio in médio terræ: cui benedíxit Dóminus exercítuum, dicens. Benedíctus pópulus meus, & opus mánuum meárum: hæréditas mea Iſráel. Dicit Dóminus omnípotens.

℟. Conuértere Dómine aliquántulùm, & deprecáre ſuper ſeruos tuos. ℣. Dómine refúgium factus es nobis à generatióne & progénie. Allelúia. ℣. Oſténde nobis Dómine miſericórdiam tuam, & Salutáre tuum da nobis. Allelúia.

Secúndum Marcum. Cap. 12.

IN illo témpore: Sedens Iéſus contra Gazophylácium: aſpiciébat quómodo turba iactáret æs in Gazophylácium. Et multi díuites: iactábant multa. Cùm veníſſet autem vna vídua pauper: miſit duo minúta, quod eſt quadrans. Et cónuocãs diſcípulos ſuos: ait illis. Amen dico vobis: quóniam vídua hæc pauper, plus ómnibus miſit, qui miſérunt in Gazophyláciũ. Omnes enim: ex eo, quod abundábat illis, miſérunt. Hæc verò de penúria ſua, ómnia quæ hábuit, miſit: totum victum ſuum.

Aliud. Secúndum Ioánnem. Cap. 17.

IN illo témpore: Subleuátis Iéſus óculis in cœlum: dixit. Pater ſanctífica eos in veritáte. Sermo tuus véritas eſt. Sicut tu me miſiſti in mũdum, & ego miſi eos in mundum: & pro eis ego ſanctífico meípſum, vt ſint & ipſi ſanctificáti in veritáte. Non pro his autem rogo tantum: ſed & pro eis, qui creditúri ſunt: per verbum eórum in me.

Offertórium. De profúndis clamáui ad te Dómine: Dómine exáudi oratióne͂ meam.

Secreta.

MIſerére, quæſumus, Dómine Deus fámulis & famulábus tuis, pro quibus hoc ſacrifíciũ laudis tuæ offérimus maieſtáti, vt per hæc ſancta ſupérnæ benedictiónis grátiam obtíneant, & glóriam ætérnæ beatitúdinis acquírant. Per Dómi.

Communio. Ab occúltis meis munda me Dómine: & ab aliénis parce ſeruo tuo. allelúia, allelúia.

Poſtcommunio.

DIuína libántes myſtéria, quæſumus, Dómine, vt hæc ſalutária ſacraménta illis profíciant ad proſperitátem & pacem⁊ pro quorum quarúmque dilectióne hæc tuæ obtúlimus maieſtáti. Per Dóminum.

PRO QVACVNQVE tribulatione. Introitus.

SAlus pópuli ego ſum, dicit Dóminus, de quacúnque tribulatióne clamáuerint ad me, exáudiam eos: & ero illórum Dóminus in perpétuum. allelúia, allelúia.

Pſalmus. Atténdite pópule meus legem meam: inclináte aurem veſtram in verba oris mei.

Collecta.

INeffábilem miſericórdiam tuam Dómine nobis cleménter oſténde: vt ſimul nos & à peccátis éxuas⁊ & à pœnis, quas pro his merémur, erípias. Per Dóminum.

Léctio Ieremíæ prophétæ Cap. 14.

SI iniquitátes noſtræ conténderint contra nos: Dómine líbera nos. Quǽſumus fac propter nomen tuum: quóniam multæ ſunt auerſiónes noſtræ. Tibi peccáuimus expectátio Iſráel: Saluátor noſter in témpore tribulatiónis. Tu autem in nobis es Dómine, & nomen tuum inuocátum eſt ſuper nos: ne derelínquas nos: Dómine Deus noſter.

℟. Liberáſti nos Dómine ex affligéntibus nos, & eos, qui nos odérunt, confudíſti. ℣. In Deo laudábimur tota die, & nómini tuo confitébimur in ſǽcula.

Allelúia. ℣. Propítius eſto Dómine peccátis noſtris, nequándo dicant Gentes, vbi eſt Deus eórum? Allelúia.

Secúndum Marcum. Cap. 11.

IN illo témpore: Dixit Ieſus diſcípulis ſuis. Habéte fidem Dei. Amen dico vobis: quia quicúnque dixerit monti huic tóllere, & mittere in mare, & non hæſitáuerit in corde ſuo, ſed credíderit quia, quodcúnque díxerit, fiat, fiet ei. Proptérea dico vobis: ómnia quęcúnque orántes pétitis, crédite quia accipiétis, & vénient vobis. Et cùm ſtábitis, ad orándum: dimíttite ſi quid habétis aduérſus áliquem, vt & Pater veſter, qui in cœlis eſt, dimíttat vobis peccáta veſtra. Quòd ſi vos non dimiſéritis nec Pater veſter, qui in cœlis eſt: dimíttet vobis peccáta veſtra.

Offertorium. Si ambuláuero in médio tribulatiónis viuificábis me Dómine: & ſuper iram inimicórum meórum exténdes manum tuam, & ſaluum me fecit déxtera tua. allelúia, allelúia.

Secreta.

PVríficet nos, Dómine, quǽſumus, múneris præſéntis oblátio, & dignos ſacra participatióne perfíciat. Per Dóminum.

Communio. Meménto verbi tui ſeruo tuo Dómine, in quo mihi ſpem dediſti: hæc me conſoláta eſt in humilitáte mea, allelúia.

Poſtcommunio.

PRæſta Dómine, quǽſumus: vt terrénis affectibus expiáti ad ſupérni plenitúdinē ſacraménti, cuius libáuimus ſancta, tendámus. Per.

MISSA PRO PECCATIS.

Introitus.

OMnia, quæ feciſti nobis Dómine, in vero iudício feciſti: quia peccáuimus tibi, & mandátis tuis nō obedíuimus: ſed da glóriā nómini tuo, & fac nobiſcum ſecúndum multitúdinem miſericórdiæ tuæ. allelúia.

Pſalmus. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.

Collecta.

EXaúdi, quǽſumus, Dómine ſúpplicum preces & confiténtium tibi parce peccátis: vt páriter nobis indulgéntiam tríbuas benígnus & pacem. Per Dóminum.

Epiſt. Si iniquitátes. vt in Miſſa præced.

℟. Propítius eſto Dómine peccátis noſtris, nequándo dicant Gentes, vbi eſt Deus eórū? ℣. Adiuua nos Deus Salutáris noſter, & propter honórem nóminis tui Dómine líbera nos. Allelúia. ℣. Oſténde nobis Dómine miſericórdiam tuam: & Salutáre tuū da nobis. Allelúia. Euangelium. Habéte fidem. vt in Miſſa præcedente.

Offertorium. Sperent in te omnes, qui nouérunt nomen tuum Dómine, quóniam non derelínquis quæréntes te, pſállite Dómino, qui hábitat in Sion, quóniam non eſt oblítus oratiónem paúperum, allelúia.

Secreta.

HOſtias tibi, Dómine, placatiónis offérimus, vt & delicta noſtra miſerátus abſóluas, & nutántia corda tu dírigas. Per Dóminum.

Communio. Inclina aurem tuam: accélera, vt érnas me. allelúia, allelúia

Poſtcommunio.

PRæſta nobis ætérne Saluátor: vt percipiéntes hoc múnere véniā peccatórum deinceps peccáta vitémus. Per Dóminum.

AD POSCENDAM pluuiam.

Introitus.

RE'ſpice Dómine in teſtaméntum tuum, & ánimas paúperum tuórum ne derelínquas in finem: exúrge Dómine, & iúdica cauſam tuam: & non obliuiſcáris voces quæréntium te. allelúia, allelúia.

Pſalmus. Vt quid Deus repuliſti in finem: irátus eſt furor tuus ſuper oues páſcuæ tuæ?

Collecta.

DEus, in quo víuimus, mouémur, & ſumus; plúuiam nobis tríbue congruéntẽ: vt præſéntibus ſubsídiis ſufficiénter adiúti; ſempitérna fiduciálius appetámus. Per.

Epiſtola. Si iniquitátes. vt ſuprà.

℟. Connértere Dómine aliquántulùm: & deprecáre ſuper ſeruos tuos. ℣. Dómine refúgium factus es nobis à generatióne, & progénie. Allelúia. ℣. De profúndis clamáui ad te Dómine: Dómine exáudi vocem meam, allelúia.

Euangelium. Habéte fidem. vt ſuprà.

Offertorium. Sicut in holocáuſto aríetum, & taurórum, & ſicut in míllibus agnórum pínguium, ſic fiat ſacrificium noſtrum in conſpéctu tuo hódie: vt pláceat tibi, quia non eſt confúſio confidéntibus in te Dómine. allelúia, allelúia.

Secreta.

OBlátis Dómine placáre munéribus, & opportúnum nobis tríbue plúuiæ ſufficiéntis auxílium. Per Dóminum noſtrum.

Communio. Pétite, & accipiétis, quærite, & inueniétis, pulſáte, & aperiétur vobis: omnis enim qui petit, áccipit: & qui quærit, ínuenit: & pulſánti aperiétur. allelúia, allelúia.

Poſtcommunio.

TVére nos Dómine, quǽſumus, tua ſancta ſuméntes; & ab ómnibus propítius abſólue peccátis. Per Dóminum noſtrum.

AD POSCENDAM ſerenitatem. Introitus.

MIſeréris ómniũ Dómine, & nihil odíſti eórũ, quæ feciſti: diſſimulans peccáta hóminum, propter pœniténtiam: & parcens illis, quia tu es Dóminus Deus noſter. alleluia.

Pſalmus. Miſerére mei Deus, miſerére mei: quóniam in te confídit ánima mea.

Collecta.

AD te nos Dómine clamántes exáudi; & áëris ſerenitátem nobis tríbue ſupplicántibus: vt, qui pro peccátis noſtris iuſtè afflígimur; miſericórdia tua præueniénte, cleméntiam ſentiámus. Per Dóminum.

Léctio Ieremíæ Prophétæ.

Cap. 13.

SI iniquitátes noſtræ conténderint contra nos: Dómine libera nos. Quǽſumus fac propter nomen tuũ: quóniam multæ ſunt auerſiónes noſtræ. Tibi peccáuimus expectátio Iſráel: Saluátor noſter in témpore tribulatiónis. Tu autem in nobis es Dómine, & nomen tuum inuocátum eſt ſuper nos: ne derelínquas nos: Dómine Deus noſter.

℟. Propítius eſto Dómine peccátis noſtris, nequándo dicant Gentes, vbi eſt Deus eórum? ℣. Ádiuua nos Deus, Salutáris noſter, & propter honórem nóminis tui Dómine líbera nos. Allelúia. ℣. De profúndis clamáui ad te Dómine: Dómine exáudi vocem meam, Allelúia.

Secúndum Marcum. Cap. 11.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Habéte fidem Dei. Amẽ dico vobis: quia quicúnque díxerit monti huic tóllere, & míttere in mare, & non hæſitáuerit in corde ſuo, ſed credíderit quia quodcúnque díxerit, fiat, fiet ei. Proptérea dico vobis: ómnia quæcúnque orántes pétitis, créditequia accipiétis, & euénient vobis. Et cùm ſtábitis ad orándum: dimíttite ſi quid habétis aduérſus áliquẽ, vt & Pater veſter, qui in cœlis eſt, dimíttat vobis peccáta veſtra. Quòd ſi vos non dimiſéritis: nec Pater veſter, qui in cœlis eſt: dimíttet vobis peccáta veſtra.

Offertorium. Sperent in te omnes, qui nouérunt nomen tuum Dómine: quóniam non derelínquis quæréntes te: pſállite Dómino,

qui hábitat in Sion: quóniam non eſt oblítus oratiónem paúperum, allelúia, allelúia.

Secreta.

PRæuéniat nos, quæſumus, Dómine, grátia tua ſemper, & ſubſequátur, & has oblatiónes, quas pro peccátis noſtris nómini tuo conſecrándas deférimus, benígnus aſſúme, vt per interceſſiónem Sanctórum tuórum cunctis nobis profíciant ad ſalútem. Per Dóminum noſtrum.

Communio. Tu mandáſti mandáta tua cuſtodíri nimis: vtinam dirigántur viæ meæ ad cuſtodiéndas iuſtificatiónes tuas. allelúia, allelúia.

Poſtcommunio.

PLebs tua Dómine cápiat ſacræ benedictiónis augméntũ: & copióſis beneficiórum tuórum ſubleuétur auxíliis: quæ tantis interceſſiónum deprecatiónibus adiuuátur. Per Dóminum.

AD REPELLENDAM tempeſtatem.

Introitus.

SAlus pópuli ego ſum, dicit Dóminus, de quacúnque tribulatióne clamáuerint ad me, exaúdiã eos: & ero illórũ Dóminus in perpétuum, allelúia, allelúia.

Collecta.

A Domo tua, quæſumus, Dómine, ſpirituáles nequítiæ repellántur: & aëriárum diſcédat malígnitas tempeſtátum. Per Dóminum.

Epiſtola. Si iniquitátes. vt in Miſſa præceden. ℟. Liberáſti. Allelúia. ℣. Propítius. & Euangelium. Habéte fidem. vt ſupra in Miſſa præcedente.

Offertorium. Si ambuláuero in médio tribulatiónis viuificábis me Dómine: & ſuper iram inimicórum meórum exténdes manũ tuam, & ſaluum me fecit déxtera tua, allelúia, allelúia.

Secreta.

OFférimus, Dómine, laudes & múnera pro cõcéſſis beneficiis grátias referéntes, & pro concedéndis ſemper ſupplíciter deprecántes. Per Dóminum noſtrum.

Communio. Meménto verbi tui ſeruo tuo Dómine, in quo mihi ſpem dediſti: hæc me conſoláta eſt in humilitáte mea. allelúia.

Poſtcommunio.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui nos & caſtigándo ſanas, & ignoſcéndo conſéruas: præſta ſupplícibus tuis: vt & tranquillitátibus huius optátæ conſolatiónis lætémur: & dono tuæ pietátis ſemper vtámur. Per Dóminum.

PRO ITER AGENTIBVS.

Introitus.

ESto mihi in Deũ protectórem, & in locũ refúgij, vt ſaluum me fácias: quóniã firmaméntũ meũ, & refúgiũ meũ es tu: & propter nomen tuum dux mihi eris, & enútries me, allelúia, allelúia, allelúia.

Pſalmus. In te Dómine, ſperáui, non confúndar in ætérnum: in iuſtítia tua líbera me, & éripe me.

Collecta.

ADéſto Dómine ſupplicatiónibus noſtris: & viam fámuli tui (*famulórum tuórum*) in ſalútis tuæ proſperitáte diſpóne: vt inter omnes viæ & vitæ huius varietátes: tuo ſemper protegátur (*ântur*) auxílio. Per.

Epiſtola. Si iniquitátes. vt ſup. pag. 334.

℟. Angelis ſuis mandáuit de te, vt cuſtódiant te in ómnibus viis tuis. ℣. In mánibus portábunt te: ne vnquam offéndas ad lápidem pedem tuum. Allelúia. ℣. Lætátus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi: in domum Dómini íbimus. Allelúia.

Euangelium. Habéte fidem. vt ſuprà. pag. 334.

Offertorium. P érfice greſſus meos in ſémitis tuis, vt non moueántur veſtígia mea: inclína aurem tuam, & exaúdi verba mea: mirífica miſericórdias tuas, qui ſaluos facis ſperántes in te, Dómine. allelúia, allelúia.

Secreta.

PRopiriáre Dómine ſupplicatiónibus noſtris, & has oblatiónes, quas tibi offérimus pro fámulo tuo, is ruis, benígnus aſſúme: vt viam illíus lorum, & præcedénte grátia tua dírigas, & ſubſequénte comitári dignéris, vt de actu atque incolumitáte eius, eórum, ſecúndum miſericórdiæ tuæ præſídia gaudeámus. Per Dóminum.

Communio. A men dico vobis, quicquid orántes pétitis, crédite quia accipiétis, & fiet vobis, allelúia, allelúia.

Poſtcommunio.

SVmpta, Dómine, cœléſtis ſacraménti myſtéria, quæſumus, ad proſperitátem itíneris fámuli tui, orum ruorum proficiant? & eum, cos ad ſalutária cuncta perdúcant. Per Dóminum.

MISSA PRO SEIPSO Sacerdote. Introitus.

NE derelínquas me, Dómine De⁹ meus, ne diſcédas à me: inténde in adiutóriũ meum, Dómine virtus ſalútis meæ.

Pſalmus. Dómine ne in furóre tuo árguas me: neque in ira tua corrípias me. Collecta

OMnipotens ſempitérne Deus, tuæ grátiæ pietátẽ ſúpplici deuotióne depóſco? vt ómnium malórum meórum víncula ſoluas: cunctíſque meis crimínibus, & peccátis cleménter ignóſcas? & quia me indígnum peccatórem ad miniſtérium tuum vocáre dignátus es, ſic me idóneum tibi miniſtrum efficias: vt ſacrificium de mánibus meis plácidè ac benígne ſuſcípias electorúmque Sacerdótum me partícipem fácias? & de præcéptis tuis in nullo me oberráre permíttas. Per Dóminum.

Lectio libri Eſdræ 1. Cap. 9.

DO'mine Deus cõfúndor & erubéſco leuáre fáciem meã ad te, quóniam iniquitátes meæ multiplicátæ ſunt ſuper caput meum: & delícta mea creuérunt vſque ad cœlum, à diébus patrum meórum. Quæſo, Dómine Deus cœli & terræ, fortis, magne & terríbilis: qui cuſtódis pactum & miſericórdiã, cum his, qui díligunt te. Sit auris tua inténdens ad oratiónem ſerui tui: & dírige eum, & da ei miſericórdiam ante conſpéctum tuum: Dómine Deus noſter.

℟. Tribulatiónes cordis mei dilatátæ ſunt, de neceſſitátibus meis éripe me Dómine.

℣. Vide humilitátem meam, & labórem meum: & dimítte ómnia peccáta mea.

A llelúia. ℣. De profúndis clamáui ad te Dómine: Dómine exaúdi vocẽ meã. Allel.

Secúndum Matthæum. Cap. 8.

IN illo témpore: Cùm deſcendíſſet Iéſus de mõte ſecútę ſunt eum turbæ multæ: & ecce lepróſus adorábat eum, dicens. Dómine: ſi vis, potes me mundáre Et exténdens manum tétigit eum Iéſus: dicens. Volo: mundáre. Et confeſtim: mundáta eſt lepra eius.

Offertorium. Miſerére mihi Dómine, ſecúndum magnam miſericórdiam tuam: dele Dómine iniquitátem meam, allelúia.

Secreta.

DEus, qui te prǽcipis à peccatóribus exorári tibíque ſacrificiũ cõtríti cordis offérri, hoc ſacrificiũ, quod indígnis mánibus meis óffero, acceptáre dignéris, &, vt ipſe tibi hóſtia & ſacrificium eſſe mérear, miſerátus concéde, vt per miniſtérij huius exhibitiónem ómnium peccatórum percípiam remiſſiónẽ. Per Dóminum noſtrum.

Communio. Intéllige clamórem meum, in-
ténde voci oratiónis meæ Rex meus, &
Deus meus: quóniam ad te orábo Dómine.
allelúia, allelúia. Poſtcommunio.

HVius mihi, Dómine, Sacramén-
ti percéptio ſit peccatórũ meó-
rum ómnium remíſſio: & tuæ pietá-
tis optáta propitiátio: vt per hæc, te
opitulánte, efficiar ſacris myſtériis
dignus: qui de tua pietáte confiſus
frequentáre præſúmpſi indígn⁹. Per

ALIA MISSA PRO SEIPSO
Sacerdote. Introitus.

DEus in adiutó-
rium meum in-
ténde: Dómine
ad adiuuándum
me feſtína con-
fundántur, & re-
uereãtur inimí-
ci mei, qui quæ-
runt ánimam meam. allelúia, allel.
Pſalmus. Auertántur retrórſum, & erubéſ-
cant: qui cógitant mihi mala. Collecta.

OMnípotens ſempitérne Deus,
qui me peccatórem ſacris altá-
ribus aſtáre voluíſti: & ſancti nómi-
nis tui laudáre poténtiam concéde,
quæſo, per huius ſacraménti myſté-
rium meórum mihi véniam pecca-
tórum: vt tuæ maieſtáti dignè mé-
rear miniſtráre. Per Dóminum.

Ad Romános. Cap. 7.

FRatres: Condeléctor legi Dei: ſe-
cúndum interiórem hóminem.
Vídeo autem áliam legem in mem-
bris meis, repugnántem legi mentis
meæ: & captiuántẽ me in lege pec-
cáti, quæ eſt in membris meis. Infœ-
lix ego homo, quis me liberábit de
córpore mortis huius? Grátia Dei:
per Ieſũm Chriſtum Dóminum no-
ſtrum.

℟. Ego dixi Dómine miſerére mei, ſana áni-
mam meam, quia peccáui tibi. ℣. Beátus, qui
intélligit ſuper egénum & páuperem: in die
mala liberábit eum Dóminus.

Allelúia. ℣. De profúndis clamáui ad te
Dómine: Dómine exáudi vocem meam.
Allelúia.

Secúndum Matthǽum. Cap. 8.

IN illo témpore: Cùm deſcẽdíſſet
Iéſus de monte: ſecútæ ſunt eum
turbæ multæ. Et ecce lepróſus vé-
niens: adorábat eũ, dicens. Dómine:
ſi vis, potes me mundáre. Et extén-
dens manum: tétigit eum, dicẽs. Vo-
lo. Mundáre. Et conféſtim mundáta
eſt lepra ei⁹. Et ait illi Iéſus. Vide, né-
mini díxeris. Sed vade, oſténde te Sa-
cerdóti: & offer munus quod præ-
cépit Móyſes: in teſtimónium illis.
Offertorium. Dómine conuértere, & éripe
ánimam meam: ſaluum me fac propter miſe-
ricórdiam tuam. Allelúia. Secreta.

DEus miſericórdiæ, Deus pietá-
tis, Deus indulgéntiæ indúlge,
quæſo, & miſerére mihi ſeruo tuo,
ſacrifícium quoque, quod tuæ pie-
táti humíliter óffero, benígnè di-
gnéris ſuſcípere, & peccáta, quæ la-
béntibus vitiis per ignorántiam ma-
lámque conſuetúdinem cõtráxi, tu
pius & propítius ac miſerátus indúl-
ge, & loco pœniténtiæ, flúmine la-
chrymárum concéſſo, véniam à te
mérear percípere delictórũ. Per Dó.
Communio. Illúmina fáciem tuam ſuper
ſeruum tuum, & ſaluum me fac, in tua mi-
ſericórdia Dómine, non confúndar, quó-
niam inuocáui te. Allelúia, allelúia.

Poſtcommunio.

DEus, qui viuórum es Saluátor
ómnium, qui non vis mortem
peccatórum, nec lætáris in perditió-
ne moriéntiũ, ſed vt conuertántur,
& viuant: te ſupplíciter déprecor,
vt concédas mihi míſero véniã pec-
catórum: vt admíſſa défleam: &
póſtmodũ defléndanon admíttam:
vt cùm mihi extréma dies, finíſque
vitæ meæ aduénerit: emundátum
delíctis ómnibus A'ngelus ſanctitá-
tis me ſuſcípiat, & ad gaúdia ætérna
perdúcat. Per Dóminum.

Digitized by Google

DE SS. ANGELIS OMNIA ſicut in feſto S.Michaelis. pag.295. vel dicatur Miſſa ſequens.

Introitus.

ADorate Deum omnes A'ngeli eius, audíuit, & lætáta eſt Sion: & exultauérūt filiæ Iúdæ, allelúia, allelúia, allelúia.

Pſalmus. Dóminus regnáuit exúltet terra: lætétur inſulæ multæ. Collecta.

PErpétuum nobis Dómine tuæ miſeratiónis præſta ſubſídium: quibus& angélica præſtitíſti ſuffrágia non deéſſe. Per Dóminum.

Léctio libri Apocalýpſis B. Ioánnis Apóſtoli. Cap.19.

IN diébus illis: Dixit mihi A'ngelus. Scribe. Beáti, qui ad cœnam nuptiárum Agni vocáti ſunt. Et dixit mihi. Hæc verba Dei vera ſunt. Et cécidi ante pedes eius: vt adorárem eum. Et dixit mihi. Vide, ne féceris. Cōſéruus tuus ſum:& fratrum tuórum habéntium teſtimónium Iéſu. Deum adóra.

℟. Benedícite Dóminum omnes A'ngeli eius, poténtes virtúte, qui fácitis verbum eius. ℣. Béoedic ánima mea Dómino: & ómnia interióra mea nomen ſanctum eius.

A llelúia. ℣. Laudáte Deum omnes A'ogeli eius, laudáte eum omnes virtútes eius. allel.

Tempore Paſchali ſecundum A llelúia.

In conſpéctu Aogelórum pſallam tibi, Dómine Deus meus. Allelúia.

Si in Septuageſima. Tractus.

LAudáte Dóminum omnes Gentes: & collaudáte eum omnes pópuli. ℣. Quóniam coofirmáta eſt ſuper nos miſericórdia eius:& véritas Dómini manet in ætéroum.

Secúndum Ioánnem. Cap.5.

IN illo témpore: Aſcéndit Iéſus Ieroſólymam. Eſt autem Ieroſólymis probática piſcína, quæ cognominátur Hebráicè Bethſáida: quinque pórticus habens. In his iacébat multitúdo magna lāguéntium, cæcórum, claudórum, aridórum: expectántium aquæ motum. A'ngelus autem Dómini ſecúndum tempus deſcendébat in piſcínam:& mouebátur aqua. Et, qui prior deſcendébat in piſcínam poſt motiónē aquæ: ſanus fiébat: à quacúnque tenebátur infirmitáte.

Offertorium. Immíttit A'ngelus Dómini in circúitu timéntium eum, & erípiet eos: guſtáte, & vidéte quóniam ſuáuis eſt Dóminus. allelúia. Secreta

HO'ſtias tibi, Dómine, laudis offérimus ſupplíciter deprecántes, vt eáſdem, Angélico pro nobis interueniénte ſuffrágio, & placátus accípias,& ad ſalútem noſtram prouenire concédas. Per Dóminum.

Communio. Benedícite omnes A'ngeli Dómioi Dómino: hymnum dícite,& ſuperexaltáte eum in ſæcula. allelúia, allelúia.

Poſtcommunio.

REpléti, Dómine, benedictióne cœléſti, te ſupplíciter implorámus: vt, quod frágili celebrámus offício: Sanctórum Angelórum nobis prodéſſe ſentiámus auxílio. Per.

IN HONORE PROPRII Angeli. Introitus.

SAlue ſancte cuſtos, quē ad mei cuſtódiam diuína píetas deſtináuit: cui ſit honor & glória in ſæcula ſæculórū. allelúia.

Pſalmus. Bénedic ánima mea Dómino: & ómnia, quæ intra me ſunt, nómini ſancto eius. Collecta.

DEus, qui ad exequénda prouidéntiæ tuæ myſtéria ſic conditiónis humánæ ſublímas dignitátē: vt étiam ſíngulis homínibus, ſíngulos Spíritus glorióſos, propter eos, qui hæreditátem ſalútis accípiunt,

in miniſtériũ deputáre dignátus es: concéde propítius, vt tanti benefícij memóriã recenſéndo, & tibi laudem & glóriam & beatíſſimo A'ngelo cuſtódi meo reueréntiam⁊ dignúmque impéndere mérear famulátum. Per Dóminum.

Léctio libri Apocalýpſis: B. Ioánnis Apóſtoli. Cap 19.

IN diébus illis: Audíui vocem de cœlo dicéntem mihi. Scribe. Beáti qui ad cœnam nuptiárum agni vocáti ſunt. Et dixit mihi. Hæc verba Dei vera ſunt. Et cécidi ante pedes A'ngeli vt adorárem eum. Et dixit mihi. Vide ne féceris. Cõſéruus tuus ſum, & fratrum tuórum habéntium teſtimónium Iéſu. Deum adóra.

℟. Tu es ſpes mea glorióſe A'ngele: altíſſimus te póſuit, & mihi dedit refúgium tuum.
℣. Non accédat ígitur ad me malum: & flagéllum nõ appropínquet tabernáculo meo.
Allelúia. ℣. Tu es ſignáculum ſimilitúdinis Dei, plenus ſciéntia & perféctus decóre, habens ſignum Dei viui: mi ergo cuſtos glorióſe, me consígna, & ſeruis Dei ággrega glorióſis.

Tempore Paſchali primum Allelúia.
℣. Qui facit A'ngelos ſuos Spíritus, & miníſtros ſuos flammam ignis.
Secundum. Allelúia. ℣. Tu es ſignáculum ſimilitúdinis. vt ſuprà.

Tempore Quadrageſimæ Tractus.

APprehénde arma & ſcutum, & exúrge A'ngele in adiutórium mihi: dic ánimæ meæ, ſalus tua ego ſum.
℣. Effúnde frámeam, & conclúde aduérſus eos, qui perſequúntur me, cogitántes mihi mala.
℣. Fiant tanquam puluis ante fáciem venti: & tu A'ngele Dómini coárcta eos.

Sequéntia ſancti Euangélij ſecúndum Matthæum. Cap. 4.

IN illo témpore. Aſſúmpſit Iéſum diábolus in ſanctam ciuitátem: & ſtatuit eum ſupra pinnáculum templi, & dixit ei. Si Fílius Dei es: mitte te deórſum. Scriptũ eſt enim. Quia A'ngelis ſuis mandáuit de te, & in mánibus tollent te: ne fortè offéndas ad lápidem pedem tuum. Ait illi Iéſus. Scriptum eſt. Non tẽtábis Dóminum Deũ tuum. I'terum aſſúmpſit eum diábolus in montem excélſum valde: & oſténdit ei ómnia regna mundi & glóriam eórum, & dixit ei. Hæc ómnia tibi dabo: ſi cadens adoráueris me. Tunc dixit ei Iéſus. Vade ſáthana. Scriptũ eſt enim. Dóminum Deum tuum adorábis: & illi ſoli ſéruies. Tunc relíquit eum diábolus. Et ecce A'ngeli acceſſérũt: & miniſtrábant ei.

Offertorium. Cùm proſtérno preces meas in conſpéctu Dei mei témpore ſacrifícij, tu glorióſe A'ngele, qui ſtas ante Dóminum, offer eas altíſſimo, & veni: tríbue mihi deſideriórum meórum abundántiam. allelúia.

Secreta.

HÆc déprecor, Dómine múnera tibi obláta ſanctífica, quibus & mea ſcélera deleántur & (te iubénte) glorióſi A'ngeli cuſtódis mei ſolicitúdo circa me perámpliùs augeátur. Per Dóminum noſtrum Iéſum Chriſtum Fílium tuum.

Communio. Gáudium erit tibi, A'ngele Dei, ſuper me peccatóre tibi cõmiſſo pœniténtiam agénte: & tuis interceſſiónibus Deum obtinénte. allelúia.

Poſtcommunio.

PRoſint mihi, Dómine, ad ſalútem córporis & ánimæ hæc, quæ indígnus ſumpſi viſibília Sacraménta: & præſta horum virtúte, vt illo inuiſíbili cibo & potu mérear pérfrui⁊ quo A'ngelus cuſtos meus vtitur & refícitur cum beátis. Per Dóminum noſtrum Iéſum Chriſtum Fílium tuum. Qui.

MISSA DE SANCTO ANGELO cuſtode: cuius feſtum, ex conſtitutione Pavli Papæ V.

Cum officio proprio celebratur die ſequenti nō impedita officio duodecim lectionum, poſt Dedicat. B. Michaelis Archangeli.

Et ad libitum, ex pietate fidelium infra annum dicenda. Introitus.

ADORA'TE Dóminum omnes A'ngeli eius, poténtes virtúte, qui fácitis verbū eius, ad audiéndā vocem ſermónum eius. Pſalmus. Benedic ánima mea Dómino: & ómnia, quæ intra me ſunt nómini ſancto eius. Collecta.

DEus, qui ineffábili prouidéntia ſanctos A'ngelos tuos ad noſtram cuſtódiam míttere dignáris: largíre ſupplícibus tuis: & eorū ſemper protectióne defendi: & ætérna ſocietáte gaudére. Per Dóminum.

Lectio libri Exódi. Cap. 23.

HÆc dicit Dóminus Deus. Ecce ego mitto A'ngelum meū, qui præcédat te: & cuſtódiat in via, & introdúcat in locum, quem præparáui. Obſérua eum, & audi vocem eius, nec cōtemnéndum putes: quia non dimíttet te cum peccáueris, & eſt nomē meum in illo. Quod ſi audíeris vocem eius, & féceris ómnia quæ loquor: inimícus ero inimícis tuis, & affligam affligéntes te. Præcedétque te: A'ngelus meus.

Graduale. A'ngelis ſuis Deus mandáuit de te, vt cuſtódiant te in ómnibus viis tuis.
℣. In mánibus portábunt te, ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum: Allelúia, allel.
℣. Benedícite Dómino omnes virtútes eius, Miniſtri eius, qui fácitis voluntátem eius: Allelúia. Poſt Septuageſimam.

Graduale. A'ngelis ſuis Deus mandáuit de te, vt cuſtódiant te in ómnibus viis tuis.
℣. In mánibus portábunt te, ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum. Tractus.

BEnedícite Dóminum omnes A'ngeli eius, poténtes virtúte, qui fácitis verbum eius. ℣ſus. Benedícite Dómino omnes virtútes eius, Miniſtri eius, qui fácitis voluntátem eius. ℣. Benedícite Dómino ómnia ópera eius, in omni loco dominatiónis eius, bénedic ánima mea Dómino.

Sequéntia ſancti Euangélij: ſecúndum Matthæum. Cap. 18.

IN illo témpore: Acceſſérunt Diſcípuli ad Ieſum, dicéntes. Quis putas, maior eſt in Regno Cœlórum? Et áduocās Ieſus páruulum: ſtátuit eum in médio eórum, & dixit. Amē dico vobis: niſi conuerſi fúeritis, & efficiámini ſicut páruuli, non intrábitis in Regnum Cœlórū. Quicúnque ergo humiliáuerit ſe, ſicut páruulus iſte: hic maior eſt in Regno Cœlórum. Et qui ſuſcéperit vnum páruulū talem in nómine meo: me ſuſcipit. Qui autem ſcandalizáuerit vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt: expedit ei, vt ſuſpēdátur mola aſinária in collo eius, & demergátur in profúndum maris. Væ mundo à ſcándalis. Neceſſe eſt enim vt véniāt ſcándala: Verúmtamen væ hómini illi: per quem ſcándalum venit. Si autem manus tua, vel pes tuus ſcandalízat te: abſcínde eum, & próiice abs te. Bonum eſt tibi ad vitam íngredi débilem, vel claudum: quàm duas manus, vel duos pedes habéntem, mitti in ignem ætérnum. Et ſi óculus tuus ſcādalízat te: érue eum, & proiíce abs te. Bonū eſt tibi vnum óculum habéntem in vitam intráre: quàm duos óculos habéntem mitti in gehénnā ignis. Vidéte: ne contemnátis vnum ex his puſíllis. Dico enim vobis: quia A'ngeli eórum ſemper vident fáciem Patris mei: qui in Cœlis eſt. Credo.

Offertorium. Adoráte Dóminum omnes A'ngeli eius: Miniſtri eius faciéntes verbum

illíus,ad audiéndam vocē ſermónum eius.

Secreta.

SV'ſcipe, Dómine, múnera, quæ pro Sāctórum Angelórum tuórum veneratióne deférimus:& concéde propítius, vt perpétuis eórum præsídiis, à præſéntibus perículis liberémur, & ad vitam perueniámus ætérnam. Per Dóminum noſtrum Iéſum Chriſtum Fílium tuum.

Cōmunio. B enedícite omnes A'ngeli Dómini Dómino : hymnum dícite, & ſuperexaltáte eum in ſæcula.

Poſtcommunio.

SV'mpſimus Dómine diuína myſtéria, Sanctórum Angelórum tuórum feſtiuitáte lætántes: quæſumus, vt eórum protectióne ab hóſtium iúgiter liberémur insídiis ? & contra ómnium aduérſa ſua ſemper protectióne muniámur. Per Dóminum nóſtrum Iéſum Chriſtum.

MISSA CONTRA PAGANOS.

Introitus.

EXúrge, quare obdórmis Dómine? exúrge, & ne repéllas in finem: quare fáciē tuam auértis, obliuíſceris tribulatiónem noſtram, adhǽſit in terra venter noſter: exúrge Dómine, ádiuua nos, & líbera nos.

Pſalmus. D eus áuribus noſtris audíuimus: patres noſtri annuntiauérunt nobis.

Collecta.

OMnípotens ſempitérne Deus, in cuius manu ſunt ómnium poteſtátes & ómnium iura regnórum: réſpice in auxílium Chriſtianórum: vt gentes paganórum & hæ. rétici, qui in ſua feritáte confidunt? déxteræ tuæ poténtia conterántur. Per Dóminum noſtrū Iéſum Chriſtum Fílium tuum. Qui.

Léctio libri Eſter. Cap. 13.

IN dieb⁹ illis: Oráuit Mardochæus ad Dóminum dicens. Dómine Deus Rex omnípotēs in ditióne tua cuncta ſunt pósita : & non eſt qui poſſit tuæ resíſtere voluntáti. Si decréueris ſaluáre nos: cōtinuò liberábimur. Tu enim Dómine fecíſti cœlum & terram: & quicquid cœli ámbitu continétur. Tu es Deus ómniū: & non eſt qui resíſtat maieſtáti tuæ. Et nūc Dómine, Rex Regum, Deus Abráhā miſerére pópulo tuo: quia volunt nos inimíci noſtri pérdere, & hæreditátem tuam, delére. Ne deſpícias partem tuam, quam redemíſti tibi: ſed exáudi deprecatiónē meam, & propítius eſto ſorti, & funículo hæreditátis tuæ. Et conuérte luctum noſtrum in gáudium: vt viuéntes laudémus nomen tuum. Et non claudas ora canéntium te: Dómine Deus noſter.

℟. Sciant Gētes quóniam nomen tibi Deus: tu ſolus Altíſſimus ſuper omnem terram.

℣. Deus meus pone illos vt rotā: & ſicut ſtípulam ante fáciem venti.

Allelúia, ℣. E'xcita Dómine poténtiam tuam, & veni: vt ſaluos fácias nos. Allelúia.

Tempore Septuageſimæ. Tractus.

ADiuua nos Deus Salutáris noſter: & propter glóriam nóminis tui Dómine líbera nos, & propítius eſto peccátis noſtris propter nomen tuum. ℣. Nequándo dicant Gentes, vbi eſt Deus eórum? & innotéſcat in natiónibus coram óculis noſtris.

℣. Víndica ſánguinem ſeruórum tuórum qui effúſus eſt, intret in conſpéctu tuo gémitus compeditórum.

Tempore Paſchali Secundum Allelúia.

℣. Deus virtútum conuértere, réſpice de cœlo, & vide, & víſita víneam iſtam: & pérfice eam quam plantáuit déxtera tua. Allelúia.

Secúndum Lucam. Cap. 11.

IN illo témpore: Dixit Iéſus diſcípulis ſuis. Quis veſtrum habébit amícum, & ibit ad illum média no-

ctè, & dicet illi, amíce cõmoda mihi tres panes, quóniam amícus meus venit de via ad me, & non hábeo, quod ponam ante illum, & ille de intus reſpóndens, dicat, noli mihi moléſtus eſſe, iam óſtium clauſum eſt, & púeri mei mecum ſunt in cubíli, non poſſum ſúrgere, & dare tibi? Et ille ſi perſeueráuerit pulſans? dico vobis, & ſi non dabit illi, ſurgens eo quòd amícus eius ſit: propter improbitátem tamen eius ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſsários. Et ego vobis dico. Pétite: & dábitur vobis. Quǽrite: & inueniétis. Pulſáte: & aperiétur vobis. Omnis enim qui petit, áccipit: & qui quærit, ínuenit: & pulſánti aperiétur. Quis autem ex vobis patrem petit panem? Nunquid lápidem dabit illi? Aut piſcem? Nunquid pro piſce ſerpéntem dabit illi? Aut ſi petíerit ouum: nunquid pórriget ei ſcorpiónem? Si ergo vos, cùm ſitis mali, noſtis bona data dare fíliis veſtris: quãtò magis Pater veſter de cœlo dabit Spíritum bonum: peténtibus ſe.

Offertorium. Pópulum húmilem ſaluum fácies Dómine: & óculos ſuperbórum humiliábis: quóniam quis Deus, præter te Dómine, allelúia. Secreta.

SAcrifícium, Dómine, quod immolámus, inténde, vt propugnatóres tuos ab omni éruas paganórũ & hæreticórum nequítia, & in tuæ protectiónis ſecuritáte conſtítuas. Per Dóminum.

Communio. In Salutári tuo ánima mea, & in verbum tuum ſperáui: quando fácies de perſequéntibus me iudícium? iníqui perſecúti ſunt me, ádiuua me Dómine Deus meus. Poſtcommunio.

PRotéctor noſter áſpice Deus: & propugnatóres tuos à paganórum & hæreticórum defénde perículis? vt ab ómnibus perturbatiónibus ſem[illegible]i liberis tibi méntibus ſeruiant. Per Dóminum.

PRO INFIRMIS.

Introitus.

DE neceſſitátibus meis éripe me Dómine: vide humilitátem meam, & labórem meum, & dimítte ómnia peccáta mea. allelúia, allelúia.

Pſalmus. Ad te Dómine leuáui ánimam meam: Deus meus in te confído, non erubéſcam. Collecta.

OMnípotẽs ſempitérne Deus ſalus ætérna credéntium? exáudi nos pro fámulo tuo, a tua, is tuis, abus, pro quo qua quibus miſericórdiæ tuæ implorámus auxílium: vt réddita ſibi ſanitáte? gratiárum tibi in Eccléſia tua réferat réferant, actiónem. Per Dóminum.

Léctio Epiſtolæ: beáti Iacóbi Apóſtoli. Cap. 5.

CHariſſimi: Triſtátur áliquis veſtrũ: oret æquo ánimo, & pſallat. Infirmátur quis in vobis: indúcat presbýteros Eccléſiæ, & orent ſuper eum, vngéntes eum óleo in nómine Dómini. Et orátio fídei ſaluábit infírmum: & alleuábit eum Dóminus. Et ſi in peccátis ſit: dimitténtur ei.

℞. Tribulatiónes cordis mei dilatátæ ſunt: de neceſſitátibus meis éripe me Dómine.

℣. Vide humilitátẽ meam, & labórem meũ: & dimítte ómnia peccáta mea.

Allelúia. ℣. E'ripe me de inimícis meis, Deus meus: & ab inſurgéntibus in me líbera me. Allelúia.

Secúndum L[illegible]cam. C[illegible]p. 4.

IN illo témpore: Surgens [illegible] de Synagóga: introíuit in dom[illegible] Simónis. Socrus autem Simónis tenebátur magnis fébribus. Et [illegible]auérunt illũ pro ea. Et ſtans ſuper illam imperáuit febri: & dimíſit illam. Et continuò ſurgens: miniſtrábat illis.

Cùm

Cùm autem Sol occidíſſet: omnes, qui habébant infírmos váriis lãguóribus, ducébant illos ad eum. At ille síngulis manus impónens: curábat eos.

Offertorium. De profúndis clamáui ad te, Dómine: Dómine exaúdi oratiónẽ meam. allelúia. Secreta.

DEus, cuius nútibus vitæ noſtræ moménta decúrrunt, ſúſcipe preces & hóſtias fámuli tui æ tuæ lórum tuórum árum tuárum, pro quo qua quibus ægrotánte tibus miſericórdiam tuam implorámus, vt de cuius quorum quarum perículo metúimus de eius eórum eárum ſalúte lætémur. Per Dóminum.

Communio. Inclína Dómine aurem tuam, accélera, vt éruas me.

Poſtcommunio.

DEus infirmitátis humánæ ſinguláre præſidium, auxílij tui ſuper infirmũ noſtrũ mam noſtram mos noſtros mas noſtras oſténde virtútem: vt ope miſericórdiæ tuæ adiútus, ta ti tæ Eccléſiæ tuæ ſanctæ incólumis es repreſentári mereátur antur. Per Dóminum.

Pro infirmo in agonia poſito. Collecta.

OMnipotens ſempitérne Deus conſeruátor animárum, qui nos díligis, córrigis, & quos récipis, coërces, te, Dómine, deprecámur, vt medélam tuam conferre dignéris in ánimã fámuli tui, ancillæ tuæ, qui quæ in córpore pátitur membrórum debilitátem, vim labóris, ſtímulos infirmitátum: da ei Dómine grátiam & miſericórdiam tuam, vt in hora éxitus illíus de córpore abſque [illegible] ola creatóri ſuo per [illegible] um Angelórum [illegible] entári mereátur. Per [illegible] noſtrũ Iéſum Chriſtum.

Secreta.

[illegible] cito D[illegible]mine pro tua pietáte [illegible] applicatiónibus noſtris, & ſúſcipe hóſtiam, quam tibi offérimus pro fámulo tuo ancilla tua iacénte in grabáto ſalútem non ſolum córporis, ſed & ánimæ ſuæ peténte, præſta ei omnípotens Deus indulgéntiã ómnium peccatórum ſuórum per imménſam cleméntiam tuã, & per interceſſiónem ómnium Sãctórum tuórum, vt per hoc, quod ſúſtinet flagéllum, à Sanctis A'ngelis tuis ſuſcipiátur, & peruenire mereátur ad tuæ glóriæ regnum. Per Dóminum noſtrum Iéſum Chriſtum.

Poſtcommunio.

GRátias ágimus tibi de multiplícibus largitátibus tuis, Dómine: ex quibus ſanáre ánimas in te ſperántium cõſueuiſti, & confiſi de tua pietáte precámur: vt miſeréri dignéris fámulo tuo, ancillæ tuæ, ne præuáleat aduérſus eum eam inimícus in hora éxitus illíus de córpore, ſed transíre mereátur ad vitam perpétuam. Per Dóminum.

CONTRA PESTEM.

Introitus.

REcordáre Dómine teſtaméti tui, & dic A'ngelo percutiẽti, ceſſet iam manus tua: vt non deſolétur terra, & ne perdas omnem ánimam viuam. allelúia, allelúia.

Pſalmus. Qui Regis Iſráel inténde: qui dedúcis velut ouem Ióſeph. Collecta.

DEus, qui non mortem ſed pœniténtiam peccatórum deſideras, pópulum tuum, quæſumus, ad te conuérte propítius: vt dum tibi deuótus extíterit, iracúndiæ tuæ ab eo flagélla amóueas. Per Dóminum noſtrum Iéſum Chriſtum.

Lectio libri Regum. Cap. 24.

IN diébus illis. Immí[illegible] Dómin[illegible] peſtil[illegible]ntiam in [illegible]ráel à mane vſ[illegible]

que ad tempus cõſtitútum: & mórtui ſunt ex pópulo à Dan vſque Berſabée ſeptuagínta míllia virórum. Cumque extendíſſet manum A'ngelus Dómini ſuper Ierúſalem, vt diſpérderet eam, miſértus eſt Dóminus ſuper afflictiónem: & ait A'ngelo percutiénti pópulũ. Súfficit nunc: cóntine manum tuam. Erat autem A'ngelus Dómini: iuxta áreã Areúna Iebuſæi. Dixítque Dauid ad Dóminum: cùm vidíſſet A'ngelum cædéntẽ pópulum. Ego ſum, qui peccáui: & ego iníquè egi. Iſti, qui oues ſunt, quid fecérunt? Vertátur, óbſecro, manus tua contra me: & contra domum patris mei. Venit autem Gad Prophéta ad Dauid in die illa: & dixit ei. Aſcénde, & conſtítue altáre Dómino: in área Areúna Iebuſæi. Et aſcéndit Dauid iuxta ſermónem Gad: quem præcéperat ei Dóminus.

℟. Miſit Dóminus verbum ſuum, & ſanáuit eos, & erípuit eos de intéritu eórum.

℣. Confiteántur Dómino miſericórdiæ eius, & mirabília eius fíliis hóminum.

A llelúia. ℣. Saluábo pópulũ meum in médio Ierúſalem, & ero ei in Deum in veritáte, & iuſtítia. Allelúia.

Secúndum Lucam. Cap. 4.

IN illo témpore: Surgens Iéſus de Synagóga: introíuit in domũ Simónis. Socrus autem Simónis: tenebátur magnis fébribus. Et rogauérunt illum pro ea. Et ſtãs ſuper illam imperáuit febri: & dimíſit illam. Et continuò ſurgens miniſtrábat illis. Cùm autem ſol occidíſſet: omnes qui habébant infírmos váriis lãguóribus, deducébant illos ad eum. At ille síngulis manus impónens: curábat eos.

Offertorium. Stetit Póntifex inter mórtuos & viuéntes, habens thuríbulum áureum in manu ſua: & offerens incénſi ſacrificiũ placauit iram Dómini, & ceſſáuit plaga à pópulo. Allelúia, allelúia.

Secreta.

SVbueniat nobis, Dómine, quæſumus, ſacrificij præſéntis oblátio, quæ nos & ab erróribus vniuérſis poténter abſóluat, & à totius erípiat perditiónis incúrſu. Per Dóminum noſtrum.

Communio. Multitúdo lãguéntium, & qui vexabántur à ſpirítibus immúndis, veniébãt ad eum: quia virtus de illo exíbat, & ſanábat omnes. allelúia.

Poſtcommunio

EXaúdi nos Deus Salutáris noſter: &, intercedẽte beáta María ſemper vírgine, pópulum tuum ab iracúndiæ tuæ onéribus líberum ? & miſericórdiæ tuæ fac largitáte ſecúrum. Per Dóminum.

Collecta de S. Sebaſtiano dicenda in Miſſa prædicta.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui méritis beáti Sebaſtiáni mártyris tui, quandam generálem peſtem homínibus mortíferam reuocáſti ? præſta ſupplícibus tuis: vt qui pro conſimili peſte reuocánda, ſub tua confidéntia, ad ipſum confúgimus ? ſuis méritis & précibus ab ipſa peſte & ab omni perturbatióne, liberémur. Per Dóminum.

Secreta.

SVbueniat nobis, Dómine, miſericórdia tua, intercedénte beáto Sebaſtiáno mártyre tuo, vt ab imminéntibus peccatorũ noſtrórum perículis mereámur, te protegénte, ſaluári, & eius précibus ab omni peſte & tribulatióne liberári. Per Dóminum noſtrum Iéſum Chriſtum.

Poſtcommunio.

DA, quæſumus Dómine, pópulo tuo ſalúter [illegible] córporis interuéntu beát[illegible] martyris tui: vt bonis ope[illegible] do ? tuæ ſemper virtutis [illegible] rum eius mereátur protect[illegible] fendi. Per Dóminum noſtrum [Ie]ſum Chriſtum Fílium tuum. Qui

DE SS. QVINDECIM auxiliatoribus. Introitus.

MVltæ tribulatiónes iuſtórum, & de his ómnibus liberáuit eos Dóminus: Dóminus cuſtódit ómnia oſſa eórũ, vnum ex his non conterétur. allelúia. Pſalmus. Benedícam Dóminum in omni témpore:ſemper laus eius in ore meo.

Collecta.

OMnípotens & mitíſſime Deus, qui electos Sãctos tuos Geórgium, Bláſium, Eráſmum, Pantaleónem, Vitum, Chriſtóforum, Dionýſium, Cyríacum, Achácium, Euſtáchium Ægídium, Magnum, Margarítam, Catherinã, & Bárbaram ſpeciálibus decoráſti priuilégiis: vt omnes, qui in neceſſitátibus ſuis eórum implórant auxilium, ſecúndum promiſſiónis tuæ grátiã, petitiónis ſuæ ſalutárem conſequántur effectum da nobis, quæſumus, noſtrórum véniam peccatórum:&, ipſórum intercedéntibus méritis ab ómnibus aduerſitátibus nos liberã & petitiónes noſtras benígnus exaúdi. Per Dóminum noſtrum.

Ad Hebræos. Cap. 11.

FRatres: Sancti per fidem vicerũt regna: operáti ſunt iuſtítiã, adépt ſunt repromiſſiónes. Obturauérunt ora leónum: extinxérunt ímpetum ignis, effugárunt áciem gládij, conual[illegible] de infirmitáte, fortes fac[illegible] ſunt in b[illegible]lo. Caſtra vertérunt ex[illegible] [illegible]ccepérunt mulieres [illegible] mórtuos ſuos. [illegible]ati ſunt non ſuſci[illegible]emptióne: vt melióre[m] [illegible]ſurrectiónem. Alij verò [illegible] & v[illegible]ra expérti, inſuper [illegible]a & [illegible]es lapidáti ſunt, [illegible]ant, tentati ſunt, in occiſióne [illegible] mórtui ſunt. Cir[illegible] in me-

lótis, in péllibus caprínis: egéntes, anguſtiáti, afflícti, quibus dignus non erat mundus. In ſolitudínibus errántes: in móntibus, & in ſpelúncis, & in cauérnis terræ. Et hi omnes teſtimónio fidei probáti inuénti ſunt: in Chriſto Ieſu: Dómino noſtro.

℟. Clamauérunt iuſti, & Dóminus exaudíuit eos, & ex ómnibus tribulatiónibus eórũ liberáuit eos. ℣. Iuxta eſt Dóminus his, qui tribuláto ſunt corde: & húmiles ſpíritu ſaluabúntur.

Allelúia. ℣. Fulgébunt iuſti, & tanquam ſcintíllæ in arundinéto diſcúrrent:& regnábunt in ætérnum. Allelúia.

Secúndum Matthæum.

Cap. 11.

IN illo témpore: Reſpóndens Ieſus dixit. Confiteor tibi Pater, Dómine cœli & terræ, quia abſcondíſti hæc à ſapiéntibus & prudéntibus:& reueláſti ea páruulis. Ita Pater: quóniam ſic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádita ſunt à Patre meo. Et nemo nouit Filium niſi Pater: neque Patrem quis nouit niſi Filius, & cui volúerit Filius reueláre. Venite ad me omnes, qui laborátis, & onerati eſtis: & ego refíciam vos. Tóllite iugum meum ſuper vos: & díſcite à me quia mitis ſum, & húmilis cord & inueniétis réquiem animãl veſtris. Iugum enim meum ſuáue eſt: & onus meum leue.

Offertorium. Mirábilis Deus in Sanctis ſu Deus Iſráel ipſe dabit virtútem, & fortitúdinem plebi ſuæ, benedíctus Deus, allelúia.

Secreta.

SVſcipe clementíſſime Deus preces, & hóſtias, quas tibi in Sanctórum tuórum Geórgij, Bláſij, Eráſmi, Pantaleónis, [illegible] Chriſtóphor[i], Dionýſij, Cyríac[i], [A]chácij, Eu[ſtá]chij, Ægídij, Magni, Marga[rítæ], Catherí[næ], & B[árb]aræ [h]onór[e] [of]férimus, vt qui iuſtíti[æ] [illegible] ciam no[illegible], et placuérun[t] [illegible]

petitiónum noſtrárum te pium largitórem ſentiámus. Per Dóminum.

Communio. Poſuérunt mortália ſeruórum tuórum, Dómine, eſcas volatílibus cœli, carnes Sanctórum tuórum béſtiis terræ: ſecúndum magnitúdinem bráchij tui póſſide filios morti punitórum, allelúia.

Poſtcommunio.

SAcraménta, quæ ſúmpſimus Dómine, intercedéntibus Sãctis tuis Geórgio, Bláſio, Eráſmo, Pãtaleóne, Vito, Chriſtóphoro, Dionýſio, Cyríaco, Achácio, Euſtáchio, Ægídio, Magno, Margaríta, Catherína, & Bárbara nobis, quǽſumus, proſint ad véniam: & quorum petitiónem cleménter exaudíſti: in neceſſitátibus noſtris nos réfoue miserátus auxílio: & ab omni aduerſitáte nos poténter cuſtódi. Per Dóminum.

MISSA PRO DEFVNCTIS

dicenda in Conuentu pro præſenti Defuncto in anniuerſariis & omni ſecunda fer. vel alia priùs vacanti in hebdomada extra octauas ſolemnes Domini & B. Mariæ.

Introitus.

REquiem ætérnã dona eis Dómine, & lux perpétua lúceat eis. Pſalmus. Te Decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddétur votũ Ierúſalem: exaúdi oratiónem meam, ad te omnis caro véniet.

℟. Réquiem ætérnam dona eis Dómine, & lux perpétua lúceat eis.

℣. A'nimæ eórum in bonis demoréntur: & ſemen eórum hæréditet terram.

In M[illegible]ſis [illegible]uatis. Tractus.

DE profúndis [illegible] ad te Dómine: Dómine ex[illegible] vocem meam.

[illegible]nt aure[illegible] tuæ intendéutes in oratió[illegible] [illegible]

[illegible] ſeruáu[illegible] Dómine: Dó[illegible] [illegible]bit?

[illegible]pitiátio e[illegible], & prop[illegible]

legem tuam ſuſtinui te Dómine.

In anniuerſariis & pro præſenti defuncto.

℟. Si ámbulem in médio vmbræ mortis non timébo mala, quóniam tu mecum es Dómine. ℣. Virga tua & báculus tuus ipſa me conſoláta ſunt.

Tractus.

ABſólue Dómine ánimas ómnium fidélium defunctórum ab omni vínculo delictórum.

℣. Et grátia tua illis ſuccurrénte, mereántur euádere iudícium vltiónis.

℣. Et lucis ætérnæ beatitúdine pérfrui.

Offertorium. Dómine Ieſu Chriſte Rex glóriæ libera ánimas ómnium fidélium defunctórũ de manu inférni & de profúndo laci: líbera eas de ore leónis, ne abſórbeat eas tártarus, ne cadant in obſcúra: ſed ſígnifer Sanctus Michaël repræſéntet eas in lucem ſanctam: quam olim Abrahæ promiſiſti & ſémini eius.

℣. Hóſtias, & preces tibi, Dómine, offérimus, tu ſúſcipe pro animábus illis: quarum hódie memóriam ágimus, fac eas Dómine de morte transíre ad vitam, quam olim Abrahæ promisíſti & ſémini eius.

Cõmunio. Lux ætérna lúceat eis Dómine, cum Sanctis tuis in ætérnum, quia pius es.

Pro Epiſcopo defuncto. Collecta.

DEus, qui inter Apoſtólicos Sacerdótes fámulum [illegible]tuum Põtificáli feciſti dignitáte vigére: præſta, quǽſumus, vt eórum quoque perpétuo aggregétur conſórtio. Per.

Secreta.

SV'ſcipe, quǽſumus Dómine, pro ánima fámuli tui ſacerdótis, quas tibi offérimus hóſtia[illegible], [illegible] pontificále donáſti m[illegible] [illegible]es & prǽmium. Per Do[illegible]

P[illegible]

PRopitiáre Dóm[illegible] [illegible]nibus noſtris: & áni[illegible] tui Epíſcopi in viuórum [illegible] térn[illegible]is gaúdiis iúbea[illegible] [illegible]ári, [illegible] minum noſtr[illegible]

In anniuerſario defunct. Collecta

PRæſta Dómine, quæſumus: vt ánima fámuli tui, ánimæ famulórum famularúmque tuárum, cuius quorum anniuerſárium depoſitiónis diem commemorámus indulgéntiam páriter & réquiem cápiat cápiant ſempitérnam. Per Dóminum noſtrum.

Secreta.

EXaúdi Dómine ſupplicatiónes noſtras, vt ánimam ánimas fámuli tui, órum *famularúmque tuárum*, pro qua quibus tibi offérimus ſacrifícium laudis, Sanctis & eléctis tuis ſociáre dignéris. Per Dóminum.

Poſtcommunio.

SVſcipe Dómine preces noſtras pro ánima animábus fámuli tui: lórum famularúmque tuárum vt ſi quæ ei *eis* máculæ de terrénis contágiis adhæſérunt remiſſiónis tuæ miſericórdia deleántur. Per Dóminū.

Alia pro defunctis. Collecta.

INclína Dómine aurem tuam ad preces noſtras quibus miſericórdiam tuam ſúpplices deprecámur: vt ánimam, ánimas, fámuli tui, órum famularúmque tuárum, quam quas de hoc ſæculo migráre iuſſiſti, in pacis ac lucis regióne conſtítuas & Sanctórum tuórum iúbeas eſſe conſórtem tes. Per Dó.

Secreta.

ANnue nobis Dómine, vt ánima [illegible] fámuli tui órum famularúmque tuárum remiſſiónem, quam [illegible] operauit, érunt, me[illegible] percípere peccatórum. P[illegible]num.

Poſtcommunio.

Abſolue Dómine ánimam [illegible] fámuli [illegible] m [illegible] ab [illegible] vínculo de[illegible] [illegible] glória [illegible] er [illegible] pi- [illegible] & lice [illegible]

Alia collecta pro defunctis.

DEus, cui próprium eſt miſeréri ſemper & párcere propitiáre ánimæ ábus fámuli tui lórum famularúmque tuárum, & ómnia eius eórum peccáta dimítte: vt mortis vínculis abſolútus lúti tranſíre mereátur eántur ad vitam. Per Dóminum.

Secreta.

A'Nimā ánimas fámuli tui lórū famularúmque tuarum, quæſumus, Dómine, ab ómnibus vítiis humánæ conditiónis hæc abſóluat oblátio, quæ totíus mundi tulit immoláta peccátum. Per Dóminum.

Poſtcommunio.

PRæſta Dómine, quæſumus, ánimæ ábus fámuli tui órum famularúmque tuárū miſericórdiā ſempitérnam: vt mortálibus néxibus abſolúta tæ, lucem ætérnam poſſídeat deant. Per Dóminum.

Pro fœmina defuncta. Collecta.

QVæſumus Dómine pro tua pietáte miſerere ánimæ ábus fámulæ tuæ árum tuárum: & à contágiis mortalitátis exútam útas in æternæ ſaluatiónis partem reſtítue. Per Dóminum.

Secreta.

HIs ſacrifíciis, Dómine, quæſumus, ánima fámulæ tuæ ánimæ árum tuárū & à peccátis ómnibus exuátur ántur, vt per hæc piæ placatiónis offícia perpétuam miſericórdiam conſequátur ántur. Per Dóminum noſtrum.

Poſtcommunio.

INueniat [illegible] quæſumus, Dómine, ánima fa[illegible] tuæ ánim[illegible] árum tuarum, l[illegible] tiū quæ in hac li[illegible] conſecú[illegible] Per Dó[illegible]

Ana produ... Collecta

OMnipotēs ſempitérne Deus, cui nunquā ſine ſpe miſericórdiæ ſupplicátur: propitiáre animáb⁹ famulórum famularúmque tuarū: vt, qui de hac vita in tui nóminis confeſſióne diſceſſérunt: Sanctórum tuórum número fácias aggregári. Per. Secreta.

PRopitiáre quæſumus, Dómine animábus famulórum famularúmque tuárum, pro quibus tibi hóſtias placatiónis offérimus, & quia in hac luce in fide manſérunt cathólica, in futúra vita eis retribútio condonétur. Per. Poſtcommunio.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus: vt ánimas famulórum famularúmque tuárum ab A'ngelis lucis ſuſcéptas: in præparáta habitácula dedúci fácias beatórum. Per Dóminum noſtrum.

Pro fratribus congregationis defunctis. Collecta.

DEus véniæ largítor & humánæ ſalútis author, quæſumus cleméntiam tuam: vt noſtræ congregatiónis fratres, ſorores, familiáres & benefactóres, qui ex hoc ſæculo tranſiérunt, beáta María ſemper vírgine intercedénte cum ómnibus Sanctis, ad perpétuæ beatitúdinis conſórtium perueníre concédas. Per Dóminum Secreta

DEus, cuius miſericórdiæ non eſt númerus, ſúſcipe propítius preces humilitátis noſtræ, & animábus fratrum, ſorórum, familiárium & benefactórum noſtrórum, quibus tui nóminis ded... confeſſiónem, ... hæc ſacra... ſalútis noſtræ, ... ſiónem tribue ... óminum.

...miſéricors

ſacrifícium laudis tuæ obtúlimus maieſtáti: per huius virtútem ſacraménti à peccátis ómnibus expiátæ, lucis perpétuæ, te miſeránte, recípiant beatitúdinem. Per Dóminum.

Pro his qui in Cimiteriis iacent. Collecta.

DEus, cuius miſeratióne ánimæ fidélium requiéſcunt: famulis & famulábus tuis ómnibus hîc, & vbíque in Chriſto quieſcéntibus da propítius véniam peccatórum: vt à cunctis reátibus abſolúti: tecum ſine fine læténtur. Per eúndem. Secreta

PRo animábus famulórum famularúmque tuárum hîc & vbíque in Chriſto dormiéntium hóſtiā Dómine ſúſcipe benígnus oblátam, vt hoc ſacrifício ſingulári vínculis horréndæ mortis exútæ vitam mereántur ætérnam. Per eúndem.

Poſtcommunio.

DEus fidélium lumē animárum: adéſto ſupplicatiónib⁹ noſtris: & da fámulis & famuláb⁹ tuis, quorum córpora hîc & vbíque in Chriſto requiéſcunt, refrigérij ſedē: quiétis beatitúdinem: lúminis claritátem. Per eúndem.

Pro patre & matre. Collecta

DEus, qui nobis patrem & matrem honoráre præcepíſti: miſerére cleménter animábus patris & matris meæ parentum noſtrorum: & ómnia eórum peccáta dimítte: meque noſque eos in ætérnæ claritátis gáudio fac vidére. Per Dóminum Secreta

SVſcipe ſacrificium qu... ..mus, Dómine, quod tibi ... animábus patris & matris meæ ... noſtrorum offértur eíſque ... ſit ſempitérnum in regióne v... ... Per Dóminum. ...

...Celéſtis partic... ...ſacra... ...ti, quæ... ...nine... ...Eu... ...atris & ... Per Dóminum

neat perpétuã† meque noſque cum illis grátia tua corónet ætérna. Per Dóminum noſtrum.

Pro omnibus fidelibus defunctis.

Collecta.

FIdélium Deus ómnium cónditor & redémptor† animábus famulórũ famularúmque tuárum remiſſiónem cũctórum tríbue peccatórum: vt indulgéntiã, quam ſemper optauérunt† piis ſupplicatiónibus conſequántur. Qui vi.

Secreta.

HOſtias, quǽſumus, Dómine, quas tibi pro animábus famulórum famularúmque tuárum offérimus, propitiátus inténde, vt quibus fídei chriſtiánæ méritum contulíſti, dones & prǽmium. Per Dó.

Poſtcommunio.

ANimábus, quǽſumus, Dómine, famulórũ famularúmque tuárum orátio profíciat ſupplicántium: vt eas & à peccátis ómnibus éxuas† & tuæ redeptiónis fácias eſſe partícipes. Qui viuis.

Generalis pro viuis & defunctis. Collecta.

OMnípotẽs ſempitérne Deus, qui viuórũ dominátis ſimul & mortuórum, omniúmque miseréris, quos tuos fide, & ópere futúros eſſe prænóſcis† te ſupplíciter exorámus: vt pro quibus effúndere preces decréuimꝰ, quoſque vel præſens adhuc ſǽculũ in carne rétinet, vel futúrum iam exútos córpore ſuſcépit† pietátis tuæ cleméntia, ómnium delictórum ſuórum véniam & gaúdia cónſequi mereántur ætérna. Per Dóminum.

Secreta.

DEus cui ſoli cógnitus eſt númerus electórum in ſupérna fœlicitate locándus, tríbue, quǽſumus, vt vniuerſórum, quos in oratione commendátos ſuſcépimus, & ómnium fidéliu[illegible] ómina beátæ prædeſtinatiónis liber[illegible]ſcripta retíneat. Per Dóminum noſtrum.

Poſtcommunio.

PVríficent nos, Dómine, quǽſumus, ſacraménta, quæ ſúmpſimus: & præſta, vt hoc tuum ſacraméntum non ſit nobis reátus ad pœnam† ſed intercéſſio ſalutáris ad véniam: ſit ablútio ſcélerum† ſit fortitúdo fragílium: ſit contra mũdi perícula firmaméntum† ſit viuórũ atque mortuórum fidélium remíſſio ómniũ peccatórum. Per Dóminum.

Pro viuis & defunctis generalis

Collecta.

SAnctórum tuórum intercessiónibus, quǽſumus, Dómine nos prótege† & fámulis & famulábus tuis, quorum commemoratiónem ágimus, vel quorum eleemóſynas recépimus, ſeu étiam his, qui nobis familiaritáte, atque cõſanguinitáte iuncti ſunt, miſericórdiam tuã vbíque præténde vt ab ómnibus impugnatiónibus defénſi, tua opitulatióne ſaluéntur: & ánimas famulórum famularúmque tuárũ ómnium vidélicet fidélium catholicórum, orthodoxórum, quorum cõmemoratiónem ágimus, & quorum córpora in hoc cimitério, vel in cunctis cimitériis Chriſtianórum requiéſcunt, vel quorum nómina ante ſanctum altáre tuum ſcripta adéſſe vidéntur: electórum iúngere dignéris conſórtio. Per Dóminum.

Secreta.

PRopitiáre Dómine ſupplicatiónibus noſtris, & has oblatiónes, quas pro incolumitáte famulórum famularúmque tuárum, & pro animábus ómnium fidélium catholicórum, orthodoxórum, quorũ nómina ante ſanctum altáre tuum ſcripta adéſſe vidént[illegible] ómini tuo cõſecrándas deférimus, benígnus aſſúme, vt ſac[illegible]ficij pr[illegible]ſénti [illegible]blátio ad refrigérium an[illegible]marũ eórum, t[illegible] [illegible]feránte p[illegible] [illegible]er Dóminum.

Poſtcommunio.

PVrificet nos, Dómine, quæſumus, diuíni ſacraménti percéptio: & glorióſa Sãctórum tuórum orátio: & animábus famulórum famularúmque tuárum, quorũ commemoratiónem ágimus: remiſſiónem cunctórum tríbue peccatórum. Per Dóminum noſtrum Iéſum Chriſtum Filium tuum. Qui.

Item alia pro viuis & defunctis.

Collecta.

PIetáte tua, quæſumus, Dómine noſtrorũ ſolue víncula ómniũ peccatórum: & intercedénte beáta & glorióſa ſempérque vírgine Dei genitrice María cum ómnibus Sanctis tuis, Domnum Papam, Pontífices & Abbátes noſtros & omnes congregatiónes illis cõmíſſas, Reges & Príncipes noſtros, & omnem pópulum Chriſtiánum, & nos fámulos tuos atque loca noſtra in omni ſanctitáte & religióne cuſtódi: omnéſque affinitáte ac familiaritáte vel confeſſióne & oratióne nobis iunctos à vítiis purga: virtútibus illúſtra, pacem & ſalútem nobis tríbue: hoſtes viſíbiles & inuiſíbiles rémoue: carnália deſidéria & peſtem repélle: áërem ſalúbrem indúlge: amícis & inimícis noſtris charitátem largíre: iter famulórũ tuórum in ſalútis tuę proſperitáte diſpóne: infirmis noſtris ſanitátem reſtítue: & ómnibus fidélibus viuis & defúnctis in terra viuéntium vitam & réquiem ætérnã concéde. Per eúndem.

Secreta.

DEus, qui ſingulári córporis tui hóſtia totíus mundi ſoluíſti delícta, hac obla[illegible]e, placátus máculas ſcélerum noſtrórum abſtérge, & ómnium [illegible]délium viuórum vel defunctórum peccáta [illegible], eíſque prǽmia ætérna [illegible] Qui viuis.

Poſtcommunio.

SVmpta, quæſumus, Dómine, ſacraménta cœléſtia ómnia crímina noſtra detérgant: omnémque prauitátem & infirmitátem & hóſtium rábiem méritis beátæ ſemper vírginis Maríæ & ómnium Sanctórum à nobis procul repéllant: & ómnibus fidélibus viuis & defúnctis próſint ad véniã: pro quorum tibi ſunt obláta ſalúte. Per Dóminum.

EPISTOLÆ ET EVANG. pro defunctis.

j. Léctio libri Apocalýpſis: B. Ioánnis Apóſtoli. Cap. 14.

IN diébus illis: Audíui vocem de cœlo dicéntẽ mihi. Scribe. Beáti mórtui: qui in Dómino moriúntur. A'modò iam dicit Spíritus: vt requiéſcant à labóribus ſuis. O'pera enim illórum: ſequúntur illos.

ij. Léctio libri Machabæórum. 2. Cap. 12.

IN diébus illis: Vir fortíſſimus Iúdas, collatióne facta, duódecim míllia dragmas argénti miſit Ieroſólymam, offérri ea ibi pro peccátis mortuórum: iuſtè & religióſe de reſurrectióne cógitans. Niſi enim eos, qui ceciderant, reſurrectúros ſperáret: ſupérfluũ viderétur & vanum oráre pro mórtuis. Et quia conſiderábat quòd hi, qui cum pietáte dormitiónem accéperant: óptimam habérent repóſitam grátiam. Sancta ergo & ſalúbris eſt cogitátio pro defúnctis exoráre: vt à peccátis ſoluántur.

iij. Ad Theſſalonicénſes. Cap. 4.

FRatres: Nólumus vos ignoráre de dormiéntibus: vt non contriſtémini ſicut & cǽteri, qui ſpem non habent. Si enim crédim[illegible]s quòd Iéſus mórtuus eſt, & [illegible]rréxit: ita & Deus eos, qui dormiérũt, per Ieſum addúcet cum eo. Hoc e[illegible]

dícimus in verbo Dómini, quia nos, qui víuimus, qui resídui ſumus in aduéntu Dómini non præueniémus eos, qui dormiérunt: quóniam ipſe Dóminus in iuſſu & in voce Archángeli, & in tuba Dei deſcéndet de cœlo, & mórtui, qui in Chriſto ſunt, reſúrgent primi. Deínde nos, qui víuimus, qui relínquimur, ſimul rapiémur cum illis in núbibus óbuiam Chriſto in áëra: & ſic ſemper cum Dómino érimus. Itaque conſolámini ínuicem: in verbis iſtis.

iiij. Ad Corínthios. 1. Cap. 15.

FRatres: Ecce myſtérium vobis dico. Omnes quidē reſurgémus: ſed nō omnes immutábimur. In moménto: in ictu óculi: in nouíſſima tuba. Canet enim tuba: & mórtui reſúrgent incorrúpti, & nos immutábimur. Opórtet enim corruptíbile hoc indúere incorruptélam: & mortále hoc indúere immortalitátem. Cùm autem mortále hoc indúerit immortalitátem: tunc fiet ſermo, qui ſcriptus eſt. Abſórpta eſt mors in victória. Vbi eſt mors victória tua? Vbi eſt mors ſtímulus tuus? Stímulus enim mortis: peccátum eſt. Virtus verò peccáti: lex. Deo autem grátias: qui dedit nobis victóriam: Per Dóminū noſtrū Ieſum Chriſtū.

j. Secúndum Ioánnem. Cap. 11.

IN illo témpore: Dixit Martha ad Ieſum. Dómine: ſi fuíſſes hic: frater meus nō fuíſſet mórtuus. Sed & nunc ſcio: quia quæcúnque popóſceris à Deo, dabit tibi Deus. Dicit illi Ieſus. Reſúrget frater tuus. Dicit ei Martha. Scio: quia reſúrget in reſurrectióne, in nouíſſimo die. Dicit ei Ieſu. Ego ſum reſurréctio: & vita. Qui credit in me: étiā ſi mórtuus fúerit viuet. Et omnis, qui viuit, & credit in me: nō moriétur in ætérnum. Credis hoc? Ait illi. Vtique Dómine. Ego crédidi quia tu es Chriſt⁹ Fílius Dei, qui in hunc mundum veníſti.

ij. Secúndum Ioánnem. Cap. 6.

IN illo témpore: Dixit Ieſus turbis Iudæórum. Omne, quod dat mihi Pater, ad me véniet: & eum, qui venit ad me, non eiíciam foras, quia deſcéndi de cœlo, non vt fáciam voluntátem meā, ſed volūtátem eius, qui miſit me. Hæc eſt autem volúntas eius, qui miſit me, Patris: vt omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, ſed reſúſcitē illud in nouíſſimo die. Hæc eſt enim volúntas Patris mei, qui miſit me: vt omnis, qui videt Fílium, & credit in eum, hábeat vitam ætérnam. Et ego reſuſcitábo eum: in nouíſſimo die.

iij. Secúndum Ioánnem. Cap. 5.

IN illo témpore: Dixit Ieſus turbis Iudæórum. Sicut Pater ſúſcitat mórtuos, & viuíficat: ſic & Fílius, quos vult, viuíficat. Neque enim Pater iúdicat quēquam: ſed iudícium omne dedit Fílio, vt omnes honoríficent Fílium, ſicut honoríficant Patrem. Qui non honoríficat Fílium: non honoríficat Patrem, qui miſit illum. Amen amen dico vobis: quia qui verbum meum audit, & credit ei, qui miſit me, habet vitam ætérnam. Et in iudícium non venit: ſed tránſiet à morte in vitam.

iiij. Secúndum Ioánnem. Cap. 5.

IN illo témpore: Dixit Ieſus turbis Iudæórum. Amen amen dico vobis: quia venit hora, & nunc eſt, quando mórtui aúdient vocem Fílij Dei, & qui audíerint, viuent. Sicut enim Pater habet vitam in ſemetípſo: ſic dedit & Fílio vitam habére in ſemetípſo. Et poteſtátem dedit ei iudícium fácere: quia Fílius hóminis eſt. Nolíte mirári hoc: quia venit hora in qua omnes, qui in monuméntis ſunt, aúdient vocem eius. Et procédent, qui bona fecérunt, in reſurrectiónem vitæ: qui verò mala egérunt, in reſurrectiónem iudícij.

ORDO DE COLLECTIS tam pro peculiaribus, quàm pro vniuerſis.

Pro Summo Pontifice. Collecta.

DEus fidélium paſtor & rector, fámulum tuum N. quẽ Eccléſiæ tuæ præéſſe voluiſti, propitius réſpice: da ei, quæſumus, verbo & exémplo, quibus præeſt, proficere: vt ad vitam vnà cum grege ſibi crédito peruéniat ſempitérnam. Per Dóminum. Secreta.

OBlátis, quæſumus, Dómine placáre munéribus, & fámulum tuum N. quem paſtórẽ pópulo tuo eſſe voluíſti, aſsídua protectióne gubérna. Per Dóminum.

Poſtcommunio.

HÆc nos, quæſumus, Dómine, diuíni ſacraménti percéptio prótegat: & fámulum tuũ N. quem paſtórem Eccléſiæ tuæ præéſſe voluíſti, vnà cum commiſſo grege ſaluet & múniat. Per Dóminum.

Pro Rege. Collecta.

QVæſumus, omnípotẽs Deus, vt fámulus tuus Rex noſter N. qui tua miſeratióne ſuſcépit regni gubernácula: virtútum étiam ómnium percípiat incrementa: quibus decénter ornátus & vitiórum monſtra deuitáre, & hoſtes ſuperáre: & ad te, qui via, véritas & vita es, gratióſus váleat peruenire. Per Dóminum. Secreta

MV'nera, quæſumus, Dómine obláta sãctífica, vt nobis Vnigéniti tui corpus, & ſanguis fiant, & Regi noſtro N ad obtinéndam córporis & ánimæ ſ. lútem, & ad peragéndum in' ínctum ſibi officium, te largiénte, ·ſqueq. ·qu· proficiant. Per eúndem.

Poſtcommunio.

HÆc, Dómine, oblátio ſalutáris fámulum tuum N. Regem noſtrum ab ómnibus tueátur aduérſis: quátinus & eccleſiáſticæ pacis obtíneat tranquillitátem: & poſt iſtíus témporis decúrſum, ad ætérnã peruéniat hæreditátem. Per Dóminum noſtrum Iéſum Chriſtum.

Pro Epiſcopis & Abbatibus. Collecta.

OMnípotẽs ſempitérne Deus, qui facis mirabília magna ſolus: prætẽde ſuper fámulum tuum, los tuos N. & ſuper congregatiónem nes illi illis commíſſam ſas Spíritum grátiæ ſalutáris: & vt in veritáte tibi compláceat ant: perpétuum ei eis rorem tuæ benedictiónis infúnde. Per. eiúſdem. Secreta.

HO'ſtias Dómine fámuli tui lórum tuórum placátus inténde, & quas in honórem nóminis tui deuóta mente pro eo eis celebrámus, proficere ſibi ſéntiat ſentiãt ad medélam. Per. Poſtcommunio.

QVos cœléſti récreas múnere, perpétuo Dómine comitáre præſídio: & quos fouére non déſinis: dignos fieri ſempitérna redemptióne concéde. Per Dóminum.

Pro amico vel amicis. Collecta.

DEus, qui iuſtíficas ímpiũ, & non vis mortem peccatórum: maieſtátem tuam ſupplíciter deprecámur: vt fámulum tuum os tuos de tua miſericórdia confidéntem tes cœléſti prótegas benígnus auxílio: & aſſídua protectióne conſérues: vt tibi iúgiter famulétur éntur, & nullis tẽtatiónibus à te ſeparétur entur. Per Dóminum noſtrum Iéſum Chriſtũ.

Secreta.

HVius Dómine, qu[æ]ſumus, virtúte myſtérij ſ[e] a própriis nos múnda delíctis, & fámulum tuum os tuos, ab ómnibus abſólue peccátis.

tis. Per Dóminum. *Poſtcommunio.*

PVrificent nos, Dómine, quæſumus, ſacraménta, quæ ſúmpſimus: & fámulum tuum, los tuos ab omni culpa liberum ros, eſſe concéde: vt quia conſciéntiæ reátu conſtríngitur, gúntur, cœléſtis remédij plenitúdine gloriétur riéntur. Per Dóminum noſtrum.

Alia Collecta ad idem.

FA'mulum tuum quæſumus Dómine N. tua ſemper protectióne cuſtódi: vt libera tibi mente deſéruiat: & , te protegénte, à malis omnibus ſit ſecúrus. Per Dóminum noſtrum.

Secreta.

GRata tibi ſit Dómine, hæc oblátio fámuli tui, quam tibi offérimus in honórem beáti N. A'ngeli, Apóſtoli, mártyris, confeſſóris tui, quæſumus, vt eidem proficiat ad ſalútem. Per Dóminum noſtrum,

Poſtcommunio.

HVius, Dómine, quæſumus, virtúte myſtérij & à própriis mūdémur occúltis: & fámulum tuum N. ab ómnibus abſólue peccátis. Per Dóminum noſtrum.

Item alia Collecta ad idem.

OMnipotens ſempitérne Deus miſerére fámulo tuo, lis tuis: & dírige eum eos ſecúndum tuam cleméntiam in viam ſalútis ætérnæ: vt, te donánte, tibi plácita cúpiat piant, & tota virtúte proficiat ant. Per Dóminum noſtrum. *Secreta.*

PRóficiat, quæſumus, Dómine, hæc oblátio, quam tuæ ſúpplices offérimus maieſtáti, ad ſalútem fámuli tui lórum tuórum, vt tua prouidéntia eius eórum vita inter aduérſa & próſpera vbíque dirigátur Per Dóminum *Poſtcommunio.*

SVméntes Dómine, perpétuæ ſacraménta ſalútis tuam deprecámur cleméntiam: vt per ea fámulum tuum los tuos, ab omni aduerſitáte prótegas. Per Dóminum.

Pro ſalute viuorum. Collecta.

PRæténde Dómine fámulis & famulabus tuis déxteram cœléſtis auxílij: vt te toto corde perquírāt: & , quæ dignè póſtulant, aſſequántur. Per Dóminum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum.

Secreta.

PRopitiáre Dómine ſupplicatiónibus noſtris, & has oblatiónes famulórum famularúmque tuárum, quas tibi pro incolumitáte eórum offérimus, benígnus aſſúme, & vt nullíus ſit írritum votum, nullíus vácua poſtulátio, præſta, quæſumus, vt quod fidéliter pétimus, efficáciter conſequámur. Per Dóminum. *Poſtcommunio.*

DA fámulis & famulábus tuis, quæſumus, Dómine, in tua fide & ſinceritáte conſtántiam: vt in charitáte diuína firmáti: nullis tentatiónibus ab eius integritáte vellántur. Per Dóminum.

Aduerſus tentationes. Collecta.

OMnipotens & mitíſſime Deus réſpice preces noſtras: & líbera cor noſtrum de malárum tentatióne cogitatiónum: vt Sancti Spíritus dignum fíeri habitáculum mereámur. Per eiúſdem. *Secreta.*

HAs tibi, Dómine, offérimus oblatiónes pro ſalúte noſtra, quátinus ánimas noſtras Sancti Spíritus grátia illumináre dignéris. Per eiúſdem.

Poſtcommunio.

PEr hoc, quæſumus, Dómine ſacrificium, quod tuæ obtúlimus pietáti: ab ómnibus corda noſtra emúndes tentatiónibus. Per Dóminum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Ad poſtulandam patientiam.

Collecta.

DEus, qui Vnigéniti tui patiénria antíqui hoſtis contriuíſti ſupérbiam: da nobis, quæſumus, quæ idem pro nobis pértulit, digne recólere? ſicque exémplo eius nobis aduerſánria æquanímirer toleráre Per eúndem.

Secreta.

MV'nera noſtræ oblatiónis, quæſumus, ſúſcipe placátus, quæ, vt nobis patiéntiæ donum largíri dignéris, maieſtáti tuæ deuóta offérimus actióne. Per Dóminum.

Poſtcommunio.

MYſtéria, Dómine, ſacroſáncta, quæ ſúmpſimus: quæſumus, reconcílient gráriam? atque munus patiéntiæ in illáris ómnibus ſemper & vbíque protegéndo impértiant. Per Dóminum.

Pro ſapientia impetranda.

Collecta.

DEus, qui per coætérnam tibi Sapiénriam hóminem, cùm non eſſet, condidíſti, & pérditum miſericórditer reformáſti? præſta, quæſumus: vt, eádem péctora noſtra inſpiránte, te tota mente amémus? & ad te toto corde currámus. Per eúndem.

Secreta.

SAnctificétur, quæſumus, Dómine, huius noſtræ oblatiónis munus tua cooperánte Sapiéntia, vt tibi placére poſſit ad laudem, & nobis profíciat ad ſalútem. Per eúndem.

Poſtcommunio.

INfúnde, quæſumus, Dómine per hæc ſancta, quæ ſúmpſimus, tuæ córdibus noſtris lumen Sapiéntiæ? vt te veráciter agnoſcámus, & fidéliter diligámus. Per eúndem.

Ad poſtulandam charitatem. Collecta.

DEus, qui diligéntibus te ſáci cuncta prodéſſe: da córdibus noſtris inuiolábilem tuæ charitátis affectum? vt deſidéria de tua inſpiratióne concépta, nulla poſſint tentatióne mutári. Per Dóminum.

Secreta.

DEus qui nos ad imáginem tuam ſacraménris rénouas & præcéptis, pérfice greſſus noſtros in ſémitis pruis, vr charirátis donum quod fecíſti à nobis ſperári, per hæc quæ offérimus ſacrificia, fácias veráciter apprehéndi. Per Dóminum.

Poſtcommunio.

SAncti Spíritus grátia quæſumus Dómine corda noſtra illúminet? & perféctæ charitátis dulcédinem abundánter refíciat. Per Dóminum. in vnitáte eiúſdem Spíritus Sancti.

Pro lachrymarum fonte à cordis compunctione impetrandis. Collecta.

OMnípotens miriſſime Deus, qui ſitiénri pópulo in deſérto de petra fonrem viuénris aquæ produxíſti: educ de durítia cordis noſtri compunctiónis láchrymas? vt peccáta noſtra plángere valeámus, remiſſionémque, te miſeránte, percípere mereámur. Per Dóminum.

Secreta.


HAnc, quæſumus, Dómine oblatiónē, quam tuæ maieſtáti offérimus, propítius réſpice, & produc de cordis noſtri durítia lachrymárum flúmina, quibus débita flammárum incéndia váleant extíngui. Per Dóminum noſtrum.

Poſtcommunio.

SAcrifícium, quod tuæ, Dómine Deus, obtúlimus pietári nobis ad véniam noſtrórum profíciat peccatórum? & tuæ miseratiónis ſemper tríbuat ſolátium. Per Dóminum noſtrum.

IN DIE VENERIS SANCTÆ

LECTA PASSIONE, ET ORATIONIBVS DICTIS duo Sacerdotes abſque ſtolis & manipulis inferant crucem in locum quo adoranda eſt poſitis autem genibus in terra dicant.



dú xi te per deſér tum quadragínta annis: & man- na ci báui te, & introdú- xi in terram ſa tis óptimam pa rá ſti crucem Sal ua tó ri tuo.

Duo fratres ſemel flectentes genua. A gios. Chorus. Sanctus. vt ſuprà. Sacerdotes.

Q uid vltra dé bui fácere ti- bi, & non fe ci: e goquip pe plantá ui te víneam meam ſpecioſiſſimam: & tu facta es mihi nimis a mára: acéto namque mixto cum felle ſitim meam potáſti: & lán cea per- forá ſti latus Saluató ri tuo:

Duo fratres A gios. Chorus. Sanctus.

Hic diſcooperiatur crux, & adoretur à Sacerdo. dum dicitur vltimum S anctus. quo finito omnes petant veniam contrà altare, & Sacerd. eleuantes crucem imponant.

E Cce li gnum cru cis in quo ſa lus mundi pe pén- dit: Veni te adoré-

adoré mus.

Proſequatur Chorꝰ.

Pſalmus.

Beá ti immaculá ti in via: qui ámbulant in le ge Dómini.

Tunc chorus diſcalciatus vadit adoratum Crucem proſternendo ſe in terram præeunt bus Abbate & Miniſtris & ſenioribus. Repetatur. Ecce lignum. Poſtea chorus canat ſimul Hym. Crux fidélis. Poſt hæc omnia & adorata Cruce iidem duo ſacerdotes eleuantes crucem illam reſtituant in locum ſuum dicendo antiphonam ſequentem inchoando & mox chorus veniam petat.

SVper ómnia ligna cedrórum crux ſola excél ſi or, in qua vi ta mundi pepéndit: in qua Chriſtus triumpháuit: & mors mortem ſupe ráuit.

SEQVITVR LITANIA.

Kyrie eléi ſon.
Chriſte eléiſon.

Chriſte audi nos.


Pa ter de cœlis Deus, miſerére nobis.

Fili redémptor mundi Deus. miſe.
Spíritus ſancte Deus. Miſerére.
Sácta Trínitas vnus Deus. Miſerére.


Sancta María (bis.
Sancta Dei Génitrix } ora pro nobis.
Sancta virgo vírginũ

Sancte Michael
Sancte Gábriel } ora pro nobis.
Sancte Raphael

Omnes ſancti beatórum ſpírituum




órdines, oráte pro nobis.




Sancte Ioánnes Baptíſta ora pro.
Omnes SS. Patriárchæ & Prophétæ, oráte pro nobis.



Sancte Petre, Sancte Paule } ora pro nobis.




Sancte Andréa, Sancte Iacóbe, Sancte Ioánnes, S. } ora pro nobis..



Omnes Sancti Apóſtoli & Euan-




geliſtæ, oráte pro nobis.
Sancte Stéphane, Sancte Laurénti, S. Sancte Vincénti, Sancte Thoma } ora pro nobis.
Sancti Ioãnes & Paule, SS. Oẽs Sancti mártyres } oráte pro.



Sancte Martíne ora pro nobis.

Sancte Nicoláe, Sancte Gregóri, Sancte Ambróſi, Sancte Auguſtíne, Sancte Petre, Sancte Malachía, Sancte Guillérme, S ãcte Edmúnde, S ãcte Hierónyme, Sancte Benedícte, Sancte Bernárde, Sancte Robérte, Sancte Ludouíce } ora pro nobis:
Omnes Sancti Confeſſóres, oráte.
Sancta Anna, ora pro nobis.
Sancta María Magdaléna ora pro.
Sancta Agnes, Sancta A'gatha, Sancta Catherína, S. } ora pro nobis.
Omnes Sanctæ Vírgines oráte pro.
Omnes Sancti oráte pro nobis.




Propíti⁹ eſto, parce nobis Dómine.



Ab imminéntibus peccatórum no-



ſtrórum perículis, Líbera nos



Dómine.
A damnatióne perpétua, Líbera.
Per myſtérium ſanctæ incarnatiónis tuæ, Líbera nos Dómine.
Per Paſſiónem & Crucem tuam, Líbera nos Dómine.
Per glorióſam Reſurrectiónẽ tuam, Líbera nos Dómine.

P er admirábilem Aſcenſióne̅ tuam, líbera nos Dómine.

P er grátiam Sancti Spíritus paracléti, líbera nos Dómine.



P eccatóres, Te rogámus audi nos.



V t pacem nobis dones, Te rogámus.

V t Eccléſiam tuam régere & defenſáre dignéris, Te rogámus audi.

V t loca noſtra & omnes habitántes in eis viſitáre & conſolári dignéris, Te rogámus, audi nos.

V t regulāribus diſciplínis nos inſtrúere dignéris, Te rogámus audi nos.

V t ómnibus benefactóribus noſtris ſempitérna bona retríbuas, Te rogámus, audi nos.

V t fructus terræ dare & conſeruáre dignéris, Te rogámus audi nos.

V t ómnibus fidélibus defúnctis, réquiem ætérnam donáre dignéris, Te rogámus audi nos.



F i li Dei, Te rogámus audi nos



A gnus Dei qui tollis peccáta mu̅di,



miſerére nobis.

BENEDICTIO SACERDOTALIUM indumentorum in genere.

℣. Adiutórium noſtrum in nómine Dómini.

℟. Qui fecit cœlum & terram. Dóminus vobíſcum. Et cum ſpíritu tuo. Orémus.

Omnipotens ſempitérne Deus, qui per Móyſem fámulum tuum Pontificália & Sacerdotália atque Leuítica veſtiménta, ad exercéndum miniſtériu̅ eórum in conſpéctu tuo ad honórem, & decórem nóminis tui fieri decreuiſti, adéſto propítius inuocatiónibus noſtris, & hæc indumenta ſacerdotália déſuper irrigáre grátia tua, ingénti benedictióne, per noſtræ humilitátis ſeruitútem purifi ✠ cáre, bene ✠ dícere, & conſe ✠ cráre dignéris. vt diuínis cúltibus & ſacris myſtériis apta & benedícta exíſtant, hiſque ſacris véſtibus Pontífices, ſeu Leuítæ tui indúti ab ómnibus impulſiónibus ſeu tentatiónibus malignórum ſpirituum muníti & defénſi eſſe mereántur, tuiſque myſtérijs aptè, & condignè ſeruíre & inhærére, atque in his tibi plácidè & deuótè perſeueráre tribue Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Orémus.

Deus inuíctæ virtútis auctor, & ómnium rerum creátor, ac ſanctificátor, inténde propítius preces noſtras, & hæc induménta Leuíticæ, & Sacerdotális glóriæ miniſtris tuis ferénda, tuo ore próprio bene ✠ dicere, conſe ✠ cráre, & ſancti ✠ ficáre dignéris, omnéſque eis vténtes, tuis myſtérijs aptos, & tibi in eis deuótè & amabíliter ſeruiéntes gratos éffici concédas. Per Dóminum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium, &c. Orémus.

Dómine Deus omnípotens qui veſtiménta Pontificibus, Sacerdótibus & Leuítis in vſum taberná-

culi fœderis neceſſária, Móyſem fámulum tuum ágere iuſsiſti, eúmque ſpíritu ſapiéntiæ ad id peragéndum repleuíſti: hæc veſtiménta in vſum, & cultum myſtérij tui ſancti ✠ ficáre, bene ✠ dícere & conſe ✠ cráre dignéris atque miniſtros altáris tui, qui ea induerint, ſeptifórmis Spíritus grátia dignánter repléri: atque caſtitátis ſtola, & beáta fácias cum bonórum fructu óperum miniſtérij congruéntis inimortalitáte veſtíri. Per Dóminum noſtrum Iéſum Chriſtũ. eiúſdem, &c.

Deinde aſpergit ipſa indumenta aqua benedicta.

SPECIALIS BENEDICTIO cuiuſlibet indumenti.

℣. Adiutórium noſtrum.
℟. Qui fecit. Dóminus vobíſcum.

Orémus.

DEus omnípotens bonárum virtútum dator, & ómnium benedictiónum largus infúſor, ſúpplices te rogámus, vt mánibus noſtris opem tuæ benedictiónis infúndas: & has cáligas, ſandália, vel amíctum, vel albam, vel cinctórium, vel ſtolam, vel manípulum, vel túnicam, vel dalmáticam, vel planétam diuíno cúltui preparátã (præparata,) virtúte ſancti ſpíritus bene ✠ dícere, ſancti ✠ ficáre, & conſe ✠ cráre dignéris, & ómnibus ea (ei,) vténtibus grátiam ſanctificatiónis ſacri myſtérij tui benígnus concéde, vt in conſpéctu tuo ſancti, & immaculáti, atque irreprehensíbiles appáreant, & auxílium miſericórdiæ tuæ acquírant. Per Dóminum noſtrum, &c.

Deinde aſpergit ea aqua benedicta.

BENEDICTIO MAPPARVM. ſeu linteaminum ſacri altaris.

℣. Adiutórium noſtrum.
℣. Dóminus vobíſcum.

Orémus.

EXáudi, Dómine, preces noſtras, & hæc linteámina in ſacri altáris vſus præparáta, bene ✠ dícere & ſancti ✠ ficáre dignéris. Per Chriſtum Dóminum noſtrum, Amen.

Orémus.

DOmine Deus omnípotens, qui ornaménta & linteámina fácere Móyſem fámulum tuum, per quadragínta dies docuíſti, ac étiam quæ María téxuit, & fecit in vſum miniſtérij tabernáculi fœderis, ordináſti, ſancti ✠ ficáre, bene ✠ dícere & conſe ✠ cráre dignéris hæc linteámina ad tegéndum, inuoluendúmque altáre glorioſíſſimi filij tui Dómini noſtri Ieſu Chriſti: Qui tecum viuit & regnat in vnitáte ſpíritus ſancti Deus per ómnia ſǽcula ſæculórum. Amen.

Deinde aſpergit ea aqua benedicta.

BENEDICTIO corporalium.

℣. Adiutórium noſtrum.
℣. Dóminus vobíſcum.

Orémus.

CLementíſſime Dómine Deus, cuius inenarrábilis eſt virtus, cuius myſtéria arcánis mirabílibus celebrántur, tríbue quæſumus, vt hoc linteámen tuæ propitiatiónis bene ✠ dictióne ſanctificétur, & ad conſecrándum ſuper illud corpus Dei & Dómini noſtri Iéſu Chriſti filij tui dignum efficiátur. Per eúndem Chriſtum Dóminum noſtrũ.

Orémus.

OMnípotens ſempitérne Deus, bene ✠ dícere ſancti ✠ ficáre & conſe ✠ cráre dignéris linteámẽ iſtud ad tegéndum, inuoluendúmque corpus & ſánguinem Dómini noſtri Ieſu Chriſti filij tui qui tecum viuit & regnat. Amen.

Orémus.

OMníporens Deus, mánibus noſtris opem tuę benedictiónis infúnde: vt per noſtram bene ✠ dictiónem hoc linteámen ſanctificétur, & córporis ac ſánguinis Redemptóris noſtri nouum ſudárium Spíritus ſancti grátia efficiárur. Per eúndem. in vnitáte eiúſdem Spíritus Sancti. Amen.

BENEDICTIO SACRORVM *vaſorũ & aliorum ornamentorũ in genere.*

℣. Adiutórium noſtrum.

℣. Dóminus vobíſcum. Orémus.

EXaúdi Dómine pater clementíſſime preces noſtras, & hæc purificánda vaſa & ornaménta ſacri altáris atque Eccléſię tuæ ſacri miniſtérij vſui præparáta bene ✠ dícere, & ſancti ✠ ficáre dignéris. Per Chriſtum Dñm noſtrũ. Amen. Orémus.

OMnípotens ſempitérne Deus, à quò ómnia immúnda purgántur, & in quo ómnia purgáta claréſcunt, ſúpplices filij tui omnipoténtiam tuam inuocámus, vt ab his vaſis, ornaméntis & miniſtériis quæ tibi ófferunt fámuli tui, omnis ſpíritus immúndus confúſus longè diſcédat: & per tuam bene ✠ dictiónem ad vſum, & miniſtérium ſancti altáris & Eccléſiæ tuæ ſanctificáta permáneant. Per eúndem Chriſtum Dóminum noſtrum. Amen.

Deinde aſpergit ea aqua benedicta.

¶ De benedictione tabernaculi ſiue vaſculi pro Euchariſtia conſeruanda.

℣. Adiutórium noſtrum.

℣. Dóminus vobíſcum. Orémus.

OMníporens ſempitérne Deus, maieſtárem ruam ſúpplices deprecámur, vt váſculum hoc pro córpore filij rui Dómini noſtri Ieſu Chriſti in eo condéndo fabricátum, bene ✠ dictiónis tuæ grátia dicáre dignéris. Per eúndem Dóminum noſtrum. Amen.

Tum aſpergit illud aqua benedicta.

BENEDICTIO INCENSI.

AB eo benedicáris ✠ in cuius honórem cremáberis.

BENEDICTIO SVPER lectorem menſæ.

℣. Saluum fac ſeruum tuum ℟. Deus meus ſperántem in te. ℣. Mitte ei Dómine auxílium de Sancto ℟. Et de Sion tuére eum ℟.

℣. Conuértere Dómine vſquequo ℟. Et deprecábilis eſto ſuper ſeruum tuum ℟.

DO'minus cuſtódiat intróitum tuum & éxitum tuum: & aúferat à te ſpíritum elatiónis.

BENEDICTIO SVPER POPVlum danda à Sacerdote ſe conuertente ad populũ, poſtquam ſe ſignauerit, & antequam diſcedat ab altari quando danda fuerit præcedens benedictio immediatè illam ſequitur. quidam præmittunt.

℣. Adiutórium noſtrum. ℟. Sit nomen Dómini benedíctum. &c.

BEnedicat vos omnípotẽs De⁹ ✠ Pater & Filius & Spíritus Sanctus.

BENEDICTIO PANIS.

BE'nedic ✠ Dómine creatúram iſtam panis, ſicut benedixíſti quinque panes in deſérto, vt omnes guſtántes ex eo per virtútem ſanctæ ✠ Crucis ſanctiſſimæque vírginis Maríæ tam córporis quam ánimæ recípiant ſanitátem. Amen.

BENEDICTIO AD QVEMcumque cibum.

BE'nedic ✠ Dómine creatúram iſtam, vt quicúnque ex ea guſtáuerint, per ſancti nóminis tui inuocatiónem, & beátæ Maríæ, omniúmque Sanctórum tuórum interceſſiónem, tutélam ánimæ & córporis percípiant, & ad vitam ætérnam peruéniant. Per Chriſtum Dóminum noſtrum. Amen.

FINIS.

Digitized by Google

Ad poſtulandam patientiam.

Collecta.

DEus, qui Vnigéniti tui patiéntia antíqui hoſtis contriuíſti ſupérbiam: da nobis, quæſumus, quæ idem pro nobis pértulit, digne recólere ! ſicque exémplo eius nobis aduerſántia æquanímiter toleráre Per eúndem.

Secreta.

MV'nera noſtræ oblatiónis, quæſumus, ſúſcipe placátus, quæ, vt nobis patiéntiæ donum largíri dignéris, maieſtáti tuæ deuóta offérimus actióne. Per Dóminum.

Poſtcommunio.

MYſtéria, Dómine, ſacroſáncta, quæ ſúmpſimus: quæſumus, reconcilient grátiam ! atque munus patiéntiæ in illátis ómnibus ſemper & vbíque protegéndo impértiant. Per Dóminum.

Pro ſapientia impetranda.

Collecta.

DEus, qui per coætérnam tibi Sapiéntiam hóminem, cùm non eſſet, condidíſti, & pérditum misericórditer reformáſti ! præſta, quæſumus: vt, eádem péctora noſtra inſpiránte, te tota mente amémus ! & ad te toto corde currámus. Per eúndem.

Secreta.

SAnctificétur, quæſumus, Dómine, huius noſtræ oblatiónis munus tua cooperánte Sapiéntia, vt tibi placére poſſit ad laudem, & nobis profíciat ad ſalútem. Per eúndem.

Poſtcommunio.

INfúnde, quæſumus, Dómine per hæc ſancta, quæ ſúmpſimus, tuæ córdibus noſtris lumen Sapiéntiæ ! vt te veráciter agnoſcámus, & fidéliter diligámus. Per eúndem.

Ad poſtulandam charitatem. Collecta

DEus, qui diligéntibus te facis cuncta prodéſſe: da córdibus noſtris inuiolábilem tuæ charitátis affectum ! vt deſidéria de tua inſpiratióne concépta, nulla poſſint tentatióne mutári. Per Dóminum.

Secreta

DEus qui nos ad imáginem tuam ſacraméntis rénouas & præcéptis, pérfice greſſus noſtros in ſémitis tuis, vt charitátis donum quod fecíſti à nobis ſperári, per hæc quæ offérimus ſacrifícia, fácias veráciter apprehéndi. Per Dóminum.

Poſtcommunio.

SAncti Spíritus grátia quæſumus Dómine corda noſtra illúminet ! & perféctæ charitátis dulcédinem abundánter refíciat. Per Dóminum. in vnitáte eiúſdem Spíritus Sancti.

Pro lachrymarum fonte & cordis compunctione impetrandis. Collecta.

OMnípotens mitíſſime Deus, qui ſitiénti pópulo in deſérto de petra fontem viuéntis aquæ produxíſti: educ de durítia cordis noſtri compunctiónis láchrymas ! vt peccáta noſtra plángere valeámus, remiſſionémque, te miſeránte, percípere mereámur. Per Dóminum.

Secreta.

HAnc, quæſumus, Dómine oblatiónẽ, quam tuæ maieſtáti offérimus, propítius réſpice, & produc de cordis noſtri durítia lachrymárum flúmina, quibus débita flammárum incéndia váleant extíngui. Per Dóminum noſtrum.

Poſtcommunio.

SAcrifícium, quod tuæ, Dómine Deus, obtúlimus pietáti nobis ad véniam noſtrórum profíciat peccatórum ! & tuæ miſeratiónis ſemper tríbuat ſolátium. Per Dóminum noſtrum.

Digitized by Google

IN DIE VENERIS SANCTÆ

LECTA PASSIONE, ET ORATIONIBVS DICTIS duo Sacerdotes abſque ſtolis & manipulis inferant crucem in locum quo adoranda eſt poſitis autem genibus in terra dicant.

P Opu le meus quid fe ci ti bi, aut in quo contriſtáui te? Reſ- pónde mihi? Quia e dú xi te de terra Ægýpti: pa rá ſti cru cem Salua tó ri tuo.

Alij autem duo fratres ſtantes ante gradum ſemel flectentes genua poſt ò Theos dicant.

A Gi os o the os, A' gi os iſ' chy ros. A' gi os a thána- tos e le í ſon y mas.

Chorus ſemel flectentes genua. Poſt De'

San ctus De us, ſan- ctus for tis: ſan ctus immortális, miſe- ré re no bis.

Item Sacerdotes dicant quod ſequitur.

Qui a e go e-

dú xi te per deſér tum

quadragínta annis: & man-

na ci báui te, & introdú-

xi in terram ſa tis óptimam

pa rá ſti crucem

Sal ua tó ri tuo.

Duo fratres ſemel flectentes genua. A gios. Chorus. Sanctus. vt ſuprà. Sacerdotes.

Quid vltra dé bui fácere ti-

bi, & non fe ci: e goquip

pe plantá ui te víneam meam

ſpecioſíſſimam: & tu facta es

mihi nimis a mára: acé to

namque mixto cum felle ſitim

meam potáſti: & lán cea per-

forá ſti latus Saluató ri

tuo:

Duo fratres A gios. Chorus. Sanctus.

Hic diſcooperiatur crux, & adoretur à Sacerdo. dum dicitur vltimum Sanctus. quo finito omnes petant veniam contrà altare, & Sacerd. eleuantes crucem imponant.

Ecce li gnum cru cis in

quo ſa lus mundi pe pén-

dit: Veni te

adoré-

adoré mus.

Proſequatur Chorꝰ.

Pſalmus.

B eá ti immaculá ti in via: qui ámbulant in le ge Dómini.

Tunc chorus diſcalciatus vadit adoratum Crucem proſternendo ſe in terram præeuntibus Abbate & Miniſtris & ſenioribus. Repetatur. Ecce lignum. Poſtea chorus canat ſimul Hym. Crux fidélis. Poſt hæc omnia & adorata Cruce iidem duo ſacerdotes eleuantes crucem illam reſtituant in locum ſuum dicendo antiphonam ſequentem inchoando & mox chorus veniam petat.

S Vper ómnia ligna cedrórum crux ſola excél ſi or, in qua vi ta mundi pepéndit: in qua Chriſtus triumpháuit: & mors mortem ſupe ráuit.

SEQVITVR LITANIA.

Kyrie eléi ſon.
Chriſte eléiſon.

Chriſte audi nos.

Pa ter de cœlis Deus, miſerére nobis.
Fili redémptor mundi Deus. miſe.
Spíritus ſancte Deus. Miſerére.
Sãcta Trínitas vnus Deus. Miſerére.


Sancta María (bis.
Sancta Dei Génitrix } ora pro no-
Sancta virgo vírginũ

Sancte Michael
Sancte Gábriel } ora pro nobis.
Sancte Raphael

Omnes ſancti beatórum ſpírituum




órdines, oráte pro nobis.




Sancte Ioánnes Baptíſta ora pro.
Omnes SS. Patriárchæ & Prophétæ, oráte pro nobis.




Sancte Petre
Sancte Paule } ora pro nobis.



Sancte Andréa
Sancte Iacóbe
Sancte Ioánnes
S } ora pro nobis..



Omnes Sancti Apóſtoli & Euan-




geliſtæ, oráte pro nobis.
Sancte Stéphane
Sancte Lauréncti
S
Sancte Vincénti
Sancte Thoma } ora pro nobis.
Sancti Ioãnes & Paule
SS.
Oẽs Sancti mártyres } oráte pro.




Sancte Martíne ora pro nobis.

Sancte Nicoláe
Sancte Gregóri
Sancte Ambróſi
Sancte Auguſtíne
Sancte Petre
Sancte Malachía
Sancte Guillérme
Sãcte Edmúnde
Sãcte Hierónyme
Sancte Benedícte
Sancte Bernárde
Sancte Robérte
Sancte Ludouíce } ora pro nobis:
Omnes Sancti Confeſſóres, oráte.
Sancta Anna, ora pro nobis.
Sancta María Magdaléna ora pro.
Sancta Agnes
Sancta Agatha
Sancta Catherína
S. } ora pro nobis.
Omnes Sanctæ Vírgines oráte pro.
Omnes Sancti oráte pro nobis.



Propitiꝰ eſto, parce nobis Dómine.



Ab imminéntibus peccatórum no-



ſtrórum perículis, Líbera nos



Dómine.
A damnatióne perpétua, Líbera.
Per myſtérium ſanctæ incarnatiónis tuæ, Líbera nos Dómine.
Per Paſſiónem & Crucem tuam, Líbera nos Dómine.
Per glorióſam Reſurrectiónẽ tuam, Líbera nos Dómine.

P er admirábilem Aſcenſiónē tuam, líbera nos Dómine.
P er grátiam Sancti Spíritus paracléti, líbera nos Dómine.



P eccatóres, Te rogámus audi nos.




V t pacem nobis dones, Te rogámus.
V t Eccléſiam tuam régere & defenſáre dignéris, Te rogámus audi.
V t loca noſtra & omnes habitántes in eis viſitáre & conſolári dignéris, Te rogámus, audi nos.
V t reguláribus diſciplínis nos inſtrúere dignéris, Te rogámus audi nos.
V t ómnibus benefactóribus noſtris ſempitérna bona retríbuas, Te rogámus, audi nos.
V t fructus terræ dare & conſeruáre dignéris, Te rogámus audi nos.
V t ómnibus fidélibus defúnctis, réquiem ætérnam donáre dignéris, Te rogámus audi nos.



F i li Dei, Te rogámus audi nos



A gnus Dei qui tollis peccáta mūdi,



miſerére nobis.

BENEDICTIO SACERDOTALIVM

indumentorum in genere.

℣. Adiutórium noſtrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cœlum & terram. Dóminus vobíſcum. Et cum ſpíritu tuo. Orémus.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui per Móyſem fámulum tuum Pontificália & Sacerdotália atque Leuítica veſtiménta, ad exercéndum miniſtériū eórum in conſpéctu tuo ad honórem, & decórem nóminis tui fieri decreuíſti, adéſto propítius inuocatiónibus noſtris, & hæc indumenta ſacerdotália deſúper irrigánte grátia tua, ingénti benedictióne, per noſtræ humilitátis ſeruitútem purifi ✠ cáre, bene ✠ dícere, & conſe ✠ cráre dignéris, vt diuínis cúltibus & ſacris myſtériis apta & benedícta exíſtant, hiſque ſacris véſtibus Pontífices, ſeu Leuítæ tui indúti ab ómnibus impulſiónibus ſeu tentatiónibus malignórum ſpirítuum muníti & defénſi eſſe mereántur, tuíſque myſtérijs aptè, & condignè ſeruíre & inhærére, atque in his tibi plácidè & deuótè perſeueráre tríbue Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Orémus.

DEus inuíctæ virtútis auctor, & ómnium rerum creátor, ac ſanctificátor, inténde propítius preces noſtras, & hæc induménta Leuíticæ, & Sacerdotális glóriæ miníſtris tuis ferénda, tuo ore próprio bene ✠ dícere, conſe ✠ cráre, & ſancti ✠ ficáre dignéris, omnéſque eis vténtes, tuis myſtérijs aptos, & tibi in eis deuótè & amabíliter ſeruiéntes gratos éffici concédas. Per Dóminum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium, &c. Orémus.

DOmine Deus omnípotens qui veſtiménta Pontifícibus, Sacerdótibus & Leuítis in vſum taberná-

Orémus.

OMnípotens Deus, mánibus noſtris opem tuę benedictiónis ínfúnde: vt per noſtram bene ✠ dictiónem hoc linteámen ſanctificétur, & córporis ac ſánguinis Redemptóris noſtri nouum ſudárium Spíritus ſancti grátia efficiátur. Per eúndem. in vnitáte eiúſdem Spíritus Sancti. Amen.

BENEDICTIO SACRORVM *vaſorũ & aliorum ornamentorũ in genere.*

℣. Adiutórium noſtrum.

℣. Dóminus vobíſcum. Orémus.

EXaúdi Dómine pater clementíſſime preces noſtras, & hæc purificánda vaſa & ornaménta ſacri altáris atque Eccléſię tuæ ſacri miniſtérij vſui præparáta bene ✠ dícere, & ſancti ✠ ficáre dignéris. Per Chriſtum Dñm noſtrũ. Amen. Orémus.

OMnípotens ſempitérne Deus, à quo ómnia immúnda purgántur, & in quo ómnia purgáta claréſcunt, ſúpplices filij tui omnipoténtiam tuam inuocámus, vt ab his vaſis, ornaméntis & miniſtériis quæ tibi ófferunt fámuli tui, omnis ſpíritus immúndus confúſus longè diſcédat: & per tuam bene ✠ dictiónem ad vſum, & miniſtérium ſancti altáris & Eccléſiæ tuæ ſanctificáta permáneant. Per eúndem Chriſtum Dóminum noſtrum. Amen.

Deinde aſpergit ea aqua benedicta.

¶ De benedictione tabernaculi ſiue vaſculi pro Euchariſtia conſeruanda.

℣. Adiutórium noſtrum.

℣. Dóminus vobíſcum. Orémus.

OMnípotens ſempitérne Deus, maieſtátem tuam ſúpplices deprecámur, vt váſculum hoc pro córpore filij tui Dómini noſtri Ieſu Chriſti in eo condéndo fabricátum, bene ✠ dictiónis tuæ grátia dicáre dignéris. Per eúndem Dóminum noſtrum. Amen.

Tum aſpergit illud aqua benedicta.

BENEDICTIO INCENSI.

AB eo benedicáris ✠ in cuius honórem cremáberis.

BENEDICTIO SVPER lectorem menſæ.

℣. Saluum fac ſeruum tuum ℟. Deus meus ſperántem in te. ℣. Mitte ei Dómine auxílium de Sancto ℟. Et de Sion tuére eum ℟.

℣. Conuértere Dómine vſquequo ℟. Et deprecábilis eſto ſuper ſeruum tuum ℟.

DOminus cuſtódiat introitum tuum & éxitum tuum: & aúferat à te ſpíritum elatiónis.

BENEDICTIO SVPER POPVlum danda à Sacerdote ſe conuertente ad populũ, poſtquam ſe ſignauerit, & antequam diſcedat ab altari quando danda fuerit præcedens benedictio immediatè illam ſequitur. quidam præmittunt.

℣. Adiutórium noſtrum. ℟. Sit nomen Dómini benedíctum. &c.

BEnedícat vos omnípotẽs Deꝰ ✠ Pater & Filius & Spiritus Sanctus.

BENEDICTIO PANIS.

BE'nedic ✠ Dómine creatúram iſtam panis, ſicut benedixíſti quinque panes in deſérto, vt omnes guſtántes ex eo per virtútem ſanctæ ✠ Crucis ſanctiſſimæque vírginis Maríæ tam córporis quam ánimæ recípiant ſanitátem. Amen.

BENEDICTIO AD QVEMcumque cibum.

BE'nedic ✠ Dómine creatúram iſtam, vt quicúnque ex ea guſtáuerint, per ſancti nóminis tui inuocatiónem, & beátæ Maríæ, omniúmque Sanctórum tuórum interceſſiónem, tutélam ánimæ & córporis percípiant, & ad vitam ætérnam peruéniant. Per Chriſtum Dóminum. noſtrum. Amen.

FINIS.

INDEX SECVNDVM ORDINEM ALPHABETI.

Abbatum col. pro Abbatibus pag. 352
SS Abdon & Sennes. 263
S. Adriani 285
S. Agapiti 277
Sanctæ Agathæ 214
S. Agnetis 208
S. Agnetis ſecundò 211
SS. Agricolæ & Vitalis 314
S. Albani 243
S. Albini 219
SS. Alexandri, Euentij & Theoduli 228
S. Ambroſij 223
Col. pro amico vel amicis 352
Sanctæ Anaſtaſiæ 12
SS. Andochij, Tirſi & Felicis 294
S. Andreæ { vigiliæ 314
{ diei 316
Miſſ. de Angelis 338
de Angelo proprio eadem
de Sancto Angelo Cuſtode 340
S. Aniani 309 [S. Annæ 260. 261
Annuntiationis B Mariæ 222
S. Antonij 205
S. Apollinatis 258
Aſcenſionis Domini 130
Aſſumptionis B. Mariæ 274. 275. 276
S. Auguſtini 280
Miſſa de xv. SS. auxiliatoribus 345

B

Sanctæ Barbaræ 318
S Barnabæ 238
S. Bartholomei 279
SS. Baſilidis, Cyrici Naboris, & Nazarij 239
Benedictio { candelarum 212
cerei Paſchalis 108
cinerum 28
corporalium 362
Diaconi 178
ignis 108
incenſi 363
indumentorum ſacerdotalium 362
ſuper lectorem & ſuper populum 363
mapparum ſeu linteaminū ſacri altaris 362
panis & omnis cibi 363
ramorum 83
ſacrorum vaſorum 363
tabernaculi ſeu vaſculi pro Euchariſtia obſeruanda eadem
S. Benedicti 221
SS. Benigni & Cæſarij 306
S. Bernardi 278
Sanctæ Brigidæ 212
S. Brixij 308

C

S. Calixti 299
Canon Miſſæ inchoatur 187
Pro carcere detento vel captiuo 354
Coll. pro caſtitate 354
Cathedra S. Petri 217
Sanctæ Catherinæ 313
Sanctæ Cæciliæ 311
Coll. ad charitatem poſtulandam. 355
S. Chryſogoni 315
Circuncisſio Domini 17
SS. Cyrici & Iulitæ 240
S. Clementis Papæ 312
S. Columbani 311
Conceptio B. Mariæ 284
SS. Cornelij & Cypriani 287
SS. quatuor Coronatorum 306
Sanctæ Coronæ Spineæ 272
SS. Coſmæ & Damiani 294
SS. Criſpini & Criſpiniani 301
SS. Chryſanti, Mauri & Dariæ 317
Sanctæ Chriſtinæ 259
S. Cuthberti 221
S. Crucis { Exaltatio 288
{ Inuentio 228
{ Miſſa per annum 321
S. Cyriaci & ſociorum 268

D

S. Damaſi 318
Dedicationis Eccleſiæ 319. 320
Miſſæ & officia defunctorum 346. 347. & ſeq.
S. Deſiderij 234
SSS. Dionyſij & ſociorum 298
S. Dominici 267
S. Donati 268
SS. Donatiani & Rogatiani 234

E

Miſſa pro aduerſitate Eccleſiæ 330
S. Edmundi 309
S. Ægidij 284
S. Eligij 317
S. Elizabeth 310
S. Emerentianæ 209
Epiphaniæ Domini 18
Coll. pro Epiſcopo defuncto 346
Sanctæ Euphemiæ 289
S. Euſebij Confeſſoris. 275
S. Euſebij Epiſcopi & mart. 265
SS. Eutropij, Zozimæ & Bonoſæ 256
S. Euurtij 284

F

SS. Fabiani & Sebaſtiani 207

iſſa pro Familiaribus 331
anctæ Felicitatis 313
Felicis in Pincis 203
.Felicis Papæ 262
S Felicis & Adaucti 283
S.Feliciſſimi & Agapiti 268
Franciſci 297
.Franciſci de Paula 223
S 7. Fratrum 255

G

S. Geneſij 279
S.Genouefæ 202
S.Georgij 225
S.Germani Epiſcopi 264
SS. Germani Vedaſti & Amandi 297
SS.Geruaſij & Protaſij 242
Gloria in excelſis 178
SS.Gordiani & Epimachi 231
S. Gorgonij 286
S Gregorij 219
S.Guillermi 202

H

S.Hermetis 281
S. Hieronymi 296
SS.Hilarij & Remigij 203
S.Hugonis 227
Coll.pro humilitate 354
SS. Hyppoliti & ſociorum 273

I

S.Iacobi Apoſtoli 259
Miſſa de nomine Ieſu 322
S. Ignatij 212
Miſſa pro infirmis 342
SS.Innocentium 199
S.Ioan.Baptiſtæ { decollatio 281.282 / natalis 243.244.245
S.Ioannis Chryſoſtomi 211
S.Ioannis Euang. 198
eiuſdem ad portam Latinam 231
SS.Ioannis & Pauli Martyrum 246
S.Ioſeph ſponſi virg. 220
SS. Irenæi & ſociorum 248
Miſſa pro Iter agentibus 335
Sanctæ Iulianæ 216
S. Iulianæ 212
S. Iuonis 234

L

Coll. pro Lacrymarum fonte 355
S. Lamberti 290
S. Laurentij 269. 270. 271
S. Leodegarij 297
S. Leonis 248
Litania 352
S. Lucæ 299
S. Luciæ 318
SS. Luciæ & Geminiani 290
S. Ludouici 279

M

SS. Machabæorum 265
S. Magni 277
S. Malachiæ 306
S. Mammerti 232
S. Mammetis 276
S. Marcelli Mart 284
S. Marcelli Papæ 204
SS. Marcelli Apuleij, &c. 298
SS. Marcellini & Petri 236
S. Marci Euang. 226
S. Marci Papæ 297
SS. Marci & Marcelliani 241
S. Martialis 250
Sanctæ Margaritæ 256
B. Mariæ { per Aduentum 326.327 / aliis temporibus 326.327 / feſta eius require ſecundùm literas capitales
S. Mariæ Magdalenæ 256
S. Martini 253
S. Matthæi 291.292
S. Matthiæ 218
S. Mauri 204
S. Mauricij ſociorum eius 293
S. Medardi 237
S. Mennæ 308
S. Michaëlis 295
Coll. pro monachis 356

N

Natalis Domini 15 & ſequen.
Natiuit. B. Mariæ 284
coll. pro nauigantibus 354
SS. Nazarij, Celſi & Pantaleonis 262
SS. Nerei, Achil. & Pancratij 233
S. Nicolai 318
S. Nicomedis 235

O

Omnium Sanctorum 303.304.305
Item de iiſdem per annum 328
Orationes ſiue ordo ad induendum 177

P

Miſſa pro Pace 330
collecta pro Pace congregationis 356
Miſſa contra Paganos 341
Collecta pro Papa 352
Paſchæ 115
Coll. pro Patientia 355
S. Pauli Apoſt. { com. 250 / conuerſ. 209
S. Pauli primi Eremitæ 203
Miſ. pro peccatis 333
Pentecoſtes 137
Miſſa pro peſte 343
SS. Petri & Pauli, 247.248
eorum octa. 254
S. Petri ad vincula 264
S. Petri Epiſ. 231
S. Petri Mart. 227
Sanctæ Petronillæ 235
SS. Philippi & Iacobi 227

Miſ.

Miſ. pro pluuia 333
Sanctæ Potentianæ 254
Sanctæ Praxedis 256
Præfatio.
- Apoſtolorum 184
- Aſcenſionis 181
- Communis 185
- S Crucis 181
- Epiphaniæ 180
- ieiunij quadrag. 183
- B. Mariæ 184
- Natalis Domini 179
- Paſchæ 180
- Pentecoſtes 182
- Sanctæ Trinitatis 183

S. Præiecti 211
Præſentatio B. Mariæ 310
SS. Primi & Feliciani 237
Sanctæ Priſcæ 206
S. Priſci 284
SS. Proceſſi & Martinia 252
SS. Prothi & Iacinthi 286
Purificatio B. Mariæ 213

Q

S. Quintini 304

R

coll. pro Rege 352
S. Remigij 296
S. Roberti 227
Rogationum 128
S. Romani 270
S. Rufi 280

S

Sanctæ Sabinæ 281
col. pro Salute viuorum 353
Miſ pro ſeipſo Sacerdote 336. 337
col. pro Sapientia Impetranda 355
S. Saturnini 316
Sanctæ Scholaſticæ 215
S. Silueſtri 201
S. Sequani 291
SS. Simonis & Iudæ 301. 302
SS. Simplicij, Fauſtini & Beatricis. 363
S. Sixti 267
Sanctæ Soteris 215
SS. Speuſippi, &c. 206
Miſſa de Spiritu Sancto 324. 325
S. Stephani Papæ 265
S. Stephani protomart 197
Miſſa pro Serenitate 334
Suffragia veneris Sanctæ ad notam 357

T

Miſſa contra Tempeſtatem 335
S. Theodori 307
S Thomæ Apoſtoli 318
S. Thomæ Aquinatis 219
S. Thomæ Cantuarienſis 200
S. Tiburtij 272
SS. Tiburtij, Valeriani & Maximi 224
Miſſ. pro quacunque Tribulatione 332
Sanctiſſimæ Trinitatis 145

V

S. Valentini 215
SS. Vedaſti & Amandi 215
S. Vincentij 209
Viſitatio B. Mariæ 251
S. Vitalis 227
SS. Vitalis, Feliculæ & Zenonis 216
S. Viti 240
S. Vrbani 234
SS. Vrſulæ & ſociarum. j. 11000. virg. 300
S. Vuanceſlai 295
Miſſa de S. Vulneribus Chriſti 323.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google